348.341
3M

DE

VISITATIONE SACRORUM LIMINUM

INSTRUCTIO S. C. CONCILII

EDITA IUSSU

S. M. BENEDICTI XIII.

EXPOSITA ET ILLUSTRATA

ET QUAM HUMILLIME DEDICATA

S. M. PIO IX. PONT. O. M.

PER

ANGELUM LUCIDI

a scribendis literis ad relationes Episcoporum in S. C. Conc.
et caus. summ. ref. in S. C. Episc. et Regul.

Editio tertia

ab innumeris mendis purgata et pluribus additionibus aucta

PER

P. IOSEPHUM SCHNEIDER S. I.

ALMA COLLEGE
348.341
LIBRARY
L963
Alma, California

2
26.585

ALMA COLLEGE
BIBLIOTECA PRIVATA
P. RAEP. GEN. S. J.
California

Jus Can - IV-30

Volumen tertium.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROP. FIDE

MDCCCLXXXIII.

3860

Editor sibi vindicat ius proprietatis

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM

In hoc, quod opitulante Deo ac Deipara elucubravimus, opere, nobis identidem accidit, ut in usum nostrum vocaremus aliquas Apostolicas Constitutiones, ac S. C. C. Secretarii relationes, quae vulgo *folia* audiunt, causarum in plenis S. C. C. comitiis actarum, quas non in frusta dissectas ac mutilatas, sed integras ac de prima ad ultimam ceram proferre vel necessarium vel opportunissimum videbatur: quippe eorumdem actorum vera significatio et intellectus plene ac sincere elucere nequit, nisi totus omnium partium simul connexarum contextus legentium oculis obversetur. Iamvero si eadem in medio operis corpore, data occasione, insita fuissent, non parum impedimenti ac fastidii in continuo sermonis nostri decursu lectoribus intulissemus. Itaque satius duximus ad eiusdem operis calcem aliam partem adiungere, in qua suum singulis eiusdem actis locum assignaremus (1). In quo exemplum secuti sumus aliquorum canonicarum rerum tractatorum, quales sunt Barbosa *De off. et pot. Episc.*, Monacellus *Form. Leg.*, aliique. Sed et huiusmodi rationem amplexa est Romana Synodus anno 1725. celebrata, quam, prout quisque novit, uberrima appendix consequitur; cuius

(1) Non pauca documenta nobis visa sunt addenda; quare, ne tertii voluminis moles succresceret, nonnulla suis locis primo et secundo volumini, ubi materiae, ad quas pertinent, nonnisi parce erant tractatae, inseruimus. (Editor).

vestigiis institerunt sequiores omnes, ut plurimum, dioecesanae Synodi, quae cum recentiori aevo, tum nostris hisce temporibus celebratae sunt. Quid plura? nullum hodiedum fere typis editur opus, quod eius in exitu testimoniorum exempla non proferat, quibus veluti fundamentis totius operis, ut ita dicam, aedificium innititur ac superinstruitur. Quae cum ita sint, rem nec inusitatam nec incongruam nos fecisse arbitrati pergimus ea Summorum Pontificum et S. Congr. Conc. monumenta cum suo quaeque Summario ordinatim exhibere.

CONSPECTUS HUIUS TERTII VOLUMINIS

DOCUMENTA

QUAE IN DUOBUS PRIMIS VOLUMINIBUS CITANTUR.

I. Sixti PP. V. Constit. *Romanus Pontifex,* qua Episcopi, Patriarchae et alii ecclesiarum Praesules statutis temporibus SS. Petri et Pauli Limina visitare et de statu dioecesis referre iubentur. . . . . *pag.* 1

II. Bened. XIV. Constit. *Quod sancta,* de Sacris Liminibus beatorum Apostolorum visitandis, ubi confirmatur Constit. Sixti V., eaque extenditur ad Abbates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum iurisdictione quasi-episcopali et territorio separato. . . . . » 6

† III. Ex Sixti V. Constit. *Immensa aeterni,* super institutione Congregationum. – Institutio Congregationis pro exsecutione et interpretatione Concilii Tridentini . . . . . » 14

IIIa. Instructio S. C. de Propaganda Fide super Visitatione SS. Liminum . . . . . » 15

IV. Bened. XIV. Constit. *Decet Romanum Pontificem,* qua erigitur Congregatio particularis nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum, Congreg. Card. Concilii Trid. Interpretum adiecta pro excipiendis examinandisque relationibus Episcoporum, Abbatum etc. super statibus eorumdem ecclesiarum . . » 21

V. Bened. Papae XIII. Literae Apostolicae *Pius et misericors,* quibus per totam Italiam et insulas adiacentes providendis de beneficiis ecclesiasticis, non affectis, aut reservatis S. Sedi, demandatur solutio mediae annatae favore fabricae metropolitanarum et cathedralium, ac collegiatarum respective ecclesiarum . . . . . » 26

VI. S. m. Pii PP. IX. Literae Apostolicae *Cum illud,* quibus aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium et Episc. utensilia declarantur . . . . . » 30

VII. Benedicti XIII. Constitutio *Pastoralis officii,* qua praebendae theologalis et canonici poenitentiarii in ecclesiis cathedralibus Italiae insularumque adiacentium, ubi non sunt, institutioni consulitur, cum aliis ordinationibus . . . . . » 35

VIII. S. C. Concil. causa *Montisfalisci.* Collegiatae. . . . . » 39

† IX. Bened. XIV. Epist. encycl. *Magno cum,* de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quae sunt in domibus laicorum. . *pag.* 46
Decretum fel. rec. Clementis PP. XI. circa celebrationem in oratoriis privatis, emanatum 15. Dec. 1703 . . . . . » 65
X. Benedicti XIII. Literae Apostolicae *Creditae Nobis,* quibus Ordinariis Italiae insularumque adiacentium districte mandatur, ut seminariorum erectionem sedulo promoveant, eorumque honestae sustentationi provideant taxa et subsidiaria respective unione beneficiorum, iuxta modum a Sacro Tridentino Concilio praescriptum, ac insuper nova instituitur Congregatio, seminariorum nuncupanda, quae recto illorum regimini et administrationi praesideat, cum aliis ordinationibus, et clausulis ac derogationibus opportunis . . . . . » 67
XI. Instructio de imponenda solvendaque taxa pro institutione et conservatione seminariorum . . . . . » 74
§. I. De contributione seu taxa, quam Ordinarius seminario solvere debet . . . . . » 76
§. II. De contributione seu taxa a Capitulis metropolitanae, vel cathedralis et collegiatarum dioeceseos seminario eiusdem solvenda . . . . . » 78
§. III. De contributione seu taxa seminario dioeceseos solvenda a quolibet beneficiato, sive curam habeat animarum, sive non habeat . . . . . » 79
§. IV. De contributione seu taxa seminario solvenda a Regularibus et Sanctimonialibus . . . . . » 80
§. V. De contributione seu taxa persolvenda ab hospitalibus, confraternitatibus, fabricis ecclesiarum, Montibus pietatis et legatis piis . . . . . » 82
XII. S. C. Conc. causa Massen. *Taxae seminarii* . . . . . » 83
XIII. Bened. XIV. Literae Apostolicae *Ad universae,* de residentia Episcoporum . . . . . » 102
† XIV. Benedicti XIV. Constit. *Ad militantis Ecclesiae,* de appellationibus et inhibitionibus concedendis vel denegandis . » 118
XV. Innocentii XII. Constit. *Speculatores* de ordinandis propriis subditis, vel alienis; quae requirantur et quae cavenda sint, ut Episcopus proprium vel alienum subditum ordinare valeat . . . . . » 135
† XVI. Formula literarum dimissorialium. . . . . » 141
† XVII. Formula literarum testimonialium . . . . . » 142
† XVIII. Formula literarum commendatitiarum. . . . . » ibi
XIX. Bened. XIV. Constitutio *Impositi Nobis,* de ordinatione Regularium . . . . . » 143

XX. Taxa Innocentiana . . . . . *pag.* 155
XXI. Bened. XIII. Constit. *Maxima vigilantia,* de archiviis in Italia erigendis pro custodia iurium et scripturarum, ad quascumque ecclesias cathedrales, collegiatas et non collegiatas, ad seminaria etiam, ad monasteria utriusque sexus, ad collegia, congregationes, confraternitates, hospitalia et quaelibet loca pia, et singularia instituta pertinentium. Instructio de scripturis, quae in eisdem archiviis reponi debent. . . . . » 164
§. I. Scripturae reponendae et conservandae in omnibus archivis tam Episcoporum aliorumque Ordinariorum, quam Capitulorum, ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et receptitiarum, collegiorum, seminariorum, convictuum, congregationum, confraternitatum, hospitalium, monasteriorum Regularium utriusque sexus, et aliorum locorum piorum. . . . . » 176
§. II. Scripturae particulares, praeter supradictas (§. I.), reponendae et conservandae in omnibus archivis Episcoporum ceterorumque Ordinariorum *Nullius,* quique iurisdictione potiuntur quasi-episcopali. . . . . » 177
§. III. Scripturae particulares reponendae et conservandae in omnibus archivis Capitulorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum praeter alias memoratas in §. I. . . . » 180
§. IV. Scripturae particulares reponendae et conservandae in ecclesiis parochialibus praeter citatas in §. I. . . . » ibi
§. V. Scripturae particulares, praeter memoratas in §. I., quae reponi et conservari debent in omnibus archivis monasteriorum et conventuum Regularium. . . . . » ibi
§. VI. Scripturae particulares, praeter citatas in §. I., reponendae et conservandae in omnibus archivis monialium et conservatoriorum. . . . . » 181
§. VII. Scripturae particulares, praeter supradictas in §. I. reponendae ac conservandae in archivis confraternitatum. . » ibi
Motus-proprius felicis recordationis Sixti Papae V. sub die 29. Aprilis 1587. circa revocationem officii archivistae ecclesiastici generalis in Urbe, et confectionem inventariorum, seu platearum bonorum omnium ad singulas ecclesias et loca pia quaelibet spectantium in Italia. . . » 183
† XXII. Clementis XIII. Constit. *Praestat Romanum Pontificem* de consuetudine quoad immunitatem ecclesiasticam. . . » 186
XXIII. Bened. XIV. Literae Apostolicae *Cum semper oblatas,* super obligatione canendi et applicandi Missam conventualem

a Capitulis pro benefactoribus in genere, a parochis pro populo eisdem concredito. . . . . *pag.* 188
XXIV. Dubia indultorum. . . . . » 200
XXV. Folium causae *Lucanae Exemptionis* . . . . . » 208
XXVI. Folium causae *Tranen. Distributionum*. . . . . » 218
XXVII. Folium causae *Velitern. Participationis*. . . . . » 236
XXVIII. Bened. XIV. Literae Apostolicae *Cum illud,* de forma in concursibus observanda. . . . . » 246
XXIX. Folium causae *Casalen. Praebendae theologalis*. . . . » 261
XXX. Greg. XVI. Epistola encyclica *Inter praecipuas,* contra societates biblicas, ubi de necessitate praebendae theologalis . . . . . » 269
XXXI. Innocentii XIII. Constit. *Apostolici ministerii,* de restauranda ecclesiastica disciplina . . . . . » 279
XXXII. Bened. XIII. Constit. *In supremo,* de restauranda ecclesiastica disciplina . . . . . » 296
XXXIII. Bened. XIV. Constit. *Pastoralis curae,* super designatione confessariorum extraordinariorum pro monialibus. . » 298
XXXIV. Folium causae *Baren. Curae animarum,* ubi expenditur, quando Episcopo parochos amovibiles stabilire liceat. » 313
XXXV. Pii PP. IX. Epistola encyclica *Nostis et Nobiscum*, qua ostendit, quid facere debeant Episcopi, ut in hisce temporum adversitatibus fidem catholicam et morum probitatem sartam tectamque servare queant. . . . . » 325
XXXVI. Bened. XIV. Literae Apostolicae *Etsi minime,* de doctrina christiana populis tradenda: qua ratione et methodo fidelium indigentiae hac in re consulendum sit. . . » 343
XXXVII. Pii PP. IX. Literae encyclicae *Amantissimi*, super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis reductis. . . . . » 351
XXXVIII. Bened. XIV. Literae Apostolicae *Declarasti,* quibus amplissime declaratur, utrum et quando Missam uno eodemque die iterare liceat . . . . . » 359
XXXIX. Folium causae *Cameracen. Missae pro populo.* . . . » 374
XL. Literae encyclicae S. Congr. Episc. et Regul., super spiritualibus exercitiis . . . . . » 381
XLI. Bened. XIII. methodus a clero servanda in congregationibus ss. rituum et casuum conscientiae . . . . . » 383
XLII. Bened. XIV. Constit. *Firmandis,* de iurisdictione et visitatione Episcoporum in parochos et parochias regulares. » 388
† XLIII. Instructio Sac. Congregationis Fidei Propagandae praepositae super Missae iteratione . . . . . » 401

† XLIV. Benedicti PP. XIV. Literae Apostolicae *Si datam* d. d. 4. Martii 1748., de ordine servando in causis super nullitate professionis regularis. . . . . *pag.* 411

XLV. Innoc. X. Constit. *Instaurandae,* de suppressione parvorum conventuum et prohibitione erigendi novos in Italia et insulis adiacentibus . . . . . » 427

† XLVI. Bened. XIV. Literae Apost. *Pontificia commendatione,* ad Episcopum Sancti Pauli in America Lusitana, de Regularibus extra claustra degentibus et sese translatos asserentibus » 434

† XLVII. Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant, sive examen ipsum fiat ab examinatoribus provincialibus iuxta art. III. primae partis decreti *Regulari disciplinae,* sive ab examinatore deputato iuxta declarationem ad dubium VI. eiusdem decreti . . . . . » 436

XLVIII. Instructiones super receptione et educatione novitiorum iussu Clementis VIII. editae. die 19. Martii 1603. . . . . » 437

XLIX. S. Pii V. Constitutio *Circa pastoralis officii,* de clausura monialium . . . . . » 444

L. S. Pii V. Constitutio *Decori et honestati* de clausura monialium . . . . . » 448

LI. Gregorii XIII. Constitutio *Deo sacris virginibus,* de eleemosynis monialibus clausuram servantibus praestandis . . » 451

LII. Benedicti XIV. Breve *Salutare,* de clausura monialium . » 457

† LIII. Benedicti XIV. Breve *Per binas* diei 24. Ianuarii 1747., de clausura monialium et admissione famularum in monasteria . . . . . » 460

† LIV. Causa *Americana votorum* (S. Congr. Episc. et Regul.), de votis solemnibus et de clausura . . . . . » 463

LV. Alexandri PP. VII. Constit. *Felici,* diei 10. Oct. 1664. determinans, quomodo et quando liceat Superioribus regularibus monialium earumque confessariis ingredi septa monasterii et prope illud commorari . . . . . » 477

LVI. Pagella pro educandarum admissione . . . . . » 481

† LVII. Benedict. XIV. Epistola encyclica *Gravissimo* diei 3. Octobris 1749., qua prohibetur, ne quis, etiam exemptus et ecclesiastica dignitate praefulgens, ad monasteria monialium accedat sine Ordinarii loci licentia . . . . . » 483

LVIII. Bened. XIV. Constit. *Quamvis iusto* super conservatoriis Virginum Anglicanarum . . . . . » 485

† LIX. Pii IX. Literae Apostolicae *Inter multiplices* ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Galliae, de episcopali sollicitudine etc. . . . . » 507

LX. Votum pro veritate. In dispositionibus ad pias causas per actum inter vivos aeque ac per actum causa mortis necesse non est observare solemnitates circa mulieres a iure civili praescriptas. . . . . *pag.* 513

LXI. Sac. Congr. Episc. et Regul. causa Capellaniae d. d. 9. Septembris 1862., 17. Martii 1865., 19. Ianuarii 1866., in qua discrimen inter capellanias laicales et ecclesiasticas expenditur. . . . . » 520

LXII. Folium causae *Dioecesis NN.* Affrancationis. Reductioni onerum piorum ac nominatim celebrationis Missarum locus non fit, cum universa haereditas a testatore eam in causam obligata fuit. . . . . » 534

Appendix. Quae regulae servari debeant, quando dubitatur, an is, qui aliquo pio onere gravatus est, fundis imminutis vel plane disperditis, de suis bonis teneatur supplere, necne. . . . . » 539

LXIII. Clementis VIII. Constitut. *Quaecumque,* in qua traduntur regulae servandae in erectione et aggregatione Confraternitatum . . . . . » 543

† LXIV. S. Congr. Indulg. decretum super institutionibus et aggregationibus a Regularibus et Archiconfraternitatibus faciendis. . . . . » 550

† LXV. S. Congr. Indulgentiarum decretum de Sodalitatum rectoribus . . . . . » 552

† LXVI. S. C. Indulg. decretum, quo declaratur decretum *Ad religionis* d. d. 8. Ianuarii 1861. . . . . » 553

† LXVII. Formula servanda saltem in substantialibus a Superioribus regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quas a Sancta Sede Apostolica obtinuerunt. . . . . » 554

† LXVIII. Formula servanda in substantialibus ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum. . . . . » 556

† LXIX. Pauli V. Breve *Quae salubriter,* quo declaratur et extenditur Constitutio Clementis VIII. circa formam communicandi indulgentias . . . . . » 558

† LXX. De lectione librorum prohibitorum. . . . . » 560

LXXI. Pii PP. IX. encyclicae Literae *Quanta cura* diei 8. Decembris 1864., quibus damnantur plurimi errores hoc aevo misere undique disseminati . . . . . » 566

† Epistola Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Iacobi

Antonelli a Negotiis publicis Sanctitatis Suae ad omnes catholicos Antistites. . . . . *pag.* 576
Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque Apostolicis Literis Smi D. N. Pii Papae IX. . . » ibi
§. I. Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus . » ibi
§. II. Rationalismus moderatus. . . . . » 578
§. III. Indifferentismus, Latitudinarismus. . . . . » 579
§. IV. Socialismus, communismus, societates clandestinae, societates biblicae, societates clerico-liberales . . . . . » ibi
§. V. Errores de Ecclesia eiusque iuribus . . . . . » ibi
§. VI. Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata . . . . . » 582
§. VII. Errores de ethica naturali et christiana. . . . . » 584
§. VIII. Errores de matrimonio christiano. . . . . » 585
§. IX. Errores de civili Romani Pontificis principatu . . . » 586
§. X. Errores, qui ad liberalismum hodiernum referuntur. . » 587
LXXII. Varia documenta causas matrimoniales spectantia.
1. Benedicti XIV. Constitutio *Dei miseratione,* qua praescribitur ordo et forma in iudiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate, et nullitate declaranda servandus . . . . . » 588
2. Instructio edita a S. C. Concilii die 22. Augusti 1840. pro confectione processus in causis matrimonialibus . » 596
3. Decretum emanatum in Congregatione generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis, habita feria V. die 21. Augusti 1670. de examine testium ad probandum statum liberum contrahere volentium matrimonium . . . . . » 605
4. Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curia Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis ceterorum Ordinariorum . . . . . » 606
5. Dubia mota de sensu decreti et Instructionis diei 21. Augusti 1670. . . . . » 609
6. Dubia circa exterorum matrimonia cum responsionibus S. C. S. Officii . . . . . » 611
† 7. Instructio S. Congr. de Propag. Fide d. d. 9. Maii 1877. de dispensationibus matrimonialibus . . . . . » 613
† 8. Secretariae Status instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia. . . . . » 618

† 9. Decretum S. Congr. Inquisitionis de facultate dispensandi in matrimoniis mixtis . . . . . *pag.* 621
† 10. Decretum S. Congr. de Propaganda Fide d. d. 30. Augusti 1865. de dispensatione super mixtis matrimoniis cum Italis contrahendis. . . . . » 623
† 11. Dubia a S. C. S. Officii resoluta circa facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii, quando agitur de matrimoniis mixtis . . . . . » 624
† 12. Instructio S. Inquisitionis d. d. 12. Iunii 1882. super qualitate probationis requirendae, antequam secundae nuptiae ineantur . . . . . » ibi
† 13. Recentissima instructio S. Inquisitionis ad probandum obitum alicuius coniugis . . . . . » 626
† 14. Instructio Sac. Poenitentiariae d. d. 15. Ianuarii 1866. circa contractum, quem vocant matrimonium civile. . » 631
† 15. Decreta S. Congr. Inquisitionis et S. Poenitentiariae de incestu indicando in libellis supplicibus pro dispensationibus . . . . . » 634

DOCUMENTA

QUAE IN DUOBUS PRIMIS VOLUMINIBUS CITANTUR.

I.

Sixti PP. V. Constit. Romanus Pontifex *qua Episcopi, Patriarchae et alii ecclesiarum Praesules statutis temporibus SS. Petri et Pauli Limina visitare et de statu dioecesis referre iubentur.*

(Ad pag. 3. 18. 35. vol. I.)

Summarium. 1. Summus Pontifex in partem sollicitudinis universae Ecclesiae advocat Episcopos, quorum ministerio utitur, ut specialium ecclesiarum necessitatibus provideat. – 2. Hinc est, quod ex longissima antiquitate Episcopi SS. Apost. Limina statis temporibus sese invisuros iureiurando adpromittunt, ut opportuna monita ac consilia a Summo Pontifice accipiant. – 3. Ex intermissa antiqua huiusmodi institutione factum est, ut haereses obortae invalescerent, quarum caput illico amputatum esset, si in tempore cognitae fuissent. – 4. Itaque Sixtus V. ne de suo neglecto munere rationem Domino reddat, eamdem institutionem renovat, omnesque Praesules, qui consecrati fuerint, vel pallium acceperint, aut translati fuerint, ad iuramentum edendum adigit, sese statuendis temporum intervallis Apostolica Limina adituros, et relationem exhibituros de suarum dioeceseon statu. – 5. Si legitimo impedimento detineantur, quomodo per procuratorem idipsum supplere, et quomodo impedimenti legitimam causam comprobare debeant. – 6. Etiam principibus saecularibus de statu religionis in suis regnis per Episcopos Pontificem docere integrum est. – 7. Qui Episcopi quolibet triennio, qui quatriennio, qui quinquennio aut decennio hoc officium instaurare teneantur. – 8. Haec obligatio currere incipit a die datae Constitutionis. – 9. Poenae contra violatores. – 10. 11. Sequuntur clausulae derogatoriae.

1. Romanus Pontifex, beatissimi Petri Apostolorum Principis Successor, in altissima militantis Ecclesiae specula divina dispositione collocatus, ex credito sibi Apostolicae servitutis officio omnium ecclesiarum sollicitudinem habere, totiusque Dominici gregis, qui unius sanctae catholicae et Apostolicae Ecclesiae per universum orbem terrarum diffusae sacro ovili concluditur, curam

gerere tenetur. Huius vero tam gravis et ingentis oneris, Angelicis plane humeris formidandi magnitudinem ut facilius ferre posset, venerabiles fratres suos catholicos Episcopos in partem suae sollicitudinis advocavit, qui tanquam seniores in populo Dei, pleni sapientiae spiritu, in sua quisque pastorali vigilia excubantes, illius supremi in terris pastoris immensos labores sublevarent, in quo uno, Deo auctore, plenitudo residet potestatis. Nimirum ut Episcoporum opere et adiumento ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque adhiberet: atque ex sui muneris officio perdita requireret, abiecta reduceret, confracta obligaret, infirma consolidaret, pinguia et fortia custodiret: denique assiduis pastorum vocibus admonitus, de toto singularum ecclesiarum statu certior redderetur, ne quidquam omnino illum lateret illarum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum salutem procurandam necessario eumdem scire atque intelligere oportet, ut omnibus cognitis et examinatis, pro ea, quae sibi a Domino tributa est, summa potestate, alia in vinea Domini Sabaoth evellat, alia plantet, alia aedificet, alia destruat, quemadmodum ex rerum et temporum conditione salubrius in Domino viderit expedire.

2. Ob quas sane causas iure optimo, et Spiritus sancti instinctu, a sanctissimis Pontificibus Praedecessoribus Nostris iam ab antiquissimis temporibus institutum est, et per multas aetates magno Ecclesiae commodo observatum, ut singuli Episcopi, Archiepiscopi, Primates et Patriarchae, certis praescriptis temporibus per se ipsos, vel per certum eorum nuntium omni occasione seposita, Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam Urbem sanguine suo consecrarunt, limina, tanquam fidei petram, et totius sacerdotalis unitatis fontem iureiurando se visitaturos pollicerentur, atque ita S. R. E. matris suae complexu recreati, et paterno Summi Pontificis colloquio roborati, ad ecclesias suas regendas alacriores et instructiores redirent.

3. Ceterum haec tam salutaris et necessaria institutio, partim antiqui hostis humani generis astutia variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus valde refriguit, aliis alia atque alia impedimenta praetexentibus, in grave animarum suarum periculum, et quibus praesunt, ecclesiarum detrimentum. Nec vero dubitandum est, quod sine maximo animi moerere commemorare non

possumus, perniciosissimas haereses, quibus multis iam annis, hominum peccatis ita promoventibus, ecclesia vexatur, et Christi Domini vestis ita dilaceratur, ex eiusmodi saluberrimae visitationis intermissione partim ortas esse, partim latenti progressione magnum incrementum accepisse. Nam si celeriter in ipso nascentis mali initio ab ipsis Episcopis pro rei gravitate ad Pontificem Romanum relatum esset, sane illius providentia et auctoritate, statim venenatae stirpes ex agro Domini evulsae essent, et diabolici ignis scintillae subito oppressae atque restinctae in tot flammas et luctuosa incendia non erupissent.

4. Haec atque alia gravissima incommoda, cum primum ad summi Apostolatus apicem, meritis licet imparibus Deo ita volente vocati sumus, attentius considerantes, non solum ex intimis animi sensibus indoluimus, sed statim de adhibendo remedio divina gratia adiutrice cogitare coepimus. Urget enim Nos Dei timor, et acres animo nostro stimulos dies noctesque subiicit, quemadmodum in tremendo illius iudicio administrationis nostrae rationem reddamus. Nam si huic tanto malo, quod magis quotidie ingravescit, non occurramus, non possumus nobis ipsis non valde timere, cum crebro in mentem veniant, et quasi auribus nostris personent sacrae illae voces comminationis, et terroris plenae: *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel, et sanguinem eius de manibus tuis requiram,* et quod Petro a Domino dictum est: *confirma fratres tuos,* et illud Apostoli Pauli, quod tanto magis ad nos pertinet, quanto maiorem praeter caeteros pastoralem officii curam sortiti sumus: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quocirca eorumdem Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, simulque modum et temporum spatia ecclesiarum earumdem Praesulibus, pro cuiusque intervallo, et locorum distantia moderantes, hac perpetua Constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, per universum terrarum orbem instituti a Nobis deinceps ordinandi, etiamsi Cardinalatus honore praefulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant, seu eis consecratis Pallium de Beati Petri corpore sumptum tradatur, aut si ad aliam ecclesiam transferantur, antequam illius regimini et administrationi se immisceant, siquidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero

absentes, in manibus Antistitis, qui ad implendum munus praedictum, aut ad tradendum Pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegabitur, iurent iuxta formulam in libro Cancellariae Apostolicae, *quinterno* appellato, nuper descriptam, se beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli Limina statutis in hac Nostra Constitutione temporibus, personaliter, ac per se ipsos visitaturos, ac Nobis ac Successoribus Nostris pro tempore existentibus Romanis Pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praesunt, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos et quam diligentissime exsecuturos.

5. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent, se praedicta omnia impleturos per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem, de gremio suorum Capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut si huiusmodi hominem ecclesiastica dignitate et personatu praeditum non habeant, per dioecesanum sacerdotem, et si clero careant, omnino per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes, ad dictum primum Diaconum Cardinalem per supradictum nuntium transmittendas.

6. Quin etiam principes temporales, si quid pro eorum pietate, et erga hanc Apostolicam Sedem observantia Romano Pontifici voluerint significare, eosdem sive Episcopos, sive alios, qui ab eis mittentur, fidos habebunt nuntios ac relatores, quorum opera ab eadem Sede pro illorum dominiis, ditionibus et rebus firmandis ac stabiliendis, et cum Dei et sanctae religionis causa, sine qua tuto consistere haud possunt, coniungendis, opportuna sincerae charitatis officia, consilia, atque subsidia exspectare certo poterunt.

7. Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis insulis, unde commodius in Italiam traiici potest, veluti Siculi, Sardi, Cursi et alii adiacentium provinciarum Italiae, ac etiam Dalmatiae et Graecarum,

quae e regione ipsius Italiae et Siciliae oris sunt, tertio anno; Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, Bohemi, Ungari, Angli, Scoti, Hiberni et ceteri omnes, qui in Europa sunt circa mare Germanicum et Balticum, ac omnium insularum maris mediterranei, quarto anno, et qui intra Europae fines sunt, his provinciis remotiores, ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum maris oceani septentrionalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicam fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno; Asiatici vero, et qui extra Asiam, et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus decimo anno iter suscipiant et, Deo concedente, perficiant. Idemque institutum tertio quoque, quarto, quinto et decimo anno repetant et observent. Haec autem annorum spatia tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, aut translationis, ut praefertur, incipiant. Quae ne longius differantur, volumus, quod tempus qualecunque excursum alicui ex supradictis Praesulibus, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei praescriptum dicta Limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse et excurrisse intelligatur, ut termino ipso iuxta Praedecessoris sui iusiurandum completo debitam tunc visitationem quamprimum conficere teneatur. *(Vide notam in pag. 11.)*.

8. Hi vero ex supradictis Antistitibus, qui hactenus ab hac sancta Sede ordinati sunt, aut dictum Pallium ab ea susceperunt, aut ad aliam ecclesiam translati sunt, prout cuique distantia locorum, et temporum intervalla praescripta sunt, ad supradicta omnia observanda a die publicationis praesentis Constitutionis omnino teneantur. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Antistitibus praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam, sibi suisque ecclesiis adeo utilem ac necessariam, iuxta praedictam formulam omnino conficiant.

9. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu ecclesiae, ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum ecclesiarum, a Capitulis eorum, omni acceptione remota, et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae, seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout maior necessitas exegerit, insumen-

dorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis eiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

10. Non obstantibus privilegiis, absolutionibus, indulgentiis et aliis concessionibus de non visitandis Liminibus eiusmodi quibuscumque ecclesiarum Praesulibus, et per quoscumque Rom. Pont., ac etiam Nos, et dictam Sedem ex quibusvis causis, perpetuo, vel ad tempus concessis, extensis et innovatis, quae omnia contra praemissa quidquam nolumus suffragari, aliisque contrariis quibuscumque. Ceterum Nos saluti et conscientiae securitati eorum Praesulum, qui ad huiusmodi visitationem obligati, eam contra iusiurandum hucusque distulerunt, consulere volentes, eos singulos a periurii reatu et a canonicis, Apostolicisque omnibus sententiis, quas propterea incurrerint, auctoritate praesentium absolvimus, quos tamen pro excessu huiusmodi eleemosynam, quantam, et cui vel quibus eorum confessarius statuerit, applicandam, volumus erogare.

11. Quia vero difficile nimis esset, praesentes literas, quocumque illis opus, perferri, volumus quoque, ut earum exemplis etiam impressis, manu notarii publici, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae obsignatis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae eisdem praesentibus, etiam in dicto *quinterno* describendis haberentur, si essent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum apud S. Petrum ann. Inc. Dominicae 1585. 13. Kal. Ian. Pont. anno I.

II.

Bened. XIV. Constit. Quod sancta *de Sacris Liminibus beatorum Apostolorum visitandis, ubi confirmatur Constit. Sixti V., eaque extenditur ad Abbates aliosque habentes monasteria seu ecclesias cum iurisdictione quasi-episcopali et territorio separato.*

(Ad pag. 25. et 61. vol. I.)

Summarium 1. Exordium a verbis Conc. Sardicensis de relationibus Apostolicae Sedi exhibendis. – 2. Summarium causarum, propter quas Sixtus V. Constit. *Romanus Pontifex* emanavit. – 3. Quae sit eiusdem dispositio. – 4. In ea nulla fit mentio Praelatorum inferiorum tertiae speciei. – 5. Pontifex Sixtinam Const. confirmat et innovat. – 6. Eamque extendit ad Praelatos praedictos iurisdictionem quasi-episcopalem haben-

tes. Qui proinde iurare debebunt, personaliter se sacra Apostolorum Limina visitaturos, et relationem status ecclesiarum reddituros. – 7. Hoc vero supplebunt per procuratorem, si legitime impediti fuerint. – 8. Qui in Italia sunt et insulis adiacentibus, quolibet triennio, ceteri quolibet quinquennio hoc officium absolvent. – 9. Dispositio precaria pro iis, qui in praesulatuum possessione iam versabantur. – 10. Poenae contra violatores huiusce Constitutionis. – 11. Clausulae derogatoriae. – 12. Refertur formula iuramenti a Praesulibus emittendi.

1. Quod sancta Sardicensis Synodus divino edocta magisterio edixit, optimum et valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem, de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes, attenta consideratione revolventes, ubi primum nos, licet immeritos, Dominus gratiae suae praecipuo munere in eadem Sede collocavit, ea subit cogitatio, ut cunctarum totius orbis ecclesiarum ad parvitatem nostram status et negotia referrentur, quibus necessitatem de omnibus tractandi Christus in Petro Apostolo, cum illi claves aperiendi claudendique daret, indulsit. Siquidem in speculis a Deo constituti et vigilantiae nostrae diligentiam pro commissi officii munere coram eo comprobare cupientes, noctes diesque solliciti sumus, ut circa quamvis longinqua spiritalis cura non deficiat, sed se per omnia, qua nomen Dei praedicatur, extendat, memores illius obiurgationis dominicae: *quod infirmum fuit, non consolidastis, et, quod aegrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; et quod abiectum est, non reduxistis; et quod perierat, non quaesistis;... et dispersae sunt oves meae, eo quod non esset pastor, et factae sunt in devorationem omnium bestiarum agri, et dispersae sunt: erraverant greges mei in cunctis montibus,.. et non erat, qui requireret,... ecce ego ipse super pastores requiram gregem de manu eorum.* Cum ergo pastoribus talibus, per quos dominicae oves negliguntur et pereunt, sic Dominus comminetur, quid nos aliud facere oportet, quam colligendis et refovendis Christi ovibus exhibere diligentiam plenam, et curandis lapsorum vulneribus paternae pietatis adhibere medicinam? Nulla est enim maior, nulla melior cura praepositorum, quam diligenti sollicitudine et medela salubri fovendis et conservandis ovibus providere.

2. Dudum quidem fel. rec. Sixtus V. serio animadvertens, veterem et laudabilem morem, gravissimis ex causis et non sine Spiritus Sancti instinctu a Summis Pontificibus Praedecessoribus

Nostris antiquitus institutum, et per multas aetates magno Ecclesiae commodo observatum, ut singuli Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi certis praescriptis temporibus per seipsos, vel per certum eorum nuntium, beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli, qui hanc almam Urbem suo sanguine consecrarunt, Limina se visitaturos iureiurando pollicerentur, ut Episcoporum Romam venientium opera, et adiumento Romanus Pontifex, cui omnium ecclesiarum sollicitudo concredita est, ubique locorum gregis sibi commissi vultum agnosceret, et spiritualium ovium morbos intelligeret, curationesque opportunas adhiberet, nec quidquam omnino illum lateret earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad christianam religionem propagandam, ad animarum procurandam salutem, necessario eumdem scire, atque intelligere oportet, partim hominum culpa, partim antiqui humani generis hostis astutia, variis etiam insurgentibus temporum calamitatibus, a plurimis, in grave animarum suarum periculum, et, quibus praeerant, ecclesiarum detrimentum, negligenter observari, ex intimis animi sensibus indoluit, et statim gravi malo quotidie magis ingravescenti occurrere, et congrua adhibere remedia cogitavit.

3. Itaque per suas Apostolicas literas, quarum initium est *Romanus Pontifex,* constituit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi et Episcopi per universum terrarum orbem constituti, et deinceps ordinandi, licet Cardinalatus dignitate praefulgerent, seu eis consecratis Pallium de beati Petri corpore sumptum traderetur, aut ad aliam ecclesiam transferrentur, antequam illius regimini et administrationi se immiscerent, siquidem praesentes in curia, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si vero absentes, in manibus Antistitis ad implendum munus praedictum, aut ad tradendum pallium huiusmodi a Sede Apostolica delegati, iuramento se obstringerent, se BB. Apostolorum Petri et Pauli Limina statutis in iisdem literis temporibus personaliter per se ipsos visitaturos, ac Romanis Pontificibus pro tempore existentibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus ad ipsarum, quas regerent, ecclesiarum statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae illorum fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica recepturos, et quam diligentissime exsecuturos, prout latius in iisdem literis continetur.

4. Cum autem Abbatum, Priorum, aliorumque, qui spirituali iurisdictione quasi-episcopali in suis monasteriis et ecclesiis, eorumque territoriis, ab omni alia Episcoporum dioecesi omnimode separatis, potiuntur, nulla mentio in praefatis literis Sixti facta fuerit, hinc est, quod Abbates aliique, qui huiusmodi ecclesiis et monasteriis praeerant cum iurisdictione spirituali et territorio separato, nunquam BB. Apost. Limina visitantes, de iisdem ecclesiis et monasteriis, et grege curae suae commisso ad Romanos Pontifices referrent, adeo ut huiusmodi monasteriorum et ecclesiarum, quae *Nullius* dicuntur, status et conditio Sedi Apostolicae esset incognita, et saepe ignorarentur mala, quibus medendum esset, et laterent bona, quae Apostolica cura et studio essent fovenda et amplificanda.

5. Nos igitur cupientes omnium ecclesiarum utilitati et animarum saluti, quantum in Domino possumus, consulere ac providere, cum de omnibus, et, quod tremendum est, etiam de unius anima ante tribunal Dei rationem reddituri simus, tum etiam volentes ea, quae salubriter a Praedecessoribus Nostris instituta sunt, exactius, diligentiusque observari, ideo easdem literas Sixti V. Praedecessoris, et in eis contenta quaecumque ex certa scientia et auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus, ac etiam innovamus, omnibusque Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis mandamus et praecipimus, ut eas sedulo ac diligenter, et omnia in eis praescripta observare ac custodire studeant, et Apostolicae Sedis monitis ac praeceptis in re tanti momenti ea reverentia, atque animi cura, ac promptitudine, qua par est, pareant, atque obsequantur, et antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, sacerdotalis religionis vigorem non minus in iudicando, quam in consulendo retineant, scientes quid Apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur, a quo ipse Episcopatus, et tota auctoritas huius nominis emersit.

6. Praeterea scientia et auctoritate praedicta hac Nostra in perpetuum valitura Constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut omnes et quicumque Abbates, Priores, Praepositi aliique quocumque titulo ac nomine nuncupati, et quacumque dignitate etiam cardinalatus honore insigniti, saeculares et quorumvis Ordinum Regulares, ad monasteriorum aut ecclesiarum particulare

et separatum territorium habentium regimina iam promoti, et imposterum pro tempore, etiam per viam electionis, postulationis, aut aliter quovis modo promovendi, et monasteria seu ecclesias huiusmodi in titulum, commendam, administrationem, aut aliter quomodolibet obtinentes, vel in posterum assecuturi, qui videlicet spiritualem iurisdictionem quasi-episcopalem cum temporali etiam, vel sine, in monasteriis et ecclesiis praedictis, eorumque territoriis, districtibus, et quasi-dioecesibus ab omni alia Episcoporum dioecesi omnino seiunctis et separatis, quocumque iure et titulo, vel ex origine, vel praescriptione, vel ex indulto, et privilegio Apostolico exercent, antequam eorumdem monasteriorum, seu ecclesiarum possessionem adipiscantur, et in eorum regimine et administratione se de aliquo immisceant, siquidem praesentes in curia fuerint, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis in ordine prioris, si vero absentes, in manibus Nuntii aut Legati Sedis Apostolicae, si praesens fuerit, sin minus in manibus alicuius Episcopi, aut Archiepiscopi eorum arbitrio eligendi, cum Romana tamen Ecclesia ecclesiasticam communionem habentis, tamquam Apostolicae eiusdem Sedis Delegati, iurent iuxta formulam inferius describendam, se sacras beatorum Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos visitaturos, ac insuper Nobis ac Successoribus Nostris pro tempore existentibus, statutis hac Nostra Constitutione temporibus, rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum et ecclesiarum procuratione, in notitiam Nostram Nostrorumque Successorum perferentes quaecumque ad ipsorum monasteriorum atque ecclesiarum statum, et ecclesiasticae disciplinae in clero et populo observantiam, ad animarum salutem, quae illorum fidei creditae sunt, et ad divinum cultum et gloriam pertinent, vicissim recepturos a Sede Apostolica monita et mandata, quorum censura, et quae coercenda sunt, resecentur, et quae observanda sunt, sanciantur, et quae bene coepta atque instituta, approbatione et confirmatione Nostra Successorumque Nostrorum ad debitum finem perducantur.

7. Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, iurent, se praedicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad id speciale mandatum habentem, et de gremio suorum monasteriorum et ecclesiarum, in dignitate ecclesiastica saeculari vel regulari constitutum, aut omnino per aliquem sacerdotem saecularem, vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omni-

bus plene instructum, per quem etiam de huiusmodi impedimento docere debeant legitimis probationibus ad S. R. E. Card. Praef. S. C. Conc. transmittendis.

8. Ad hoc autem debitum visitationis et relationis suorum monasteriorum et ecclesiarum officium opportune implendum omnes Abbates, Priores, Praepositi, et quocumque alio dignitatis vel officii nomine nuncupati, tam regulares, quam saeculares, Itali videlicet vel ex Italicis insulis, veluti Siculi, Sardi, Cursi et alii adiacentium provinciarum Italiae, tertio anno: reliqui vero in aliis provinciis, regnis et terrarum orbis partibus et regionibus existentes, tam qui nunc sunt, quam qui imposterum erunt, quinto anno teneantur, diligenterque pro viribus adimplere, Nobisque et Nostris Successoribus exhibere studeant ac curent, idemque institutum tertio quoque anno et quinto repetant et observent. Haec autem annorum spatia a tempore captae possessionis, et suscepti monasteriorum et ecclesiarum regiminis et curae incipiant (1).

9. Ii vero qui de ecclesiis, et monasteriis huiusmodi iam provisi, in earum pacifica possessione a biennio et amplius reperiuntur, vel quibus praefinitum a Nobis superius tempus a die habitae possessionis iam effluxit, intra annum, si in Italia et insulis adiacentibus, intra vero biennium, si extra sunt, a die publicationis praesentis Constitutionis, ad nos praefatam suarum ecclesiarum relationem, et deinde singulis trienniis, aut aliis praestitutis temporibus pro locorum conditione et distantia ad Nos transmittere, et sacras Apostolorum basilicas visitare, et Nostro conspectui, dummodo legitime impediti non fuerint, se praesentes sistere debeant, ut S. R. E. matris suae complexu recreati, et paterno humilitatis Nostrae colloquio confirmati ad monasteria et ecclesias suas regendas alacriores et instructiores revertantur.

10. Iubemus igitur in virtute sanctae obedientiae supradictis omnibus Abbatibus, Prioribus, Praepositis, aliisque quocumque

---

(1) Notandum hic est, quod, quamvis Bened. XIV. circa spatia relationum transmittendarum a capta ab unoquoque Praelato inferiori possessione obligationem praefixerit, nihilominus id ita accipiendum est, ut eadem numerentur a die datae huius Constitutionis, nempe 9. Kal. Dec. 1740., non secus ac evenit de Episcopis, pro quibus una eademque computatio fit a die 20. Dec. 1585., quo nempe die Sixtus V. Constit. edidit incip. *Romanus Pontifex*. Haec enimvero ratio uti simplicior omnem confusionis et erroris periculum excludit. (Vid. vol. I. pag. 36. n. 84.).

titulo nuncupatis, vel quacumque dignitate praefulgentibus tam regularibus quam saecularibus, praesentibus et futuris, ut visitationem praedictam, et insuper relationem statutis a Nobis temporibus faciendam, sibi suisque monasteriis et respective ecclesiis adeo utilem et necessariam, iuxta praescriptam alias Episcopis formam, omnino conficiant: si vero, quod absit, a Nobis praecepta et constituta prompte exsequi neglexerint, eos ab ingressu ecclesiae, ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suorum monasteriorum et respective ecclesiarum ab Episcopo vel Archiepiscopo, monasterio, aut ecclesia *Nullius* viciniori, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricae, seu ornamentorum ecclesiae emptionem, prout maior exegerit necessitas, insumendorum, ipso facto tamdiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis eiusmodi a Sede praedicta meruerint obtinere.

11. Non obstantibus (repetuntur ad literam §. 10. ac 11. Constit. *Romanus Pontifex*, excepta illa periodo, quae incipit *Ceterum*).

12. Formula autem iuramenti praestandi ab Abbatibus aliisque monasteria seu ecclesias habentibus cum iurisdictione quasi-episcopali et territorio separato talis est:

– Ego N. ab hac hora in antea fidelis et obediens ero B. Petro Apostolo, sanctaeque Romanae Ecclesiae, et D.N. Bened. PP. XIV., suisque Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, seu capiantur mala captione, aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero, quod mihi credituri sunt, per se aut nuntios suos, seu literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam. Papatum Romanum et regalia Sancti Petri adiutor eis ero, ad retinendum et defendendum, salvo meo Ordine, contra omnem hominem; Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo, iura, honores, privilegia et auctoritatem S. R. E., Domini Nostri Papae et Successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo. Neque ero in consilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum D. N., vel eamdem R. E. aliqua sinistra, vel praeiudicialia personarum, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur. Et si talia a quibuscumque tractari, vel pro-

curari novero, impediam hoc pro posse. Et quanto citius potero, significabo eidem D. N. vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes, seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari; haereticos, schismaticos ac rebelles eidem D. N., vel Successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Sacras BB. Apostolorum memorias singulis trienniis * personaliter ac per me ipsum visitabo, et D. N. Successoribusque praefatis rationem reddam de commisso mihi munere, deque rebus omnibus ad mei monasterii, seu ecclesiae statum, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata Apostolica humillime recipiam, et quam diligentissime exsequar: Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem de gremio conventus monasterii mei *, aut alium in ecclesiastica dignitate constitutum, seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus, per aliquem alium presbyterum saecularem vel regularem spectatae probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Card. Congr. S. Conc. Praefectum per dictum nuntium transmittendas. Possessiones vero ad monasterium meum pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu conventus monasterii mei, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas, eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. –

§. 13. Nulli ergo etc.

Datum apud S. Mariam Maiorem an. Incarn. Domin. 1740. IX. Kal. Decembr.

III.

Ex Sixti V. Constit. Immensa aeterni, *super institutione Congregationum. – Institutio Congregationis pro exsecutione et interpretatione Concilii Tridentini.*

(Ad pag. 32. vol. I.)

Summarium. 1. Soli Summo Pontifici competit generalia Concilia indicere, synodalia decreta interpretari et eorum exsecutionem urgere. Summus Pontifex dogmatica Conc. Trid. decreta interpretanda sibi reservat; circa alia mores ac disciplinam respicientia S. C. C. instituit. – 2. Eidem Congr. iniungit provincialium Conciliorum celebrationem provehere, eorumque decreta expendere ac recognoscere. Item Episcoporum sacra Apostolorum Limina visitantium postulata audire; eorumdem relationes de statu ecclesiarum suarum exquirere, expendere et congruis responsionibus dimittere; denique cleri ac populi in universo catholico orbe iuxta Conc. Trid. praescripta reformationem promovere.

1... Deo autem Patri misericordiarum gratias agentes, qui in oecumenico Concilio Tridentino, Spiritus Sancti lumine diffuso, catholicam veritatem omnibus patefecit, haereses nostrorum temporum confutavit, mores et disciplinam restituit, eiusdem Concilii decreta ab omnibus observari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, et, ut ubique locorum serventur, curare ac praecipere; eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem Nobis ipsis reservamus; Cardinalibus vero praefectis interpretationi et exsecutioni Concilii Tridentini, siquando in his, quae de morum reformatione, disciplina, moderatione et ecclesiasticis iudiciis, aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas, aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, Nobis tamen consultis, impertimur.

2. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum est, Synodos provinciales tertio quoque anno, dioecesanas singulis annis celebrari debere, id in exsecutionis usum ab iis, quorum interest, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet. Patriarcharum praeterea, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum (quibus beatorum Apostolorum Limina certo constituto tempore visitare alia Nostra

sanctione iussum est) postulata audiat, et, quae Congregatio ipsa per se poterit, ex charitatis et iustitiae norma expediat, maiora ad Nos referat, qui fratribus nostris Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iisdem Praesulibus ecclesiarum exposcat, quae in ecclesiis eorum curae ac fidei commissis cleri populique morum disciplina sit, quae Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus tum praesertim in residentiae munere, exsecutio: quae item piae consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sit progressus; ipsisque det literas ex formula praescripta in testimonium obitae per eos visitationis Liminum sanctorum eorumdem Apostolorum. Habeat itidem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem cleri et populi nedum in Urbe et statu ecclesiastico temporali, sed etiam in universo christiano orbe, in iis, quae pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores christiani populi ad praescriptum eiusdem Concilii componendos, atque ad rationes difficillimis his perturbatisque temporibus necessarias conformandas, quo uberius divinae misericordiae vim in Nobis sentiamus, iustamque iram atque animadversionem effugiamus.

III[a].

Instructio S. C. de Propaganda Fide super Visitatione SS. Liminum.

(Ad pag. 36. vol. I.)

1. Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis iuxta SS. Patrum et canonum statuta incumbunt, illud profecto est accensendum, quod ipsi sacra Apostolorum Limina visitare, eaque occasione Romano Pontifici obsequium ac obedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento deque omnibus, quae ad ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque ipsis creditarum salutem pertinent. Quod quidem officium, unitatis et communionis cum Apostolica Sede quaedam veluti tessera, ex iis iuribus sponte fluit, quae Romano Pontifici vi primatus, quo ex divina institutione in universam pollet Ecclesiam, inhaerere compertum est. Nemo autem ignorat, quae hoc in themate fel. rec. Sixtus V. in celebri Constit. *Romanus Pontifex* die 20. Decembris 1585. edita praescripsit.

2. Cum vero nonnulla identidem suboriantur dubia circa modum, quo huic muneri sacrorum Antistites satisfacere debeant, atque inde graves anxietates ob sacramenti religionem, quo se illud impleturos spoponderunt, S. Consilium christiano Nomini propagando propositum sollicitudinis suae partes esse duxit, Sixtinam Constitutionem opportune declarare, ut, quo enucleatior erit legis dispositio, eo promptius ab omnibus exsecutioni mandetur.

3. Et praeprimis recolere praestat, quod in §. 7. memoratae Constitutionis praescribitur: « Ad hoc autem debitum visitationis » officium commode explendum omnes Patriarchae, Primates, » Archiepiscopi et Episcopi, Itali videlicet vel ex italicis insulis, » unde commodius in Italiam traiici potest, veluti Siculi, Sardi, » Cursi, et alii adiacentium provinciarum Italiae ac etiam Dal» matiae et Graecarum, quae e regione ipsius Italiae et Siciliae » oris sunt, *tertio anno;* Germani vero, Galli, Hispani, Belgae, » Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, Hiberni, et ceteri omnes, qui » in Europa sunt circa mare Germanicum et Balticum, ac omnium » insularum maris mediterranei, *quarto anno;* et qui intra Eu» ropae fines sunt, his provinciis remotiores, ac etiam Africani » litoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrio» nalis et occidentalis Europae et Africae citra continentem novi » orbis.... *quinto anno;* Asiatici vero, et qui extra Asiam et in » aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus » et septentrionalibus, tam in insulis quam in continentibus, et » denique in quibuslibet mundi partibus *decimo anno*, iter su» scipiant, et, Deo concedente, perficiant. »

4. Iam vero saepe quaesitum fuit, undenam in computando triennio, quadriennio etc. exordiri oporteat. Et quidem alii opinati sunt, ea temporis intervalla Episcopos computare debere a die, quo ad Sedem episcopalem in Consistorio renuntiati sunt, aut quo Literae Apostolicae ipsis expeditae fuerunt; alii a die consecrationis, alii denique a die acceptae Sedis possessionis. Quidam etiam existimarunt, initium temporis ad SS. Liminum Visitationem peragendam sumendum esse a die, quo dioecesis erecta fuit. Hinc ad aures S. Congregationis pervenit, variam hac super re variis in regionibus praxim invalescere coepisse.

5. Ad omnes huiusmodi opiniones e medio tollendas sat est, ea, quae Sixtus V. constituit, sedulo inspicere; aperte enim in §. 8. Constitutionis praefatae enuntiatur, a die publicationis eius-

dem Constitutionis Episcopos ad SS. Apostolorum cineres visitandos omnino teneri. Quemadmodum igitur scribit Fagnanus (1), praedicta annorum spatia omnibus incipiunt currere a die, quo Bulla Sixti V. edita fuit, hoc est a die 20. Decemb. 1585. Nec difficultatem facessunt, quae in §. 7. leguntur; nam, ut idem auctor observat, « verba Bullae – *Haec autem annorum spatia* – » non ita sunt accipienda, ut initium computationis triennii vel » quadriennii etc. sumi debeat a die consecrationis, susceptionis » vel translationis huiusmodi, sed hunc habent sensum, ut eo ipso » quo quis est consecratus, incipiat sibi currere obligatio visitandi » Limina, non autem, ut spatia supradicta ab eo tempore compu- » tari debeant. Et hanc interpretationem semper habuerunt ea » verba in S. C. Conc. Haec autem computatio fieri debet ab ipsa » die publicationis Bullae exclusive, et sic in fine cuiusque trien- » nii etc. vel decennii integra dies vigesima Decembris cedit com- » modo Episcoporum, adeo ut tempus ad visitandum praefixum » duret usque ad ultimum momentum eius diei. Ita enim sta- » tuitur pro regula, ut dies termini non computetur in termino.» Re vera praelaudata S. Congregatio Concilii, ut omne dubium amoveret, per encyclicas literas ad universi orbis catholici Praesules die 16. Novembris an. 1673. datas significavit, unum eumdemque perpetuo et ab omnibus observandum esse terminum pro sacra Visitatione, qui est dies editae in lucem Sixtinae Constitutionis (2).

6. Idipsum Sac. haec Congregatio de Prop. Fide an. 1802. Episcopis Hiberniae enuntiavit; et anno 1865. cuidam ex Archiepiscopis Americae Foederatae scribebat: « triennia etc. decennia » ita esse computanda, ut, initio sumpto a die, quo praedicta » Constitutio edita fuit, nimirum a die 20. Decembris 1585., per- » perpetuo et sine alia interruptione pro omnibus successoribus » Episcopis decurrant. »

7. At nuper controversia mota est, *an etiam pro sedibus recenter erectis tempus Visitationis sacrae computandum sit a die publicationis Constit. Sixtinae.* Nec defuit inter recentiores canonum doctores, qui arbitraretur, triennia, quatriennia etc., quod ad dioeceses attinet post Sixtum V. erectas, computanda esse a

(1) In II. Lib. *Decret.* in cap. *Ego N. Episcopus* IV. *de iureiur.* n. 36.
(2) Vid. caus. *Carpectoraten.* diei 19. Feb. 1718. in princ.

die, quo primus noviter erectae dioecesis Episcopus administrationem suscepit.

8. Sed nulla suppetit ratio, cur Episcopi novarum dioecesum aliam a ceteris dimetiendi temporum spatia pro Visitatione SS. Liminum rationem sectentur; ipsi enim quoque Sixtinae Constitutioni, sicut in aliis dispositionibus, quas continet, ita et in hac adhaerere debent. Quocirca propositae mox quaestioni Emi Patres huius S. Consilii in generalibus Comitiis die 3. Maii 1875. post maturam deliberationem decreverunt, respondendum esse *affirmative*, nimirum etiam ab Episcopis, qui sedibus recenter institutis praesunt, praefatam regulam esse retinendam.

9. Quae cum ita sint, cum quispiam ad episcopalem Sedem, sive ex veteribus, sive ex novis, evehitur, diem, quo lex Sixti V. prodiit, prae oculis habeat; et si, praefiniti temporis inde incipiens computationem, noverit, eius praedecessorem vertente triennio, quatriennio etc. oneri SS. Liminum Visitationis haud fecisse satis, sciat ipse, se ad eam absolvendam adstringi. Iuverit iterum audire Fagnanum, qui scribit (1): « Ex praescripto huius Constitutionis Sixti V. §. *Ad hoc autem*, vers. *Quae ne longius differantur* etc. tempus qualecumque excursum alicui ex Episcopis, qui sive morte praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitum tempus ei praescriptum Limina non visitaverit, ita intelligi effluxisse et excurrisse illius successori, ut, termino ipso, iuxta praedecessoris sui iusiurandum, completo, debitam visitationem conficere teneatur. Quae verba non eum habent sensum, ut Episcopus successor teneatur visitare pro omnibus trienniis etc., pro quibus eius praedecessor non visitavit....., sed illa verba ita sunt accipienda, ut Episcopus nuper conse-» cratus, si eo triennio etc., quod eo tempore currit, eius praedecessor non visitaverit, teneatur ipse visitationem perficere.» Si proinde incoepto iam triennio etc. Episcopus SS. Limina adiverit, relationemque suae dioeceseos exhibuerit, ac postea e vivis migraverit, neutrum repetere successor tenetur; persolutio enim praedecessoris successori suffragatur (2).

10. E contra, si quis dioeceseos curam assumpserit paulo ante quam triennium etc. sub antecessore incoeptum ad exitum perve-

(1) Fagn. loc. cit. n. 46.
(2) Fagn. loc. cit. n. 47.

niret, cum temporis defectu nondum in promptu possit habere quae ad statum propriae ecclesiae referendum requiruntur, succurrit remedium implorandae prorogationis, quae hisce praesertim in adiunctis a S. Sede facile impertitur.

11. Notum est, ipsam Sixtinam legem Episcopis consulere, qui, legitimo impedimento detenti, ad Apostolorum sepulchra personaliter se conferre non possunt; id enim per procuratorem ipsis praestare permittitur. Immo quoad procuratoris deputationem facilius ac remissius agi coepit, ut inde a sua aetate animadvertebat s. m. Bened. XIV (1), et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est. « Unde si Episcopus iusto quolibet impe» dimento detentus a S. C. licentiam petat visitandi Limina per » procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi canonicum » aliquem, aut sacerdotem dioecesis suae iam in Urbe existentem, » et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum ne» gotiorum gestorem aut agentem, de rebus ecclesiae et dioecesis » probe instructum, dummodo ecclesiastico caractere insignitus » sit, facta Romano Pontifici per Secretarium ipsius Congregationis » instantiae illius relatione, non ita frequenter reiici solet, ut olim » evenisse constat, sed petita licentia et facultas passim benigne » conceditur. » Pariter ad procuratoris munus olim haud admittebatur sacerdos regularis, nisi probata deficientia Capituli et cleri saecularis, exceptis fortasse ecclesiis remotissimarum regionum (2); sed in hoc etiam sequioribus temporibus S. Sedes sese faciliorem praebere consuevit.

12. Quae communiora ac potissima sint impedimenta, quibus Episcopi a Romano itinere suscipiendo excusantur, videre est penes rerum canonicarum tractatores *ad Cap. IV.* Ego N. *de iureiur.* Ea vero sic perstringit Catalanus (3): « Est quidem munus et rei» publicae officium episcopatibus adiunctum..., item aetas gravis, » hostilitas quoque ac timor hostium, incursus latronum, pestis et » alia id genus, quorum tamen quaedam impedimenta Antistites » profecto excusant a visitatione personali tantum, non vero ab » illa, quae per certum nuntium fieri solet, veluti aegritudo, de» crepitas, munus episcopatui adiunctum et similia, quae personam

(1) De *Syn. dioec.* L. XIII. Cap. IV. n. 3.
(2) Ibid.
(3) Comment. Pont. Rom. Tom. I. ad §. IX.

» respiciunt ipsius Episcopi. Sunt autem quaedam alia impedimen-
» ta, quae etiam a mittendo Romam certum nuntium Episcopos
» excusant, ut ex. gr. pestis, viarum obsessio, hostilitas, modo
» tales sint, quae impediant accessum dioecesanorum ad Urbem.»
Ceterum tot esse possunt huiusmodi impedimenta, quot peculiares cuiusque personae circumstantiae, quibus fiat, ut sine magna difficultate aut gravi incommodo urbs Romae adiri non possit.

13. Sed facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant. Et, si ad debitum Visitationis officium *commode*, ut ipse ait, explendum, Sixtus V. praedicta temporum intervalla praescripsit, *variam*, ut verbis utamur Benedicti XIV (1); *locorum atque dioecesium ab Urbe distantiam summa aequitatis ratione perpendens*, quid in praesens tam facile, quam intra ea intervalla ad Urbem accedere? S. igitur Congregatio sibi persuadet, SS. Antistites huic muneri, cui sese, interposito sacramento, obstrinxerunt, nedum statis a Sixto V. temporibus nunquam esse defuturos, sed immo spem fovet in Domino, ut, magistrorum veritatis Petri et Pauli sepulchra, fidelium animas illuminantia, coram veneraturi suam huc praesentiam saepius etiam exhibeant. Quod certe ipsi libenter praestabunt, modo attenta consideratione revolvant illud Sardicensis Concilii (2) « optimum et valde con-
» gruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri Apostoli Sedem,
» de singulis quibuscumque provinciis domini referant sacerdo-
» tes. » Ita enim fit, ut Romanus Pontifex, cui omnium ecclesiarum sollicitudo concredita est, Praesulum Romam adventantium opera et adiutorio ubique locorum christiani gregis necessitates agnoscere, spiritualium ovium morbos intelligere, et aptiora remedia adhibere valeat, nec quidquam ipsum lateat earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad religionem propagandam, ad animarum bonum promovendum necessario eum scire oportet. Plura sane negotia per epistolam possunt expediri; nemo tamen inficias ibit, plura esse alia, quae melius nequeant pertractari,

(1) Loc. cit. n. 5.
(2) Epist. Syn. ad Iul. I. Rom. Pont. apud Labbaeum, tom. II. col. 690. edit. Venet.

quam si os ad os alloquamur. Accedit etiam, quaedam aliquando occurrere, quae secreti fidem ita postulant, ut ea scripto mandare periculosum sit; hinc fel. rec. Bened. XIII. in Rom. Synodo an. 1725. (1). Episcopos monet, « ne ita passim personali ab hac » Visitatione se dispensent, monita hic multa et sane proficua » eorumdem SS. Ecclesiae Principum patrocinio et Summi Pon» tificis vivae vocis oraculo percepturi, quae scriptis aliquando » nequeunt consignari. »

14. Ne itaque pigeat SS. Antistites ad Urbem, quam Apostolorum Principes suo sanguine consecrarunt, ex dissitis etiam regionibus properare, eum etiam in finem, ut arctioribus usque vinculis cum supremo Ecclesiae capite et duce coniuncti, eo fortius praeliari praelia Domini pergant, quo maiore in dies impetu ac velut agmine facto christianae reipublicae hostes eam oppetere adnituntur.

15. Hanc autem S. Congregationis instructionem SSmo D. N. Pio PP. IX. per me infrascriptum Secretarium in audientia diei 13. elapsi mensis relatam Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit, eique Apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C. die 1. Iunii 1877.

IV.

Bened. XIV. Constit. Decet Romanum Pontificem, *qua erigitur Congregatio particularis nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum, Congregationi Card. Concilii Trid. interpretum adiecta pro excipiendis examinandisque relationibus Episcoporum, Abbatum etc. super statibus eorumdem ecclesiarum.*

(Ad pag. 39. vol. I.)

Summarium. 1. De duabus Constit. Sixti V. *Romanus Pontifex,* et Benedicti XIV. *Quod sancta.* – 2. Causae, quibus ductus Summus Pontifex alteram hanc Constitutionem promulgat, in qua Congregationem particularem erigit, eiusque peculiaria munera designat. – 3. Nomina Praelatorum, qui in eam Congregationem primo loco adlecti fuerunt, itemque Cardinalis Praefecti et Secretarii, necnon illius, qui Congregationis nomine ad Episcopos aliosque Praesules rescriberet. – 4. Clausulae derogatoriae.

Decet Romanum Pontificem, pro divinitus credita sibi Dominici gregis cura, non solum quae catholicae Ecclesiae utilia ac

(1) Tit. XIII. Cap. I.

salubria sunt, et sacris canonicis et Apostolicis Constitutionibus consona, constituere, sed evangelici patrisfamilias exemplo, pro cuiusque ingenii et facultatum viribus talenta distribuendo, celeri etiam eorum, quae decreta sunt, exsecutioni prospicere.

1. Alias quidem fel. rec. Sixtus PP. V., Praedecessor Noster, per suas Apostolicas Literas, quarum initium est *Romanus Pontifex*, decrevit, ut omnes Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi iuramento promitterent, se certis statutis temporibus beatorum Apostolorum Petri et Pauli Limina personaliter ac per se ipsos visitaturos: legitimo autem impedimento detentos, per certum nuntium id adimpleturos, rationemque reddituros Romanis Pontificibus pro tempore existentibus de toto eorum pastorali officio deque rebus omnibus ad ipsarum, quibus praeessent, ecclesiarum, statum quovis modo pertinentibus, ut idem Sixtus Praedecessor deinde per consimiles Literas, quae incipiunt *Immensa*, Congregationi S. R. E. Card. super interpretatione et exsecutione Conc. Trid., demandavit, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum eorumdem postulata audirent, et quae per se possent, ex charitatis et iustitiae norma expedirent, maiora ad se, suosque Successores referrent. Nos vero necessariis ac legitimis causis animum Nostrum moventibus, per Literas Nostras nuper emanatas praefati Sixti Praedecessoris Literas de sacris visitandis beatorum Apostolorum Petri et Pauli Liminibus, et omnia in eis contenta confirmavimus atque innovavimus; praecipientes praeterea et mandantes omnibus Abbatibus, Prioribus, Praepositis, aliisque quacumque dignitate etiam cardinalatus honore insignitis, tam regularibus, quam saecularibus, qui monasteriis, seu ecclesiis, quae *Nullius* nuncupantur, cum iurisdictione spirituali et territorio separato, quocumque iure et titulo praeficiuntur, ut antequam suorum monasteriorum, et respective ecclesiarum possessionem adipiscantur, in manibus S. R. E. Diaconi Cardinalis ordine prioris, si praesentes Romae fuerint, si autem absentes, in manibus Nuntii, vel Legati Sedis Apostolicae, seu alicuius catholici Antistitis eorum arbitrio eligendi, se iuramento obstringant, se sacras beatorum Apostolorum Petri et Pauli memorias personaliter ac per se ipsos, vel legitime impeditos per certum eorum nuntium visitaturos; et insuper certis praescriptis temporibus rationem reddituros de commissa sibi monasteriorum, seu ecclesiarum procuratione, aliisque omnibus, quae ad procu-

rationem, aliisque omnibus, quae ad ipsarum ecclesiarum et monasteriorum statum, ecclesiasticam cleri et populi disciplinam, ad animarum salutem, et ad divinum cultum et gloriam pertinent, prout in singulis eiusdem Sixti Praedecessoris, et Nostris respective Literis praedictis, quarum integros tenores hic pro plene ac sufficienter expressis et insertis haberi volumus, plenius continetur.

2. Cum autem, sicut Nobis, dum adhuc in minoribus versaremur, innotuit, ven. Fratres Nostri S. R. E. Card. decretorum eiusdem Conc. Trid. interpretes tantis negotiorum curis, causarum multitudine, et gravissimarum occupationum mole distineantur, ut serius quam optarent, non sine aliquo ecclesiarum detrimento, et nonnullorum querela, postulata, quae occasione visitationis sacrorum Liminum fieri solent, audire et responsa praebere cogantur literis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, qui legitimis impedimentis detenti, quominus se in hanc Urbem conferre possint, absentes, vel Romae praesentes, debitae suarum ecclesiarum relationis officium in scriptis, ut moris est, adimplent: Nos huiusmodi incommodo remedium adhibere, eidemque Congregationi S. R. E. Card. decretorum praedictorum interpretum opportunum levamen afferre satagentes, necnon ven. Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum, quos in visceribus charitatis gerimus, votis ac desideriis, quantum in Domino possumus, satisfacere et sollicitae literarum et responsionum huiusmodi expeditioni providere cupientes, inhaerentes etiam exemplis SS. Nostrorum Praedecessorum, e quibus B. Damasum, Praedecessorem Nostrum, in chartis ecclesiasticis iuvisse, et orientis occidentisque consultationibus respondisse de se beatus Hieronymus affirmat, ex certa scientia, et Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine tenore praesentium perpetuo erigimus, instituimus et decernimus particularem Congregationem nonnullorum Romanae Curiae Praelatorum a Nobis et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris pro tempore deputandorum, quorum munus et officium illud dumtaxat esse volumus, eorumdem ven. Fratrum Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum, necnon dilectorum filiorum Abbatum, Priorum, Praepositorum, aliorumque tam saecularium quam regularium separatum territorium habentium, et iurisdictionem quasi-episcopalem in locis sibi subiectis exercentium, postulata, quae

in scriptis exhibita fuerint, et literas eidem Congregationi Card. decretorum praedictorum interpretum, vel Nobis directas, et a Nobis ad praefatam Congregationem remissas, diligenter inspicere, omniaque in eis contenta in eorum conventibus et particularibus congregationibus, quarum prima coram Nobis habenda erit, accurate exponere, ut communi consilio omnibus consideratis atque perpensis, quae maioris momenti videbuntur, ad ipsos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales interpretes praedictos, et deinde per eiusdem Congregationis Secretarium ad Nos, quoties coram Nobis praedicta particularis Congregatio habita non fuerit, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, referantur, ut votis eorumdem Card. et Praelatorum auditis, de rebus gravioribus ex omnibus provinciis, et terrarum orbis partibus ad Sedem Apostolicam a primis Ecclesiae temporibus referri solitis, prout in Domino videbitur expedire, statuere, et Episcoporum aliorumque Praesulum postulatis et desideriis obsequi, quantum ex alto conceditur, valeamus.

3. Et quoniam in optatis Nobis est, ut ad huiusmodi munus obeundum viri eligantur idonei, ideo Nos ven. frat. Iosephum de Saporitis, Archiepiscopum Anazarbensem, et dilectos filios magistros in utraque Nostra signatura Referendarios Antonium Mariam Erba, Bartholomaeum Olivatium, Iosephum M. Castellum, Nicolaum Antonellum, in praedictae part. Congr. a Nobis, ut praefertur, erectae et institutae Praelatos earumdem tenore praesentium deputamus, nominamus et constituimus: eosdem autem Praelatos a Nobis, ut supra, deputatos, et a Romano Pontifice pro tempore deputandos, praefatae Congregationi S. R. E. Card. eiusdem Trid. Syn. decretorum interpretum Apostolica auctoritate praedicta ita adiungimus, et subiective aggregamus, ut eidem Congregationi tanquam membra capiti in praemissis obsequantur, et in commisso sibi munere suffragentur, proptereaque Nos eorumdem Praelatorum particulari Congregationi Praefectum dilectum filium Nostrum Antonium Xaverium tituli sancti Stephani in Monte Coelio eiusdem S. R. E. Presbyterum Card. de Gentilibus nuncupatum, modernum Congregationis praedictae Cardinalium Decretorum Concilii interpretum pariter Praefectum, Secretarium vero ven. frat. Carolum Albertum Guidonum Cavalchini, Archiepiscopum Philippensem, etiam modernum eiusdem Congregationis Secretarium, eorumque in praefecturae, et secretarii re-

spective munere successores itidem perpetuo constituimus et deputamus. Insuper quia opportunum et congruum arbitramur, ut is, qui eidem Congregationi S. R. E. Card. decr. Concilii interpretum in latinis literis Episcopis rescribendis operam praebet, de rerum tractationibus in particularibus praedictorum Praelatorum conventibus, seu congregationibus habendis plene sit instructus, ad hoc, ut per eum praedictae Congregationis Cardinalis Praefectus eisdem fratribus Episcopis, aliisque Praesulibus supradictis, eorumque potissimum postulatis diligentius ac commodius possit satisfacere, volumus, et eadem Apostolica auctoritate statuimus, ut dilectus quoque filius magister Aenaeas Sylvius Piccolomineus, qui nunc est, et qui fuerit deinceps, eidem Congregationi latinarum epistolarum huiusmodi a secretis, in eorumdem Praelatorum conventibus, seu congregationibus locum habere, et personaliter interesse, non tamen in eis votum ferre possit et valeat.

4. Non obstantibus quacumque contraria consuetudine, quam ad praemissorum effectum, quatenus opus sit, abrogamus et abolemus et abrogatam et abolitam esse volumus, necnon quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Ut autem haec omnibus innotescere possint, volumus et mandamus, ut praesentium exempla etiam impressa, et manu Card. Praefecti supradicti subscripta, eiusque sigillo munita, eamdem ubique locorum fidem faciant, quam praesentes facerent, si in medium exhibitae essent, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae voluntatis, constitutionis, ordinationis, decreti, statuti, erectionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarn. Dominicae 1740., IX. kal. Dec. Pontif. Nostri anno I. – P. Card. Prod. D. Card. Passioneus. Visa de curia N. Antonellus – I. B. Eugenius – Publicata die 15. Dec. eiusdem anni.

V.

Benedicti Papae XIII. Literae Apostolicae Pius et misericors, *quibus per totam Italiam et insulas adiacentes providendis de beneficiis ecclesiasticis, non affectis, aut reservatis S. Sedi, demandatur solutio mediae annatae favore fabricae metropolitanarum et cathedralium, ac collegiatarum respective ecclesiarum.*

(Ad pag. 71. vol. I.)

Summarium. 1. Dei domibus conservandis consulere maxime decet. – 2. Itaque Summus Pontifex in Italia et insulis adiacentibus, ut cathedralium et collegiatarum decori prospiciat, mediam annatam, seu medios fructus beneficiorum primi anni, addicit earumdem fabricae; quae beneficia excipiantur. – 3. Medii iidem fructus, prout exacti fuerint, penes idoneam personam deponantur. Si fabrica non indigeat, mediae annatae in fundis stabilibus collocentur. – 4. Si aliter agatur, quinam teneantur ad reficienda damna. – 5. Quomodo in fabricis eroganda sit media annata. – 6. Media annata exigenda est iuxta provisiones hic expressas. – 7. Excipitur archidioecesis Beneventana. – 8. Excipiuntur illae dioeceses, ubi aliunde provisum est reparationi fabricarum. – 9. Clausulae salutares, derogatoriae, cum decreto irritanti.

1. Pius et misericors Dominus, qui, dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiae recordatur, templa Dominica construi, et divinis precibus consecrari voluit et praecepit, in quibus cum hominibus habitat, ut plebs fidelis per oblationes, et pacificas hostias devotae orationis iram iudicis mitiget, ipsius clementiam humiliter postulando. Ne igitur domos Dei, quas decet sanctitudo, et quarum decorem summopere diligendum sacra eloquia testantur, propter temporum iniuriam collabi, in peius ruere, minusque decenter retinere contingat, sacri canones modis omnibus providere non omiserunt.

2. Verumtamen experientia ostendit, quod dolenter dicimus, hactenus constituta haud sufficienti praesidio fore, ut sacrarum legum vota adimpleantur; quamobrem, cum ad universalis Ecclesiae pastorem pertineat, vigili cura in re tam sancta, in qua nulla sollicitudo nimia videri potest, nova subministrare subsidia, praesertim ubi de reparandis, iisve debito modo conservandis ecclesiis cathedralibus agitur, et collegiatis, in quibus fidelis populus frequentius ad orandum convenire solet, de consilio non-

nullorum venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et aliquot insuper dilectorum filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quos ad id specialiter deputavimus, consilio, ac etiam Motu-Proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praecipimus et mandamus, per totam Italiam et insulas adiacentes, ut in posterum provisi de parochialibus una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae Romanae excedentibus, et de canonicatibus et beneficiis, tam residentialibus, quam non residentialibus, et simplicibus, sitis extra ecclesias collegiatas, cuiuscumque valoris existant, teneantur solvere, et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae cathedralis; provisi vero de parochialibus una cum incertis annuum reditum scutatorum centum monetae praefatae excedentibus, et de canonicatibus, et beneficiis tam residentialibus, quam non residentialibus, et simplicibus, sitis in ecclesiis collegiatis, vel ad illas translatis, cuiuscumque valoris existant, itidem teneantur solvere, et respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae, sive beneficia praedicta liberae collationis, sive iurispatronatus mixti, ac etiam laicalis fuerint, et ad quemcumque electio, collatio, institutio et provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum et Ordinarium, sive ad Capitulum, sive ad alium quemcumque inferiorem, dummodo collationis, institutionis et provisionis sanctae Sedis minime existant, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex mensium, aut similem, non tamen minorem ratam favore fabricae vel sacristiae; utroque enim in casu pro fabrica praedicta nihil solvendum aut deponendum erit.

3. Ut autem praemissa, quae ad consulendum debito metropolitanarum et cathedralium ac collegiatarum ecclesiarum decori disposita dignoscuntur, suum sortiantur effectum, praecipimus et mandamus, quod mediae annatae huiusmodi deponantur penes personam idoneam, ab Episcopis cum scientia et consensu Capitulorum deputandam et successive ab eisdem, deficiente necessitate occurrendi reparationi ecclesiae, investiantur et collocentur in stabilibus, et fundis, seu capitalibus tutis, securis, atque fructiferis ac, ubi fieri poterit, in locis Montium cameralibus non vacabilibus, pro dote fabricae singularum ecclesiarum praedictarum; ac eiusmodi dotum annuus proventus non in alium usum,

quam reparationis, conservationis et manutentionis fabricae earumdem ecclesiarum, ab uniuscuiusque Praesulibus, cum scientia pariter et consensu suorum Capitulorum in occurrentibus casibus erogetur, et quotiescumque dictas ecclesias reparatione non indigere constiterit, annui etiam fructus et fructuum dotum praedictarum in aliis stabilibus fundis et capitalibus tutis atque fructiferis, ac respective in aliis locis Montium eodem prorsus modo reinvestiantur et collocentur, ad hoc, ut ipsaemet dotes maiora in dies, benedicente Domino, suscipiant incrementa, adeoque earum reditus supportando reparationis fabricae ipsarum ecclesiarum oneri satis esse possint.

4. Ceterum super praemissis omnibus, ac praesertim super iis, quae rectam et fidelem praefatarum dotum administrationem respiciunt, eorumdem Archiepiscoporum, Episcoporum et Praelatorum inferiorum atque etiam Capitulorum conscientiam peculiariter et districte oneramus; ac insuper quoties Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii inferiores, ac respective Capitula in aliquo ex his defecerint, ita ut vel ratione minus fidelis idoneique depositarii, aut ex causa non facti, vel minus tuti, et exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod praeiudicium emerserit patrimonio fabricae, ipsi Archiepiscopi, Episcopi, vel Ordinarii inferiores, et respective Capitula, et singuli canonici, qui defecerint, eorumque haeredes et successores teneantur ad omnia damna, et interesse favore praedictae fabricae, eorumdemque bona omnia pro potiori cautela affecta sint, et specialiter hypothecata favore eiusdem fabricae.

5. Quoniam vero Nostrae mentis non est, per hanc Nostram Constitutionem, ut praemisimus, sacrorum canonum statuta et praesidia minuere, sed, quantum in Domino possumus, augere favore ecclesiarum, declaramus, et expresse volumus, firmissimum nihilominus manere onus reparandi, restaurandi et manutenendi ecclesias cathedrales Episcopis a iure iniunctum; ita ut in restaurandis, reparandis et conservandis ecclesiis cathedralibus, antequam tangantur fructus, seu capitalia favore fabricae, vigore huius Constitutionis conficienda, teneantur Episcopi, et ad normam sacrorum canonum exquiratur de eorum obligatione.

6. Praetereaque decernimus, hanc Nostram Constitutionem locum habere favore omnium ecclesiarum cathedralium et colle-

giatarum totius Italiae et insularum adiacentium, tametsi pro nonnullis ecclesiis editae fuerint aliquae provisiones, sicuti per fel. rec. Innocentium PP. XIII., Praedecessorem Nostrum, pro tribus ecclesiis, nempe Auximana, Viterbien., et Tuscanen., et per Nos hactenus pro quatuor, scilicet Nuscan., Vigilien., Castellanaten., et Sypontina, mediante reservatione ratae pensionis super fructibus earumdem ecclesiarum ad certum tempus favore fabricae earumdem ecclesiarum, actum fuisse constat, et in universum pro ecclesiis regni Neapolitani emanaverit Constitutio s. m. Innocentii Papae XII., etiam Praedecessoris Nostri, incipiens *Inscrutabili*, et supervenerit alia Nostra ampliativa, incipiens *Sacrosancti Apostolatus*.

7. Excipimus tamen ab hac Constitutione beneficia Nostrae Archidioecesis Beneventanae; dudum enim eorum respectu per aliam Nostram Constitutionem, incipientem *Romanus Pontifex*, confirmando, declarando et ampliando antiquam Constitutionem fel. rec. Pii PP. II., pariter Praedecessoris Nostri simile iniunximus onus beneficiis, in universa Archidioecesi existentibus.

8. Volumus autem, quod huic Nostrae Constitutioni, seu solutioni mediae annatae praedictae minime subiecta existant beneficia illarum dioecesum, et respective collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium fabricae, sufficienter instructum, aut onus, seu obligatio reparandi, restaurandi et conservandi ecclesias residet penes communitates locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum patroni, qui nisi reparare et manutenere velint easdem ecclesias, earum patronatum amittere debent. Cum enim in his satis consultum sit reparationi et conservationi ecclesiarum, nolumus aliud superaddere beneficiatis impendium, quod vergeret in sublevamen eorum, qui de iure tenentur.

9. Decernentes easdem praesentes ac praeinsertas Literas semper validas, firmas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, quomodolibet in futurum, inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, aliosve quoslibet, quavis praeeminentia et potestate fungentes, et fun-

cturos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ac auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si quid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo: necnon constitutionibus et ordinationibus, etc.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, approbationis, innovationis, ampliationis, restitutionis, reintegrationis, decreti, declarationis, statuti, voluntatis, mandati, constitutionis, assignationis, praecepti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1725. IV. Idus Maii, Pontificatus Nostri anno primo. – P. M. Card. Prod. – F. Card. Oliverius. Visa de curia I. C. Archiepisc. Amasenus. – Loco ✠ Plumbi. L. Martinettus – Registrata in Secretaria Brevium.

VI.

S. m. Pii PP. IX. Literae Apostolicae Cum illud, *quibus aliqua dubia circa sacra S. R. E. Cardinalium et Episc. utensilia declarantur.*

(Ad pag. 81. vol. I.)

Summarium. – 1. Saepe saepius dubia suborta fuerant circa interpretationem reservationis positae in Apostolicis Literis Urbani VIII. incip. *Aequum*. Ratio eorumdem dubiorum. – 2. Cl. mem. Card. Ostinius a s. m. Greg. XVI. postulavit, ut eam controversiam, aliasque super hoc argumento oriri solitas sua auctoritate dirimeret. – 3. Quod cum Pontifex ille perficere non potuisset, SSmus D. N. dubitationes omnes a S. Cong. Episc. et Regul. expendi ac resolvi mandavit, easque resolutiones approbans, oraculo suo proclamavit. Ibidem statuitur 1°. Cardinales Episcopos Constitutioni S. Pii V. obnoxios esse super utensilibus cathedrali relinquendis, non ita vero Cardinales suburbicarios et Abbates *Nullius*, quorum utensilia sacrario Pontificio cedunt ex Constit. Urb. VIII. 2°. reservationem positam in Brevi Urbani VIII. auferendam esse, et aliam subrogandam, ceteris clausulis in suo robore permanentibus; 3°. utensilia cathedralibus speciatim debita ea esse, quae ibi enucleantur, adeoque Episcopos teneri ad inventarium conficiendum eorum utensilium, quae

ex ecclesiae reditibus comparaverint, secus omnia ex his comparata fuisse praesumi; item et utensilia, quae sacrario Pontificio debentur, ea esse nominatim, quae ibi describuntur.; 4°. utensilia Episcoporum, qui successive duas, vel plures ecclesias rexerunt, dividenda esse inter easdem proportionaliter iuxta modum ibi traditum; 5°. idem dicendum de utensilibus Episcoporum, qui ecclesias unitas vel in perpetuum commendatas administrant; 6°. utensilia uni illi tantum ecclesiae deberi, ex cuius reditu ea comparata fuisse constiterit, licet Episcopus pluribus gradatim ecclesiis praefuerit. Sequuntur clausulae salutares.

1. Quum illud plurimi referat, ut in Apostolicis concessionibus nullus detur dubitationi locus, quae animos torqueat ac controversias excitet, idcirco, si quam existere ambiguitatem noverimus, ad eam avertendam curas Nostras libenter intendimus. Iam vero praeter indultum testandi de propriis bonis, quod venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus sancta haec Sedes tribuere solet per Apostolicas Literas in forma Brevis incipientes – *De benignitate Sedis Apostolicae* – iisdem per alias similes Literas in forma Brevis, quarum initium – *Cum fel. rec. Urbanus VIII.* – facultas conceditur disponendi de sacris utensilibus favore alicuius ecclesiae, seu capellae, vel loci pii, non obstante Constitutione Urbani VIII. – *Aequum est* – edita die 24. Iulii anno 1642., qua sacra Cardinalium utensilia Pontificio sacrario attribuuntur. Verum quum in memorato postremo Brevi, etiam quando agitur de Cardinalibus Archiepiscopis et Abbatibus ex quodam invecto usu addi consueverit clausula: *salvaque in praemissis quoad ecclesias cathedrales, metropolitanas, aut patriarchales, quibus praefueris, seu quas alias ex concessione vel dispensatione Apostolica in titulum, administrationem, seu commendam obtinueris, dispositione Constitutionis fel. rec. Pii PP. V. anno 1567. tertio kalendas Septembris anno secundo,* saepe saepius dubia exorta sunt circa interpretationem et vim huiusmodi reservationis, eo vel magis quod in superius memorato Brevi *De benignitate Sedis Apostolicae* praefatae S. Pii V. Constitutioni in ea parte, quae sacra utensilia respicit, aperte derogatur. Si namque Romani Pontifices Cardinalibus quoque Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus privilegium disponendi de sacris utensilibus concedere solent, illud frustraneum et illusorium foret, quatenus adiecta clausula eam vim haberet, quam verba prae se ferunt. His quoque accedebat, quod nonnulli sacrorum canonum interpretes doceant,

Cardinales, utpote qui in memorata S. Pii V. Constitutione speciatim nominati non sint, ea lege minime teneri, etsi alii contrariam sententiam tueantur.

2. Quae cum ita essent, ven. Frater Noster Petrus Cardinalis Ostini nunc Episcopus Albanensis, qui tunc temporis episcopalem ecclesiam Aesinam regebat, enixe postulavit a fel. rec. Gregorio XVI., Praedecessore Nostro, ut rem certo definiret, atque expresse declararet, an Cardinales Episcopi, seu Abbates *Nullius* in Apostolicis memoratis Literis S. Pii V., Praedecessoris Nostri, comprehendantur, ac statueret, quaenam sacra ornamenta et supellectiles et utensilia S. R. E. Cardinalium ad sacrarium Pontificium ex memorata Constitutione Urbani VIII., et quaenam Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum et Abbatum *Nullius*, sive cardinalitia dignitate fulgeant, sive illa careant, ad ecclesias cathedrales ex superius citata Sancti Pii V. Constitutione revera spectent, et quomodo facienda sit divisio sacrarum supellectilium et utensilium, quando Episcopus sive successive, sive simultanee plures ecclesias gubernaverit.

3. Nos igitur, qui in memorati Decessoris Nostri bo. me. Gregorii XVI. locum, licet immerentes, suffecti sumus, ad praecidendas omnes hac super re dubitationis ac controversiae causas, de consilio VV. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositorum, haec, quae sequuntur, auctoritate Nostra Apostolica decernimus et mandamus. I. Cardinales Episcopos teneri quoad sacra utensilia lege lata in Constitutione S. Pii V. incipiente – *Romani Pontificis*, – exceptis tamen Cardinalibus Episcopis suburbicariis, necnon exceptis pariter Cardinalibus Abbatibus *Nullius*, qui in Romana Curia morantur, quorum sacra utensilia, attenta citata Constitutione – *Aequum est* – Urbani VIII., Praedecessoris Nostri, ad Pontificium sacrarium spectabunt. II. Firmis remanentibus clausulis derogatoriis Constitutionis S. Pii V., cuius initium – *Romani Pontificis providentia*, – in Literis in forma Brevis incipientibus – *De benignitate Sedis Apostolicae* – apponi solitis, in altero Brevi, quod incipit – *Cum fel. rec. Urbanus VIII.* – auferatur clausula, qua salva edicitur eadem Piana Constitutio, eiusque loco substituantur ea, quae sequuntur: *Quod si ecclesiis abbatialibus, cathedralibus, metropolitanis, patriarchalibus praefueris, seu quas alias ex concessione et dispensatione Apostolica in titulum, administratio-*

nem, seu commendam obtinueris, te vehementer hortamur, prout iam Benedictus XIV., Praedecessor Noster, in sua Constitutione incipiente Inter arduas *Cardinales hortabatur, ut in praedictis rebus disponendis eas ecclesias prae oculis habeas, ceterisque praeferas.* Quae vero hoc in articulo praescripsimus, ea ad singulos Cardinales extendimus, qui ante praesentium Literarum publicationem enuntiatam testandi ac disponendi facultatem obtinuerunt, perinde ac si in respectivis indultis expressa essent. III. Sacra utensilia, quae vigore Constitutionis S. Pii V. incipientis – *Romani Pontificis* – ecclesiis cathedralibus debentur, haec esse edicimus: Mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicae, libros pontificales, alterum, cui titulus Canon Missae; item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula, vas aquae benedictae cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorias, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quae sunt, etiam ex eorum natura usui profano congrua; dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata; exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cuiusvis generis, quae legitime probentur ab Episcopis defunctis comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus, neque constet ecclesiae fuisse donata. Volumus propterea teneri ac debere Episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant, quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quae ex ecclesiae reditibus ac proventibus sibi compararunt, ne alias praesumi debeat ea omnia reditibus ecclesiae comparata fuisse. Quod vero pertinet ad utensilia sacra S. R. E. Cardinalium ad sacrarium sacelli Summi Pontificis spectantia, nullam haberi volumus rationem qualitatis et naturae redituum, quibus comparata fuerint, et praeter ea, quae in Constitutione Urbani VIII. incipiente *Aequum est* in specie enumerata sunt, alia verbis generalibus tantum expressa intelligi volumus, sandalia, chirothecas, lineos amictus, albas cum cingulis, item pyxides, ostensoria, vas aquae benedictae cum aspersorio, vasa sa-

crorum oleorum, et urceolos cum pelvibus ac tintinnabulo, tandem baculum pastoralem, faldistorium, palmatorias, icones pacis, thuribulum, et his similia, exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis. IV. Quando Episcopus duas, vel plures ecclesias successive rexerit, sacra utensilia dividi volumus proportionaliter inter ecclesias cathedrales, habita ratione fructuum ac temporis, iuxta Constitutionem S. Pii V. incipientem *Romani Pontificis*. V. Ubi vero aliquis Episcopus simul praefuerit duabus, vel pluribus ecclesiis unitis, vel in perpetuam administrationem concessis, quae habeant Capitulum et cathedralem ecclesiam propriam ac distinctam, sacrorum utensilium divisionem faciendam esse edicimus aequis partibus singulis ecclesiis cathedralibus, quatenus earumdem ecclesiarum unitarum, seu in perpetuam administrationem concessarum reditus non sint divisi, sed unam episcopalem mensam perpetuo constituant; si vero reditus divisi fuerint ac separati, divisionem fieri volumus singulis ecclesiis cathedralibus proportionaliter ratione fructuum. VI. Quodsi constet, Episcopum, qui per translationem duabus ecclesiis successive praefuerit, comparasse sibi omnia sacra utensilia reditibus tantum unius ecclesiae, nulli divisioni locus erit, sed eadem sacra utensilia ad ecclesiam cathedralem tantum spectabunt illius dioecesis, ex cuius episcopalis mensae proventibus fuerint acquisita. Haec volumus et mandamus, decernentes has literas firmas, validas atque efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, eisque, ad quos spectant seu spectabunt, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et extraordinarios iudicari ac definiri debere, irritumque et inane esse, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, si opus fuerit, Nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub Annulo Piscatoris die 1. Iunii 1847. Pontificatus Nostri anno primo. Aloisius Card. Lambruschini, a Brevibus Apostolicis.

VII.

Benedicti XIII. Constitutio Pastoralis officii, *qua praebendae theologalis et canonici poenitentiarii in ecclesiis cathedralibus Italiae, insularumque adiacentium, ubi non sunt, institutioni consulitur, cum aliis ordinationibus.*

(Ad pag. 84. vol. I.)

Summarium. 1. Summus Pontifex cum omnium Tridentinarum sanctionum, tum praesertim earum, quae in praedicatione et doctrina praescribenda consistunt, exsecutionem curare debet. – 2. Sanctio Tridentina de praebenda theologali in cathedralibus et collegiatibus erigenda; in ea conferenda solemnis concursus forma adinstar parochiarum servanda est. – 3. Aliter collatio irrita decernitur et ad S. Sedem devolvitur. – 4. Assignatio fructuum praebendario facienda, qui sacrario applicantur, si ille suo muneri desit. – 5. Facultas tribuitur Episcopis quaedam beneficia uniendi usque ad summam scut. 60. – 6. Eadem forma, quae servatur in theologali conferenda, servanda est etiam in poenitentiariae erectione, collatione, aliisque rebus ad eam pertinentibus. – 7. Clausula sublata, et decretum irritans. – 8. Derogatio contrariorum. – 9. Decretum poenale.

1. Pastoralis officii Nostri esse ducimus, assiduo, enixoque studio curare, ut universa Sacrae Tridentinae Synodi decreta ubique inviolabiliter observentur; sed eorum prae ceteris exsecutionem strenue promovendam, urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus maiorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione et doctrina consistere debet, ut cunctos aedificent tam fidei scientia, quam actionum disciplina, excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem eiusque sapientiam; nam ignoratio Scripturarum ignoratio Christi est.

2. Cum itaque saluberrimo praedicti Concilii Tridentini decreto, relato in *cap. 1. Sess. 5. de Reformat.*, cautum sit, ut nedum in ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus praebenda, aut praestimonium, seu stipendium pro sacrae Scripturae lectoribus constitutum non reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta ac deputata intelligatur; et quatenus nulla, vel non sufficiens prae-

benda foret, locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii, debitis tamen eius supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiorum suarum dioecesum, vel alias, prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa sacrae Scripturae lectio omnino habeatur: verum cum eiusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus cathedralibus, sicut non absque gravi animi Nostri dolore percepimus, hucusque neglecta, debitaeque exsecutioni demandata non fuerit: hinc igitur est, quod Nos illius exsecutionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes motu-proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus et mandamus, ut in cathedralibus quibuscumque Italiae insularumque adiacentium, in quibus praebendae theologalis hactenus instituta non fuerit, praebenda primo vacatura, post eiusdem praesentis Constitutionis publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso iure, et absque ulla alia declaratione, sit, ac esse censeatur praebenda theologalis constituta. Volumus insuper, ut tam illa, quam reliquae omnes aliae praebendae theologales hactenus constitutae et deputatae conferri semper debeant doctori in sacra theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, et ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab exminatoribus renuntiato, eo plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque eiusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur, quicumque concurrere et examini sese subiicere voluerint, coram Episcopo, et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis, in theologali tamen facultate licentiatis, et valde peritis sive saecularibus, sive regularibus, et illi, qui in eiusmodi concursu probatus, magisque idoneus renuntiatus fuerit, praebenda conferatur. Quoties autem praebendae collatio ad sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem ceteris digniorem et magis idoneum in Domino iudicaverit.

3. Quodsi Episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesum-

pserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio atque provisio ipso iure nulla et irrita, nulliusque prorsus roboris vel momenti sit ac esse debeat, eiusdemque praebendae dispositio statim devolvatur et pertineat ad sanctam Sedem et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo doctori in sacra theologia conferetur.

4. Ceterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex praebendae theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus et mandamus, tertiam partem proventuum dictae praebendae theologalis ab Episcopo distribui et proportionaliter applicari singulis lectionibus sacrae Scripturae, quae a praebendato praescriptis diebus et horis totius anni habendae erunt, ita ut, si praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in sacristiae ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae praebendati liceat Episcopo deputare alium theologum sacerdotem saecularem vel regularem, qui iugiter supplendo eiusdem praebendati vices, praefatis distributionibus potiatur.

5. Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis eiusmodi praebendae theologalis causam in tenuitatem ac insufficientiam praebendarum suarum ecclesiarum reiicere solent, Nos omnem de cetero praetextum, sive excusationem e medio tollere ac penitus eliminare volentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similibus decernimus, statuimus atque praecipimus, quod, ubi praebenda theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem reditum scutatorum sexaginta monetae Romanae non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente iidem Episcopi unire possint et debeant eidem praebendae aliquod simplex beneficium, cuius supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum in quocumque mense, et qualitercumque ac quomodocumque Sedi Apostolicae affectum et reservatum, ita tamen, ut a tali unione illa omnia beneficia, quae pro sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Papae familiaribus, Nuntiis Apostolicis, atque Praelatis Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretariis

in alia Constitutione ad promovendam seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculiariter reservavimus, perpetuo reservata et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum ac inane nulliusque roboris vel momenti esse, ac fore decernimus et declaramus.

6. Postremo quaecumque hactenus de praebenda theologali, et sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem canonici Poenitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam sustentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia: et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus *cap. 8. Sess. 24. de Reformat.* de huius ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus.

7. Decernentes etiam praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere, necnon praemissa omnia et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiliter observari; sicque, et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis quibuscumque, aliisque Apostolicis etiam in universalibus etc.

9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius, se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, de-

cimo quarto kalendas Iunii, Pontificatus Nostri anno primo. – P. M. Card. Prodatarius. – F. Card. Oliverius. – Visa de curia I. C. Archiepisc. Amasenus. – Loco ✠ Plumbi – L. Martinettus. – Registrata in Secretaria Brevium.

VIII.

S. C. Concil. causa Montisfalisci. *Collegiatae.*

(Ad pag. 92. vol. I.)

Summarium. 1. Canonici collegiatae S. Ioannis Baptistae oppidi Cryptarum, antequam suas capitulares constitutiones ad normam Concilii Romani conficiant, a S. Cong. Conc. petunt, ut memoratam ecclesiam collegiatae titulo gaudere declaret. – 2. Episcopus, cui supplex libellus ex more transmittitur, ut de singulis capitibus ad rem facientibus referat, statum eiusdem ecclesiae tam materialem, quam formalem enucleatim describit. – 3. Deinde signa recenset collegialitatis, quae prae se fert eadem ecclesia. – 4. Defectus erectionis non obest, quando ecclesia signa dotesque collegialitatis a centum annis, vel immemorabili exhibeat. Qualia sunt in specie signa, quae sive coniunctim, sive seiunctim collegialitatem important. – 5. Ante annum 1625. communis erat opinio, quod Episcopi facultate pollerent collegiatas erigendi: adeoque collegiatae ante id tempus ab Episcopo erectae sustinentur. Posthac vero firmatum est, necessariam esse Summi Pontificis auctoritatem. Vid. etiam n. 8. – 6. Hisce praestitutis, dioecesanus Episcopus amicam Capitulo Cryptano sententiam aperit. – 7. Alia in facto cumulantur signa collegialitatis, quae eidem ecclesiae inesse comperta sunt. – 8. Ex quibus in iure plura corollaria deducuntur, quae ecclesiae S. Ioannis collegialitatem convenire confirmant. – 9. Hisce omnibus inspectis, Sac. Cong. Conc. cunctis suffragiis declaravit, constare de collegialitate ecclesiae S. Ioannis Baptistae terrae Cryptarum.

1. Canonici ecclesiae S. Ioannis Baptistae oppidi Cryptarum, dioecesis Montisfalisci, supplicem huic S.C.C. libellum obtulerunt, quo exponunt, sese in eo esse consilio, ut constitutiones capitulares, quibus carent, ad praescriptum Concilii Romani 1725. *Tit. 2. cap. 4. et 5.* sibi conficiant. Quoniam vero ibidem sancitum comperiunt, in eo condendo opere exprimendas esse *ecclesiarum origines, fundationes, insignia, consuetudines*, nec quidquam esse inserendum, *quod a iuris dispositione et Congregationum decretis usuque recepto et approbato exorbitet*, unanimi

omnium consensu demissis precibus exorant, ut gravissimo Emarum Vestrarum iudicio declaretur, constare de collegialitate ecclesiae memoratae, quemadmodum, ut inquiunt ipsi, solide demonstratur in ea, quam adiiciebant, et de qua posthac agetur, facti et iuris expositione, unde colligitur, a remotissimis temporibus ac potissimum a saeculo XIV. ad haec usque tempora haud interrupte eamdem ecclesiam ut collegiatam habitam fuisse. Idque vehementius sese optare subiiciunt, quod praeter accuratiorem rerum divinarum ordinem, qui a statutorum confectione nimirum existet, legitimam inde causam arripiet Episcopus, ut praebendam theologalem, cuius in usum idoneae non desunt ibidem praebendae, ad normam Conc. Trid. et Constit. s. m. Benedicti XIII. incip. *Pastoralis* instituere commode queat.

2. Huiusmodi preces Ordinario iuxta sacri huius Ordinis institutum remisi *pro informatione et voto, et inspectis actis curiae referat super bono iure.* Ordinarius responsum praebuit suis literis, quibus rem universam complectitur, necessaria quaeque opportunaque scitu diligenter evolvens. Grave non sit Emis Vestris, ipsa eius verba perlegere:

« Ecclesia S. Ioannis Baptistae, satis ampla, (ipse ait) elegan-
» tis formae et structurae, septem ornata altaribus, ac tam varia,
» tam concinna, tam pretiosa et recte disposita supellectili in-
» structa, ut inter ecclesias collegiatas in his locis ea sit facile
» princeps. A dissitis longe temporibus divina ibi celebrantur officia
» a quatuordecim canonicis, quorum tres una cum Archipresby-
» tero, totius collegii capite, *capitulares*, reliqui decem *supranu-*
» *merarii* vocantur, utpote posterioris erectionis. Recitant hi in
» choro festis quibusvis diebus, etiam reductis, Matutinum cum
» Laudibus et Horis, et Missam dicunt cum cantu, cum quo post
» meridiem dant operam vespertinis horis, idque etiam in pervigi-
» liis festorum primae et secundae classis. Praeterea toto Quadra-
» gesimae tempore Completorium canunt, et in triduo Dominicae
» Passionis consuetas omnes ecclesiasticas functiones explent. Mis-
» sam cum interessentia omnium canonicorum et diacono et sub-
» diacono inservientibus celebrant solemniter tum singulis diebus
» festis, tum in feria secunda cuiuslibet hebdomadae (at sine dia-
» cono et subdiacono) per turnum canonici capitulares cum archi-
» presbytero, et illam applicant pro populo, hanc pro benefacto-
» ribus, ideoque illam parochialem, hanc conventualem appellant.

» Canonici primae erectionis vocati ab archipresbytero eoque prae-
» sidente, agunt conventus capitulares, deque utili rerum ad sa-
» cristiam et ecclesiam spectantium administratione deliberant,
» eorum resolutiones secretario ex eis et ab eis electo in apposito
» libro transcribente, et, quoties opus est, sigillo utuntur cum epi-
» graphe *Collegiata S. Ioannis Baptistae*. Singuli canonici distin-
» ctas, de quibus in titulum providentur, possident praebendas,
» sed alias aliis pinguiores. Archipresbyteratus enim 300. cir-
» citer scutatorum dat reditum, nonnulli canonicatus 100., pauci
» circiter 40., et quotidianarum distributionum locum tenent *pun-
» ctaturae*. Canonici post laudabile quadraginta annorum servi-
» tium Apostolicum iubilationis indultum solent obtinere. Insignia
» autem huius collegiatae erant olim Almutiae, quibus Pius VII.
» fel. record. die 20. Sept. 1803. suffecit cottam supra rochettum,
» itemque rochettum et mozzettam violaceam etiam sericam cum
» globulis et asulis cremisini coloris.

3. » Equidem Episcopi dioecesani tam in actu visitationis,
» quam data qualibet occasione, imo et ipsi Summi Pontifices
» tribuere huic ecclesiae titulum collegiatae, et presbyteris eidem
» in divinis inservientibus nomen canonicorum numquam dubi-
» tarunt. Nonnulla exempla ex actis huius cancellariae deprompta
» afferam. Anno 1700. collatus ab Ordinario fuit Suetonio Pan-
» dolfi archipresbyteratus, qui dictus fuit *Archipresbyteratus pa-
» rochialis ecclesiae, collegiatae nuncupatae*. Anno 1705. et 1710.
» sub Marco Card. Barbadigo et Bonaventura Pompilio clarissimis
» Episcopis Montisfalisci habitae sunt Synodus dioecesanae, in
» quarum prima electus fuit in punctatorem Bernardinus Noc-
» cioli cum addito *canonicus collegiatae Cryptarum;* in altera
» autem inter interessentes subscripti leguntur: *Iacobus de Mattis,
» archipresbyter collegiatae S. Ioannis Baptistae Cryptarum, Ioan-
» nes Pamphili eiusdem collegiatae canonicus*. Loquendo autem
» de Summis Pontificibus, constat ex actis huius cancellariae epi-
» scopalis, eos, ubi collatio archipresbyteratus huiusmodi ecclesiae
» ad ipsos sive iure reservationis, sive iure devolutionis spectat,
» semper collegiatam eamdem ecclesiam nuncupasse. In Bullis
» siquidem Apostolicis expeditis favore Iacobi de Mattis ann. 1709.
» VI. kal. Octobris legitur: *In saeculari et collegiata S. Ioannis
» Baptistae*. In illis expeditis anno 1793. die 13. Iulii favore Io-
» sephi Guerrini: *Cum itaque postmodum archipresbyteratus ec-*

» *clesiae saecularis et forsan insignis collegiatae S. Ioannis Ba-* » *ptistae terrae Cryptarum.* In illis expeditis die 15. Febr. 1803. » favore Christophori Orzi: *Archipresbyteratus, qui inibi dignitas* » *principalis existit cum cura parochianorum dictae collegiatae* » *ecclesiae.* Eadem fere verba repetuntur in Bullis expeditis » anno 1817. favore Vincentii Rubini. Tandem in Apostolicis Li- » teris datis die 20. Septemb. 1803., quibus praedicti canonici » novis insignibus et decorationibus aucti fuere, legitur: *Cum* » *igitur collegiata ipsa antiquitatis laude, sacerdotum probitate et* » *doctrina populique frequentia et devotione ita floreat, ut una ex* » *illustrioribus illius dioecesis habeatur etc.*

4. » Haec omnia cum certissima sint, collegialitas ecclesiae » Sancti Ioannis Baptistae de terra Cryptarum satis demonstrata » videtur. Nec officere quidquam potest, quod decretum erectio- » nis canonicae in hac episcopali curia non reperiatur: nam mo- » numenta dictae cancellariae incipiunt a saeculo XVI., anteriora » enim sive casu, sive culpa periisse indubium est. Quid igitur » vetat dicere, erectionem hanc fuisse deperditam, praesertim » cum ipsa ecclesia longe ante saeculum XVI. fuerit nomine col- » legiatae decorata, uti liquet ex vetustissimo quodam M. S. » anni 1366. in archivio eius ecclesiae asservato, in quo legitur: » *Collatio canonicatus S. Ioannis de Castro Cryptarum?* Praeterea » defectum decreti erectionis nihil obesse collegialitati ecclesiae, » ubi ipsa centum annis, sive ab immemorabili indicia et dotes » collegiatarum exhibeat, docent passim doctores, et praecipue » Piton. *Disc. eccl. 116. num. 30.*, Lotter. *de Reform. benef. lib. 1.* » *qu. 14. num. 52.*, de Luca *Disc. 51. num. 4. et 5. de praeem.* Atqui » ecclesia S. Ioannis Baptistae non per unum sed per plura sae- » cula collegialitatis dotibus et signis non quidem aequivocis, sed » univocis decorata apparet: ab immemorabili enim tempore ad- » sunt in ea praebendae in titulum conferri solitae, adest prae- » finitus canonicorum numerus, qui cum archipresbytero unum » corpus efficiunt, qui collegiatarum insignibus ornati distinctum » stallum habent in choro, qui et divina officia, non exclusa Missa » conventuali, celebrant cum onere solvendi fallentias, qui con- » ventus capitulares agunt, et capitulari utuntur sigillo, qui se- » paratas praebendas obtinent, qui denique canonici vocari con- » sueverunt non ab Episcopis tantum, sed ab ipsis etiam Summis » Pontificibus. Haec autem indicia esse certissima collegialitatis,

» etiamsi sumantur seiunctim, docent doctores. Revera Petra ad » *Constit. 7. Innoc. IV. sect. 2. n. 34.* pro tessera collegialitatis » assignat: *Si ecclesia fuerit habita uti collegiata, et in actis Visitationis ab Ordinario talis asseratur.* Barbosa *Ius can. lib. 2.* » *cap. 6.: Si in ecclesia adsit aliquis ut caput, et clerici vel canonici ut membra.* Card. de Luca *loc. cit. disc. 51. num. 4. et 5.* » *de praeeminent.: Cum constet, quod usque ab anno 1292. in istis* » *ecclesiis adessent canonici soliti provideri in titulum, quorum* » *numerus praefinitus erat, atque ecclesiae enuntientur collegiatae...* » *hinc adesse dicitur centenaria, qua occurrente de plano resultat* » *probatio dicti privilegii* (collegialitatis), *quoniam centenarius* » *possessor allegare potest privilegium Apostolicum, et quemcumque* » *titulum de mundo meliorem, unde non indiget adminiculativa* » *probatione deducta ex signis; cum ipsa sola diuturna possessio* » *ad id sufficiat ex dicto privilegio centenariae possessionis.* Quis » igitur dubitandi locus relinquitur de ecclesiae nostrae collegia- » litate, ad quam adstruendam non centenaria solum, nec unum » vel alterum indicium solum, sed omnia indicia concurrunt?

5. » Fateor equidem aliquid minus conveniens in hac colle- » giata reperiri. Miserum enim est, distributiones quotidianas solis » punctaturis constare, et Missam conventualem applicari dum- » taxat omnibus feriis secundis, et non cunctis diebus contra » textum in *Cap.* Dolentes *et cap.* Cum creatura *de celebrat Miss.*, » et contra quod habetur in *Verulana Cel. Miss. VV. SS. LL.* 17. » Septemb. 1718. Sed hoc forte tolerandum videtur, attenta con- » suetudine, et attento praesertim, quod collegiata ista erecta » dicenda est non auctoritate Summi Pontificis, qui omnes ne- » cessarias conditiones et regulas in talibus institutionibus solet » praescribere, sed facultate Episcopi, idque ante declarationes » hac de re ab ista S. C. emanatas, seu ante saeculum XVII., » quo tempore communis erat doctorum opinio etiam in tribuna- » libus recepta, id Episcopum facere posse, *Rota decis. 1084.* » *cor. Emerix.* Hoc tamen nullum debet praeiudicium ecclesiae » nostrae collegialitati inferre, ad tramitem doctrinae S. Rotae » *decis. cit., in qua legitur: Anno 1623... communiter erat opinio* » *inter doctores... quod licitum esset Ordinariis, laicorum eccle-* » *sias in collegiatas erigere, secundum quam opinionem iudicari* » *debet de eius temporis erectione, licet deinceps ob superventas* » *declarationes S. C. C. contraria invaluerit opinio.*

6. » Quae cum ita sint, preces Capituli S. Ioannis Baptistae, » nisi aliter praeclarissimae sapientiae vestrae videatur, excipien- » das esse, submisse putarem. Statuta enim huiusce ecclesiae » collegialitate canonici conditis constitutionibus arctius ecclesiae » servitio manciparentur, Ordinarius posset, ubi primum se offeret » occasio, unam ex praebendis in theologalem erigere; idque non » solum ad maiorem Dei gloriam et animarum utilitatem, verum » etiam ad augendum decus terrae Cryptarum conferret, quam » hoc honore dignissimam puto, tum quia fere ter mille incolas » continet, tribus constat paroeciis, aeris salubritate, et agrorum » feracitate gaudet, tum quia et sacerdotes et populus religione, » pietate, reverentia erga Summos Pontifices, et fidelitate sunt » et semper fuere nemini secundi. » Hactenus Episcopus.

7. Quod pertinet ad deductiones a Capitulo sive in *facto*, sive in *iure* huic S. C. exhibitas, nihil est, quo Emas Vestras diutius immorandas curem. Eae siquidem, ut plurimum, id omne prae se ferunt, quod ab Episcopo praeoccupatum est. Solummodo nonnulla, quae in rerum expositarum confirmationem afferuntur, ex ipsis deductionibus colligam, ut nihil, quod plenam rei notitiam respicit, vobis me non retulisse appareat. Baptizatorum liber, qui in capitulari tabulario asservatur, et sumit initium ab anno 1587., inscriptionem praesefert: *Chiesa collegiata e battesimale di S. Giovanni*. In quodam M. S., ubi memoriae mandata sunt acta et solemnia, quae respiciunt venerabile simulacrum B. M. V. sub titulo Miraculorum vel Suffragii, ab Illmo et Rmo Vaticano Capitulo insigni diademate anno 1623., redimitum, quodque etiam nunc maxima populi pietate colitur, semper et ubique ecclesiae S. Ioannis, ubi eam memorare contingat, collegiatae titulus adseritur. Alia etiam monumenta posteriorum temporum proferuntur, quae nominis eiusdem usum ostendunt. Silentio praeteriri nequit folium huius S. C. pro causa, quae prostat in *Thesaur. resolut.* cum titulo *Montifalisci Reduct. Miss.* diei 15. Sept. 1770., ubi et ab Episcopo, qui de re, quae in consultationem veniebat (nempe de reductione quarumdam Missarum), ex instituto retulerat, et a Secretario illius temporis ecclesia Sancti Ioannis collegiata semper appellatur. Item canonici quatuor Brevia, a s. m. Pio VI. anno 1790. pro concessione quarumdam indulgentiarum impetrata in medium afferunt, ubi similiter collegiatae titulum semper ecclesia additum gerit.

8. Porro ex hisce factorum circumstantiis aliisque superius ab Episcopo descriptis quinque corollaria iidem canonici deducunt, videlicet *primo*, quod ecclesia S. Ioannis collegiatae titulum ab immemorabili possidet; *secundo*, quod talis erat habebaturque eo tempore, quo doctorum opinio vigebat, posse Episcopum ex auctoritate sua ecclesiam ad collegiatae titulum evehere, adeoque talem ab hac S. C. declarandam esse iuxta doctrinam traditam etiam a Pitonio *Disc. eccl. 116. num. 4. 30.* ac Petra *loc. cit.*, prout in simili casu de collegiata per Episcopum anno 1617. erecta diserte declaravit in *Cremonen. Collegiatae* 7. Sept. 1720.; *tertio*, quod collegiatae titulum eidem tribuerunt Summi Pontifices atque haec S. C. in locis, quae superius memorata sunt, idque satis esse, ut haec illi praerogativa concessa dicatur; (Lotter. *de Reform. benef. qu. 14. num. 41.* ex cap. *Cum eccles. num. 2. de off. ord.*); *quarto*, quod in ea concurrunt omnia et singula signa, ex quibus collegialitatis qualitas demonstratur, velut abunde colligitur ex Episcopi literis; *quinto*, quod ei ne desunt quidem conditiones omnes, quae tali ipsam honorificentia dignam commendent, quod itidem confirmat Episcopus.

9. Cum in praesenti themate agatur de firmando ecclesiae statu (quam rem utpote gravioris momenti Summi Pontifices suae auctoritati reservatam voluere), supplices Capituli Cryptani preces superiori Emarum Vestrarum auctoritati iudicioque submittendas esse censui. Itaque videant Emae Vestrae, an defectus decreti erectionis, quem ipsi non diffitentur canonici et Episcopus, impedimento esse possit, quominus ecclesiae S. Ioannis praerogativa collegiatae adiudicetur. In quo sedulo inspicienda sunt argumenta, quae in supplementum afferuntur, an videlicet tanti habenda sint ponderis, ut iuxta sacrorum canonum sanctiones et huius Sacri Ordinis disciplinam ad effectum, de quo agitur, aequipollere videantur.

Quapropter pro ea, qua fulgent, sapientia, dirimere dignentur suppositum dubium:

An constet de collegialitate ecclesiae S. Ioannis Baptistae terrae Cryptarum in casu?

Die 15. Sept. 1856. Emi Patres S. C. Conc. rescripserunt:

Affirmative et amplius.

IX.

Benedicti XIV. Epistola encyclica Magno cum *de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quae sunt in domibus laicorum.*

(Ad pag. 115. vol. I.)

Summarium. 1. Controversiae circa oratoria privata vigentes, et Polonorum Praesulum vota Pontificias declarationes exposcunt. Eas licet minus necessarias, edere intendit Pontifex, quae maius auctoritatis pondus habeant. Oratoria privata in Episcoporum aedibus exstructa iam usque a prioribus Ecclesiae saeculis. – 2. Concilium Tridentinum de aliis oratoriis privatis decernens, nihil detrahit sacellis Episcoporum. – 3. Sed nihil etiam statuit de eorum facultatibus extra aedes episcopales et extra dioecesim. – 4. Privilegium altaris viatici ubique erigendi Episcopis concessum a Bonifacio VIII. – 5. Eo uti possunt etiam sine licentia Ordinarii localis, et post Concilii Tridentini et Panli V. decreta. – 6. Non tamen extra domum propriae habitationis, sive in aliena dioecesi. – 7. Sed si in aliena domo revera moram traxerint, etiam hospitii et itineris causa, possunt. – 8. Praemissarum regularum usus. – 9. De oratoriis privatis in domibus laicorum exstant monumenta, tum ex primis, tum ex posterioribus Ecclesiae saeculis. De iis abrogandis saepe cogitatum. – 10. Ad eorum erectionem et usum Episcoporum licentia semper requisita fuit. – 11. Sed haec facultas a Conc. Tridentino Episcopis adempta est, ideoque ad solum Romanum Pontificem devoluta. – 12. Providae leges a S. Sede praescriptae pro oratorior. privat. erectione et usu. – 13. Ampliores concessiones, quoad numerum, diesque et horas, quibus Missae celebrari valeant. – 14. Ad peculiares quaestiones decreta edita. Indultariorum praesentia requiritur pro celebratione Missae in orat. priv. – 15. Indultarii distinctius secernuntur ab iis, quibus solummodo conceditur, ut Missam ibi audiendo satisfaciant praecepto. Indultarii censentur ii, quibus inscriptae sunt Literae Apostolicae. – 16. Nisi aliter in corpore Brevis dispositive statuatur. – 17. Exemplum eius rei affertur. – 18. Si permittatur celebratio Missae diebus excipi solitis, in Nativitate Domini celebrari poterunt tres Missae. – 19. Baptismus, extra casum necessitatis, ministrari nequit in oratoriis privatis, praeterquam filiis regum ac principum. – 20. Nec Poenitentiae Sacramentum, extra casus a iure permissos, non obstantibus privilegiis Regularium. – 21. Communio paschalis in ecclesia parochiali sumenda est. Regularibus vetitum, in die Paschatis Sac. Eucharistiam distribuere in eorum ecclesiis non parochialibus. – 22. Non tamen id vetitum aliis diebus intra tempus paschale, salvo implemento praecepti in parochiali ecclesia. – 23. In oratoriis privatis, extra Communionem

paschalem licebit Sac. Eucharistiam sumere, si Episcopi licentia accedat. – 24. Rectus disciplinae ordo postulat, ut hac in re Episcoporum statuta observentur. – 25. Praemissorum decretorum expositio omnem ignorantiae excusationem de medio tollit. – 26. Eadem in dioecesanis Synodis, et Episcoporum edictis publicanda sunt. – 27. Indultariis etiam demonstranda, cum interminatione amissionis privilegii. Et contra capellanos inobedientes procedendum etiam per censuras. – 28. Exempti quoque praemissa observare tenentur. – 29. Regularium privilegia hac in re sublata sunt a Concilio Tridentino, omnisque facultas Episcopis tributa, ut eos arctare possint ad observantiam decretorum super hoc editorum. – 30. Privilegia in corpore iuris clausa etiam sine speciali mentione a Trid. Synodo abrogata. – 31. Altaris viatici indultum pro locorum necessitatibus tantum conceditur. – 32. Tenor privilegii fratribus Praedicatoribus concessi pro locis, in quibus ecclesiae desunt, et haeretici catholicos opprimunt. – 33. Decretum Clementis XI. de privilegiis Regularium, de usu oratoriorum privatorum, de facultatibus Episcoporum diserte statuit. – 34. Regularibus non licet exorcizare, contradicente Episcopo, etiam in propriis ecclesiis et coenobiis.

Magno cum animi Nostri dolore a Nobis intellectum est, nonnullas in dioecesibus vestris controversias ac molesta dissidia, propter oratoria privata, insurrexisse; quibus praecidendis cum omnis per vos cura ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed et in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certae vobis regulae indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum ordinationes vestrae Pontificia Auctoritate Nostra munitae fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum maius semper eisdem honoris atque aestimationis pondus accedat. Licet autem vestrae huiuscemodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de huiusmodi materia doctrina traditur Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea Sanctae Sedis decreta vel dissimulant vel ignorant, quae assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum Nos venerabiles personas vestras praecipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc Epistolam Nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorumdem

Decessorum Nostrorum, tum Nostram hac super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, praeter obedientiam, quae eisdem debetur, ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid maioris ponderis inest, materiae ipsius nomine, quae eorum obiectum est, quaeque in quaestione versatur; cum omnis huiusmodi res ab Apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo iure Summis Pontificibus reservata est, cumque eamdem praecipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea, quae in encyclica hac Epistola Nostra continentur, ordinabitur et statuetur, id pro exsequendis Summorum Pontificum praescriptis praestitum esse dicendum sit; cuius rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem et auctoritatem Fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum praesentium Literarum tenore vobis ad huiusmodi effectum concedimus et impertimur.

1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat sacella, quae in episcopalibus palatiis vestris habetis, pro Missa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra functione, quae officii ac dignitatis vestrae propria sit, obeunda; de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hoc a proposito Nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta sacellorum exempla indicabimus, quae Episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta ac separata habebant, in quibus sanctum Missae Sacrificium celebrabant. Horum primum sacellum est S. Cassii, Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius *in homilia 37. super Evangelia* narrat, quod, licet gravi morbo opprimeretur, *in oratorio episcopii sui Missas fecit*, tam ut propriae, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Ioannis Eleemosynarii, Episcopi Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui Missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eamdem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: *Ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam, nam poteram mihimet facere Missas in episcopio.* Praedictum exemplum legere est apud Thomassinum *de veteri ac nova Ecclesiae disciplina Part. I. lib. 2. cap. 93. num. 6.* Alia exempla in opere *de oratoriis privatis* inscripto *cap. 6.* collecta

reperiuntur (quod opus novissime a Ioanne Baptista Gattico, canonico Lateranensi Romae in lucem editum est), per quae Episcoporum ius circa sacella in propriis episcopalibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

2. Huic quidem iuri sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *Sess. 22. de observandis et evitandis in celebratione Missae,* propter multa, quae parum decenter fieri identidem contingebat, Episcopis praecipit, ne saecularibus ac Regularibus Missam celebrare permitterent *privatis in domibus,* et extra ecclesias, aut oratoria publica, quae divino cultui destinata essent; quod nullam cum capellis, quae in episcopalibus palatiis sunt, rationem habet, quum haec sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a Congregatione venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, in aliquot eiusdem resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in Nostro *de Sacrificio Missae* tractatu retulimus *Sect. 2. §. 45. et seq. latinae edit. Patav.;* Nos enim, tunc etiam, cum in minoribus constituti, opus aliquod conscriberemus, illud praecipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanae curiae tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificiis oraculis auctoritatis robur accedit.

3. Illud tantummodo de huiusmodi Episcoporum privilegio dici poterat, quod, cum idem ad sacella, quae in episcopiis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra propria domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut, cum vel Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere, vel ipsis eamdem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

4. Verum rec. mem. Praedecessor Noster Bonifacius Papa VIII. in Decretali sua: *Quoniam Episcopi, de privilegiis, in sexto,* male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eisdem concessit, ut etiam extra propriam dioecesim altari portatili, seu viatico uterentur: *Praesenti Constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur cele-*

brare, vel audire divina. Dignum animadversione verbum est *ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra dioecesim sita sunt, comprehendit.

5. Praecipuam etiam animadversionem dictae Congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad quaesitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam dioecesim est, ad utendum privilegio altaris viatici petere eius rei veniam ab Episcopo locali teneatur, minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII. privilegium fuisset: quoniam illius Pontificis aetate antiquum ius in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicetur, a Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum quaesitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concesso, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V. decretum, de quo pariter mox dicetur, praeiudicium ullum attulissent; nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio, quam in citato decreto sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam iuribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorumdem dignitatis atque characteris propria sunt. Praedictae resolutiones a Nobis referuntur in Nostro Tractatu *de Sacrificio Missae* latinae editionis Patavinae *Sect. 2. §. 42.*, necnon in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom. 4. super Constitutione 2. Urbani V. n. 15. et seq.* et a Gattico in recenti eiusdem tractatu *de Oratoriis domesticis in tit. de usu altaris portatilis cap. 12. num. 1. et seq.*

6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem maius praeiudicium privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu huius privilegii altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, et quod post Concilium Tridentinum ac Paulinum decretum illaesum remansit. Certis indiciis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui vel intra, vel extra dioecesim, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missae, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel

ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum huiusce inconvenientis notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non praetermisit huiusmodi excessum prohibere, eiusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum iurisdictioni subiectis contigisset. In codicibus actorum, seu regestis Congregationis praedictae *lib. 48. Decretorum fol. 471.* resolutiones ipsae referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis Praedecessore Nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. sequens decretum publicatum fuit, in quos postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: « Episcopi etiam » in aliena dioecesi extra domum propriae habitationis in pri» vatis laicorum domibus erigi faciunt altare, ibique per unum, » aut per plures e suis capellanis vivificam Christi Hostiam im» molant, » ad remedium gradus fit: « Ad abusus huiusmodi » eliminandos etc. Sanctissimus Dominus Noster etc. expresse de» clarat, Episcopis, et his maioribus Praelatis, etiam Cardinalatus » honore fulgentibus, neque sub praetextu privilegii clausi in » corpore iuris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere » extra domum propriae habitationis, in domibus laicis, etiam in » propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi » dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacro» sanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrare facere. »

7. Magni huius Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, numquam autem, ut recto privilegii usui quidquam detraheretur, et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla et effrenata, cuipiam praebere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti privilegio altaris portatilis, tum cum vel dioecesim visitant, vel iter faciunt, aut alia iusta de causa extra residentiam sunt, atque in laicorum domibus morantur; illato de huiusmodi re sermone in Congregationibus, quae sub Innocentio XIII., immediato Clementis eiusdem Successore, habitae fuerunt, quarum Nos tunc *in minoribus* existentes, a secretis fuimus, opportunum factu iudicatum est, ut ea, quam mox subiicimus, declaratio fieret, quae postea inserta fuit in eiusdem Innocentii Literis incipientibus: *Apostolici ministerii,* quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum regnis bono ecclesiasticae disciplinae regimine condidit, quasque etiam eiusdem Successor Benedictus XIII. *in forma specifica* con-

firmavit, et ut in omnibus locis pro regula ac norma haberetur, in appendice Concilii Romani a se celebrati voluit insertas; ipsam vero declarationem inter eiusdem Concilii decreta retulit tit. XV. cap. III., in quo quidem Concilio Nos quoque ad sacrorum canonum interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: « Declaramus, quod, cum in prae» dicto decreto, *(de Clementis XI. decreto sermo est)*, statuatur, non » licere Episcopis extra domum propriae habitationis, in domibus » laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missae Sacrificium » celebrare, sive celebrari facere; huiusmodi prohibitio intelli» genda non sit de domibus, etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi » forte, occasione visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; » et nec etiam, quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel » de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae » ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo » per modum similis habitationis; his enim casibus licita iis erit » erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus » ac in domo propriae ordinariae habitationis. »

8. Optimum factu iudicavimus in encyclica hac Epistola Nostra exponere vobis haec, quae ad fraternitates vestras praecipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est quoad sacella, seu capellas, quae in episcopalibus palatiis vestris sunt; quantum item vobis in alienis domibus, et extra vestram dioecesim facere permissum est, causas etiam concessionum, ac privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus, atque abusuum prohibitiones apposuimus; tum ut vos discrimen agnoscatis, quod intercedit inter capellas episcopalium aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi et commodo vestro, quam dignitatis vestrae decori providetur, et privata oratoria in domibus laicorum, sive intra, sive extra dioecesim vestram, in quibus aliquando vobis, pro praecipuo fine huiusmodi commodi, et consolationis vestrae, privilegio altaris erigendi ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet; tum vero etiam, ne forte, cum vos contra abusus privatorum oratoriorum in domibus laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestrae domi, atque in propria agendi ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum oratoriorum propositum, quae in domibus laicorum sunt, gradum facientes, aliqua praemittemus.

9. Primum quidem est, privatorum oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos sacra Mysteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in suis notis ad canones Trullanos apposite animadvertit. Alterum autem, privata oratoria in domibus laicorum subsequentibus etiam saeculis fuisse, cum persecutiones iam cessassent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom. 1. Musaei Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quae recitanda erat in Missa, quae celebratur *in domo cuiuslibet;* nec ad huiusmodi quidem assumptum aliae deficiunt probationes, quas nos in Tractatu Nostro *de Sacrificio Missae Sect. 1. §. 10.* cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis huiusmodi oratoriis privatis in domibus laicorum, seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Iustiniani Novella 58. dicemus, in qua, ne in domesticis oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur; nihil praeterea de Novellis 4. et 5. Leonis Sapientis, qui prohibitionem sustulit, afferens, adeo tunc privata oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missae celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocris etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quae proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicasse, quae in dicto Tractatu *de Sacrificio Missae* loco superius citato a Nobis allata fuerunt.

10. Quartum, quod licet fere semper in laicorum domibus privatorum oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebrabatur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit: ad quam concedendam ipsi valde faciles plerumque erant: *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus*, verba sunt *Can. Missarum, de Consecrat. dist. 1.* Haec autem facilitas, propter quam interdum factum est, ut oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu fuit in ecclesia orientali, ob id potissimum, quod in ecclesiis Graecorum non nisi unicum altare erat, et postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eumdem diem celebrari minime poterat. Balsamon *in Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula impertita ab Episcopo censebatur sacerdoti licentia ce-

lebrandi Missam in privatis laicorum oratoriis, quoties super mappis ab Episcopo consecratis celebraret.

11. Postremum autem, quod dicimus, illud est: quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici regni gloria, tanto plausu acceptum fuit, opera Cardinalis Hosii, et Nuntii Commendonii, in magno conventu habito coram rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavicinum conscripta *lib. 24. cap. 13.* videre est) *in Sess. 22.* in decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: *Neve patiantur,* (de Episcopis sermo est) *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi,* cum adiecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini, *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque;* ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant; ac proinde praedictum ius ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiae temporum, et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque huiusmodi semper fuit conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa eiusdem interpres; quaeque etiam a fel. record. Praedecessore Nostro Paulo Papa V. in Epistola encyclica anno 1515. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quae quidem Epistola tum apud varios auctores, tum *in citato Tractatu Nostro de Sacrificio Missae Sect. 2. §. 42.* impressa reperitur. Et in ea quidem alia quaecumque verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missae Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti praebebat. Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem huiusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.*

12. Postquam ius concedendi oratoria in privatis laicorum domibus Sedi Apostolicae reservatum fuit, dici vix potest, quantum curae, ac diligentiae adhibitum sit pro recto eiusdem moderamine. Qua de re in archivio Congregationis Concilii, cuius olim Secretarii munus Nos ipsi, antequam ad maiores dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperiuntur. Haec tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Literarum in forma Brevis, quae conceduntur, colligere licet: oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, et quod licentia huiusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a sacerdote vel saeculari vel regulari, dummodo saecularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore, ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annuntiationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Titularis ecclesiae loci: exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato oratorio Missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, et ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine parochialium iurium praeiudicio fieri debere.

13. Atque haec sunt, quae in consuetis privatorum oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt: ut quum exempli gratia iustis cuipiam de causis concessio fit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis praefixus est; vel etiam in diebus exceptis; et alia huiusmodi. Cum autem interdum tam circa Brevia privatorum oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controver-

siae exortae sint, Apostolica Sedes per huiusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non praetermisit.

14. In ordinariis Brevibus ut plurimum duobus coniugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato oratorio Missa celebretur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem praesentibus, tum eorum filiis, consanguineis atque affinibus, qui una cum ipsis in eadem domo habitationem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut vir, aut uxor Missae intersunt, si consanguinei et affines, qui in eadem domo habitant, praesentes pariter adsint, ecclesiastico praecepto diebus festis satisfaciant; id tanquam tutum, ac Brevis literae cohaerens habitum est. Summa autem difficultatis eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter coniugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinibus in eadem domo habitantibus, posset eo iubente in privato oratorio Missa celebrari; et num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei et affines, eamdem audientes festo die, ecclesiastico praecepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divisae de more auctorum opiniones erant; verum cum huiusce difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3. Decembris 1740. in causa, cuius inscriptio erat *Marsicen. Oratorii*, propositum ac discussum esset: decisum fuit, non posse in privato oratorio Missam celebrari, nisi indultariorum praesentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, viri vel uxoris, ad quos Breve directum erat; quemadmodum *in tom. 9.* Resolutionum Concilii anni 1740. *ad pag. 89. et seq.* videre est.

15. Cum autem decreti huiusce facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7. Ianuarii 1741. confirmatum fuit; ac praeterea demandatum, ut in huiusmodi Brevibus, in quibus certis quibusdam ac determinatis personis concessio fit, ut unam in privato oratorio Missam celebrari facere possint, quae Missa pro filiis, consanguineis et affinibus valeat, maioris claritatis gratia, subiecta clausula adiungatur: *Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, et affines praedicti unicam dictam Missam, vobis quidem praesentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant.* Ut autem quae indultariae personae sint, facile agnosci posset, sine quarum praesentia Missa celebrari non potest, neque, qui eamdem audit, praecepto satisfacit, adiunximus, ut pro indultariis personis illae haberentur, quae in fronte, seu inscriptione Brevis nominatae forent, cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

16. Nos ab huiusmodi norma minime recedimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua praesente, conceditur, ut Missa celebrari possit et quod alii affines, consanguinei, vel familiares eamdem audientes, praecepto satisfaciant, etiamsi praedicta persona in fronte Brevis minime nominetur, hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex indultariis personis adsistit, quae in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiamsi nulla earum personarum praesens adsit, quae in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur, dummodo illa praesens sit, cui in Brevis corpore nominatim et expresse facultas tribuitur, ut possit in privato oratorio tum cum ipsa adsistat, facere ut Missa celebretur.

17. Atque ut res exemplo magis pateat: datur viro et uxori facultas faciendi, ut in privato oratorio Missa celebretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir superstitem habet matrem; haec vero in fronte, seu inscriptione Brevis minime nominatur; verum cum in Brevis corpore dicatur, quod ipsa quoque mater eamdem Missam celebrari facere possit et valeat; id sufficiens est, ut, sola matris praesentia adhibita, Missa in oratorio celebrari possit, etiamsi mater in fronte, seu inscriptione Brevis nominata non sit. Quae hactenus dicta sunt, in huiusmodi generis Brevibus indicantur; verum curae nobis erit, ut in posterum felicius etiam, et sine ulla confusione exprimantur.

18. In consuetis sive ordinariis Brevibus, solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recensetur, in quo tres a quolibet sacerdote Missae celebrantur. Interdum illi, qui privati oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem, valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in huiusmodi Brevibus de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit: num possent die Natalitio a sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missae celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilii eiusdem a secretis eramus peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13. Ianuarii anni 1725. resolutum a Congregatione fuit, quod a sacerdote tres Missae celebrari possent, quemadmodum *tom. 3.* Thesauri Resolutionum *pag. 109. et seq., et pag. 116.* videre est.

19. Reliquum est, ut de sacris functionibus dicatur, quae in

iis oratoriis fieri possunt, quae in domibus privatorum sunt, et in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permissum est, nisi cum forte cuipiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet, iam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri posset, praeterquam in ecclesiis, in quibus sacri huius lavacri fontes reperiuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de regum, vel principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica *de Baptismo, et eius effectu,* videre est.

20. Quod autem Sacramentum Poenitentiae respicit, iam in Rituali Romano sub titulo *de Sacr. Poenitentiae,* cum de sacerdote sermo sit, qui confessiones audit, statutum fuit: *In ecclesia, non autem in privatis aedibus, confessiones audiat, nisi ex causa rationabili, quae cum inciderit, studeat tamen id decenti, ac patenti loco praestare.* Rituale a Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnus ecclesiasticae disciplinae instaurator, sanctus Carolus Borromaeus tum in Instructione Sacramenti Poenitentiae, tum in Monitis ad confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio id inculcare non praetermisit, quemadmodum in Actis ecclesiae Mediolanensis, editionis civitatis eiusdem *Part. I. pag. 11., Part. IV. pag. 520., eadem Part. IV. pag. 761., et pag. 773.* videre est; *pag.* autem *775.* Superioribus Regularium inculcat, ut id a subditis eorum exacte adimplendum curent. Cum autem a praedictis confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique confessiones fidelium, quam sibi ea ratione afferebant, quod in Pontificis Clementis X. Bulla *Suprema* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nullam facultatem* (in praedicta Constitutione sua) *fuisse tributam Regularibus audiendi Confessiones Sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cuiusvis Ordinis etc. Sacramentum Poenitentiae administrare in domibus privatis extra casus a iure permissos.* Quod decretum cum Praesulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in appendice ad Synodum Fulginatensem, quae a bon. mem. Iosaphat Baptistelli, civitatis eiusdem Episcopo, anno 1722. celebrata fuit.

21. Quod pertinet ad Communionem paschalem, quae ab unoquoque catholico Paschatis tempore recipienda est ex praescri-

pto tum Decreti Concilii Lateranensis *in cap.* Omnis utriusque sexus, *de poenitentiis et remissionibus*, tum Concilii Tridentini *Sess. 13. cap. 10., can. 10.*, nemo est, qui ignoret, praeceptum hoc in propria parochiali ecclesia adimplendum esse, aut in alia ecclesia cum proprii Episcopi, vel parochi licentia, secundum varias dioecesum consuetudines. Porro fel. record. Praedecessor Noster Paulus Papa IV. Fratribus Minoribus privilegium concessit, ut sacram Eucharistiam omnibus Christifidelibus in eorum ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis; atque hoc privilegium a s. m. altero Praedecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

22. Verum quia, secundum praecedentem Eugenii IV. Constitutionem, paschale tempus, intra quod Communionis praeceptum adimplendum est, a Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret, intra praescriptum eorumdem dierum terminum sacram Eucharistiam fidelibus in eorum ecclesiis distribuere, resolutum fuit: die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra sanctiorem hebdomadam paschali praecepto in propria parochiali ecclesia satisfecissent; posse quidem Regulares aliis paschalis temporis diebus fideles in eorum ecclesiis sacra Eucharistia reficere; hac tamen conditione, ut Communione refecti scirent, non ideo se a praecepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria parochiali ecclesia Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii decreta sunt quibusdam in causis, Senonensi videlicet, Burdigalensi et Mechliniensi, quae a Nobis in Nostro *de Synodo dioecesana* Tractatu *lib. 7. cap. 42. n. 3.* relata sunt.

23. Extra paschalem vero Communionem, cum in sacro Tridentino Concilio *Sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missae*, quae subiicimus verba leguntur: « Optaret quidem sacrosancta Synodus, » ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affe» ctu, sed Sacramentali etiam Eucharistiae perceptione commu» nicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior » perveniret, » non defuit, qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe et clare inde consequatur, ut in privatis oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistia possit iis, qui Missae praesentes adsunt, neque ad hoc praestandum

ullo particulari indulto opus sit. Super huiusmodi quaestionis capite Nos *in Nostra Institut. 34.* §. *3.* disseruimus, inter eas, quas tum, cum Bononiae resideremus, ecclesiae illius archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico sermone edidissemus, postea Romae latine redditae atque impressae sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subiunximus, quae Episcopi licentiam requirit, ut, qui domesticum oratorium domi habet, dum Missae in eodem interest, communicare possit. Huiusmodi opinio tum bono rerum ordini, tum Romanae etiam consuetudini, sive praxi cohaerens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato oratorio recipi Communio posset ab iis, qui in eodem Missae intersunt, quam vel saecularis sacerdos, vel sacerdos regularis celebraret, nisi vel Nostram, vel Generalis Vicarii Nostri licentiam obtinuisset.

24. Neque etiam in praesens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ab hoc systemate recedamus. Siquidem, cum Nos in magna illa controversia super Communione illis distribuenda, qui Missae praesentes cum sint, eamdem petunt, quae aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissemus, atque eorum zelum commendassemus, qui inter sanctae Missae celebrationem Communionem recipiunt, ecclesiasticos quoque pastores excitavissemus, ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui eiusdem famelici forent; cum, inquam, animadvertissemus, eiusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factum existimet, sacram Eucharistiam etiam illi, qui Missae interfuit, minime distribui; eo magis quod, iuxta praesentis temporis disciplinam, libera eidem facultas pateat, ut eamdem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc debita proprii Superioris praecepto obedientia praestari deberet, cui qui morem gerere recusasset, nimis manifestum indicium praebuisset, quam parum animo dispositus ac paratus esset ad altaris Sacramentum recipiendum, quemadmodum in Literis Nostris, quarum initium est: *Certiores effecti*, et quae in Bullario Nostro *tom. 1. n. 64.* leguntur, videre est.

25. Atque haec sunt, Venerabiles Fratres, quaecumque in encyclica hac Epistola Nostra Vobis exponere opportunum existimavimus, a quo quidem satis intelligetis, quod legendis et con-

siderandis Apostolicis Literis concessionum oratorii, Decessorum Nostrorum decretis, harum Congregationum resolutionibus, quae a Nobis, etiam in praesentia confirmata sunt, nullus amplius litibus et controversiis locus reliquus sit. Verum quia Vos illud fortasse Nobis responsuros arbitramur, optime quidem haec omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod, quaecumque decreta atque ordinata sunt, minime observantur, ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod, si inobservantia ex neglecta Brevium lectione et consideratione, aut ex ignoratione decretorum, et Pontificiarum Resolutionum, originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus, idque nunc maxime, postquam, ingravescente licet aetate Nostra, et multis ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in encyclicam hanc Epistolam Nostram, quidquid hac super re scire opus erat, inserere non detrectavimus.

26. Quodsi vos etiam id praestare curabitis, ut in dioecesanis Synodis vestris, in vestris item edictis, quae a vobis pro bono dioecesis vestrae regimine publicantur, Pontificiorum decretorum ac resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcatis, duplex inde bonum exstabit, ut et vivam in vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis aut ignorantiam expellatis, aut eamdem, utpote crassam deinceps atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem ac normam tenuerunt, atque in praesentia tenent Nostri Italiae Episcopi, qui aut Pontificiorum decretorum, quae super privatis oratoriis condita sunt, summam in Synodis suis inseruerunt, aut in appendice ad ipsas Synodos eadem decreta *per extensum* adiunxerunt, quemadmodum in Synodo anno 1724. a bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera anno 1726. celebrata a bon. mem. Cardinali Pignatelli, Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quae anno 1736. habita fuit a Vener. Fratre Nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus persuasum sit, omnia in Nostra tempora inconvenientia incidere, atque ea praesentibus diebus contingere scandala, quae numquam praeteritis temporibus evenerint. Satis superque pro certo habemus, ea, quae hodie fiunt, alio tempore accidisse. Ac, ne a proposita re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacrae leges ad privata oratoria pertinentes a sacerdotibus violantur propter praesidium,

quo nituntur, Magnatum saeculi, apud quos capellani munere inserviunt; idem nono etiam saeculo eveniebat, cum S. Agobardus, tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re queratur in suo Tractatu *De privilegio et iure sacerdotis cap. 23.* Non tamen idcirco vobis sacerdotalis constantia atque animus deponendus est. Pia ac religiosa Polonorum natio est; et, si quando aliquis abusus in privatis eiusdem oratoriis contingat, cum id Magnati, cuius in domo commissus aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo et ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur, sperare est, ipsum omne suum inobedienti capellano praesidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hac ratione finis non obtineretur, praesto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra capellanum uti potestis. Fortasse autem si hac ratione factum esset, quum primum de inconvenienti rescitum fuit, pace omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recursibus ad Nos delatis notum factum est, quorum causa ad encyclicam hanc Epistolam Nostram conscribendam animum adduximus.

28. At enim inconvenientia a privilegiatis et exemptis proficisci vos fortasse dicturos praevidemus, nimirum a Regularibus, de quibus in praedicto recursu ad hanc sanctam Sedem facto plura insinuantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quae impedire possint, quominus abusus exterminentur.

29. Habebant sine dubio Regulares privilegium altaris viatici, et ut super eodem altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. *in cap. In his, de privilegiis,* videre est; a quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare etiam in domibus laicorum, sive super altari viatico, sive super altari fixo, etiamsi laicus privilegium oratorii privati minime haberet, propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegiatus foret. Verum cum sacrum Tridentinum Concilium in citata *Sess. 22.* in decreto iam citato *de observandis et evitandis in celebratione Missae,* Episcopis praecepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missae celebrentur *a saecularibus, aut a Regularibus quibuscumque,* eisdemque dedisset facultatem procedendi tamquam

Apostolicae Sedis Delegati, contra refractarios: *ut Delegati Sedis Apostolicae*, atque omnibus privilegiis, exemptionibus et consuetudinibus contrariis, cuiuscumque generis essent, derogasset: *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque:* hinc necessario consequitur, sacrum Concilium Tridentinum tam praecedentibus altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tamquam Sedis Apostolicae Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiamsi exempti sint, nullum vero amplius esse privilegium vel exemptionem, quae obstet, quaeque impediat, quo minus abusus tollantur.

30. Nihil autem valet ea, quae a quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud *in corpore Iuris* inclusum sit; etenim sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quae *in corpore Iuris* inclusa sunt, nullam etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adiecta ad contraria privilegia derogatione, quemadmodum celebris Praesul Fagnanus *in cap.* Nonnulli *num. 42., et seq. sub tit. de Rescriptis* ample demonstrat.

31. Quodsi forte quis hoc unquam obiiceret, concessum saepe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, altaris viatici usum concedi, Fraternitatibus vestris notum esse debet, huiusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi ecclesiae non sunt, aut, si sunt, talis haereticorum potentia est, ut in easdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint. Uno verbo praecise necessitati providetur, quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu, plane diversum est.

32. Gregorii XIII. Decessoris Nostri privilegium legite, quod *anno 1580.* Fratribus Ordinis Praedicatorum provinciae Polonicae concessit, quod Bullarii Religiosae illius Familiae *tomo 7. pag. 192.* insertum est: « In quibusdam civitatibus, oppidis et locis pro» vinciae Poloniae tanta haereticorum potentia et impietas exi» stit, ut Catholicos impune opprimant, nec iisdem Catholicis Mis» sas in ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire » tuto liceat. Nos supplicationibus tuis in hac parte inclinati, » tibi, ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Praedicatorum

» Provinciae Poloniae Priori Provinciali, ut licentiam et facultatem dictis Professoribus altaria portatilia habendi cum debitis » reverentia et honore, super quibus in domibus nobilium civium » et incolarum civitatum, oppidorum et locorum dictae provinciae, in quibus vel ecclesiae desunt, vel tanta est haereticorum » potentia et impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc » congruentibus et honestis, per se ipsos Missas in praesentia » personarum catholicarum celebrare possint, in casibus necessitatis tantum, ita, quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore praesentium de speciali gratia indulgemus. »

33. Legite item iam superius citatum Clementis XI. Decretum, quod, maioris etiam commoditatis vestrae gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiamsi, tum, cum illud conditum fuit, praeter publicationem eiusdem Romae factam, ad Ordinarios per loca, tam intra, quam extra Italiam, transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo, quod Nostris rationibus et animadversionibus Nos idem roborandum suscipiamus, (quod quidem facere Nobis in proclivi esset, cum praestantiorum inter Pontificii iuris peritos auctorum assertiones ubique in promptu sint), manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis altaris privilegia, quae Regularibus concessa fuerunt, et num a Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato oratorio cuipiam concesso Missam celebrare, cum prima iam celebrata est, nec pro secunda huiusmodi Missa peculiare indultum adest. Cognoscetis, num in praedictis privatis oratoriis licitum eisdem sit, vel ante auroram, vel post meridiem Missam celebrare; num celebrare eamdem possint diebus iis, qui in indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino huiusce rei necessitas sit, illud Nos in praesentia decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum curae committimus, ut pro exacta eiusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit, ad Sedem Apostolicam recurrere, inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum rigore ea remedia sint, quae ab ipsa Apostolica Sede contra huiusmodi inconvenientia subministrata fuerunt.

34. In eo, qui ad Nos factus est, recursu, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, Regu-

lares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris edictis decretum fuerit, ne ullus sacerdos, vel saecularis, vel regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena ecclesia, sive intra, sive extra coenobium, quin prius a vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam a vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod praestari debet, quodque ab Episcopis praestari solet, quemadmodum apud Clericatum *de Sacramento Ordinis decis. 19. num. 42.*, ubi episcopales Synodos affert, videre licet. Quodsi nihilominus, postquam a vobis, tam in hac materia, quam in alia oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, praestitum fuerit, vestra nihilominus praecepta violabuntur, ac poenae a vobis impositae et inflictae negligentur, nequaquam certe Nos officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem Nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui Fratres Nostri sunt, iura sarta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam populis curae vestrae commissis Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Decretum fel. rec. Clementis PP. XI. circa celebrationem in oratoriis privatis, emanatum 15. Dec. 1703.

« Quoniam sancta sancte tractanda, ac praesertim tremendum » incruenti Sacrificii mysterium, quod omni religionis cultu et » veneratione peragendum est, propterea super observandis et » evitandis in celebratione Missarum in sacrosanctis oecumenicis » Conciliis, et praesertim Tridentino sub cap. unico Sessionis 22. » inter cetera statutum est, ut tantum Sacrificium solummodo » in ecclesiis aut oratoriis divino tantum cultui dicatis celebra- » retur, praecipiendo Episcopis et locorum Ordinariis, ne privatis » in domibus, atque omnino extra ecclesiam peragi paterentur. » Ac subinde Sacra Congregatio EE. et RR. S. R. E. Cardinalium » ipsius Concilii Tridentini exsecutioni et interpretationi praepo- » sitorum saepe saepius per opportuna decreta obrepentes abusus » eliminavit. Modernis tamen temporibus innotuit SSmo D. N., » quod nonnulli Episcopi et complures Regulares, sub praetextu » privilegiorum, ea sibi licere putant, quae prohibita sunt; siqui- » dem Episcopi etiam in aliena dioecesi, extra domum propriae » habitationis, in privatis laicorum domibus erigi faciunt altare,

» ibique per unum, aut plures e suis capellanis vivificam Chri-
» sti Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magna-
» tum, seu aliarum nobilium personarum privatis oratoriis, quae
» certis quandoque ex causis a Sede Apostolica concedi solent,
» celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum,
» vel absque praesentia personarum, quarum contemplatione gra-
» tiosa concessio emanavit, vel extra debitas horas, et post me-
» ridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones dioe-
» cesanas, aut etiam decreta sacrae Congregationis Concilii ce-
» lebrari prohibetur, aut quae in ipsis indultis Apostolicis exci-
» piuntur, quo minus in illis celebrari possit, aut etiam altari
» portatili uti non verentur, in sacrarum sanctionum contem-
» ptum, ac sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abu-
» sus huiusmodi eliminandos, et ad instaurandam venerationem
» tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus Noster, ex
» unanimi voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Inter-
» pretum, inhaerendo declarationibus alias hac de re editis, expres-
» se declarat: Episcopis et his maioribus Praelatis, etiam Cardi-
» nalatus dignitate fulgentibus, neque sub praetextu privilegii
» clausi in corpore Iuris, neque alio quoque titulo, nullo modo
» licere, extra domum propriae habitationis, in domibus laicis,
» etiam in propria dioecesi, quod fortius intelligitur in aliena,
» etiamsi Dioecesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique
» sacrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari fa-
» cere. Ac pari modo in oratoriis privatis, quae per Sanctam Se-
» dem concessa fuerint, non licere Regularibus cuiusvis Ordinis,
» aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Iesu, aut etiam
» cuiuscumque Ordinis militaris, etiam S. Ioannis Hierosolymi-
» tani, aut aliis quibuscumque sacerdotibus, etiamsi essent Epi-
» scopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativi-
» tatis Christi Domini, aliisque anni festis solemnioribus, ac die-
» bus in indulto exceptis. In reliquis vero diebus, praedictis Re-
» gularibus, et sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis in
» praefatis oratoriis celebrare non licere, ubi iam unica Missa,
» quae in indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo cele-
» braturus teneatur diligenter inquirere, et de eo se optime in-
» formare; atque illa etiam in casibus praemissis celebrari ne-
» queat post meridiem; demandando ulterius et declarando in
» omnibus casibus personas quascumque dictas Missas audientes

» nullatenus praecepto Ecclesiae satisfacere. Quo vero ad altare » portatile, iterum inhaerendo declarationibus supradictis, censuit, » licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus *in Cap.* » *In his, de privil.* ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regu- » laribus communicata, utendi dicto altari portatili, in eoque ce- » lebrandi absque Ordinariorum licentia, in locis, in quibus de- » gunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, » atque idcirco eosdem Regulares prohibendos, ne illis utantur, » ac mandandum, prout praesentis tenore mandat Episcopis aliis- » que Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, » quamvis Regulares, procedant, etiam tamquam Sedis Apostoli- » cae Delegati, ad poenas praescriptas per idem Sacrum Conci- » lium in dicto Decreto *Sess. 22. cap. unico,* usque ad censuras » latae sententiae; tributa etiam iisdem facultate per hoc decre- » tum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specia- » liter concessa fuisset: et ita Sanctitas Sua declarat, et servari » mandat. »

B. Card. Panciaticus, *Praef.*
Io. Dominicus Tomatus, *Episc. Tyrenen., S. C. C. Secret.*

X.

Benedicti XIII. Literae Apostolicae Creditae Nobis, *quibus Ordinariis Italiae, insularumque adiacentium districte mandatur, ut seminariorum erectionem sedulo promoveant, eorumque honestae sustentationi provideant taxa et subsidiaria respective unione beneficiorum, iuxta modum a Sacro Tridentino Concilio praescriptum, ac insuper nova instituitur Congregatio, seminariorum nuncupanda, quae recto illorum regimini et administrationi praesideat, cum aliis ordinationibus, et clausulis, ac derogationibus opportunis.*

(Ad pag. 123. et 132. vol. I.)

Summarium. 1. Ecclesiastica iuventus diligenter exculta ingentes Ecclesiae utilitates suo tempore reddit. – 2. Idcirco Trid. Synodus seminariorum erectionem praecepit, quam Bened. XIII. districtius, ubi locum non habuerit, exsecutioni committi praecipit. Ad hanc rem taxa iuxta mentem Concilii Tridentini confici mandat. Quinam sub ipsa taxa comprehendi debeant. – 3. Ratio taxae conficiendae. Antiqua servanda, donec nova approbetur. Cuinam exsecutio committenda sit. – 4. Taxatas portiones apud exactorem Episcopi et Capituli quotannis deponant. – 5. In taxae supplementum beneficiorum unio facienda conceditur. – 6. Quae-

nam beneficia ab eadem unione immunia servantur. – 7. Nova in Urbe seminariorum Congregatio instituitur. – 8. Quaenam in eadem Congregatione tractanda et cognoscenda praescribantur. – 9. Taxa supradicta cum relatione hic iniuncta ab Episcopis efformanda, et praefatae Congregationi pro approbatione transmittenda. – 10. Usus rerum seminarii, seu ministrorum Episopis eiusque familiaribus prohibetur. Quibus et quando Episcopi uti possint. – 11. Quibus studiis et exercitiis a seminariorum clericis incumbendum sit. – 12. Decretum irritans cum clausula *sublata*. – 13. Decretum derogans. – 14. Mandatum pro affixione, ac decretum poenale.

1. Creditae Nobis coelitus dispensationis officium salubriter exsequi, adiuvante Domino, satagentes, ad ea mentem curasque Nostras libenter convertimus, per quae sedulae clericorum institutioni opportune prospicitur. Ubi enim illi a teneris annis, ceu plantae novellae, benigniori cultura educentur, hoc est, ad pietatem, morum candorem, literarumque scientiam in seminariis accurate informentur, cum postea ad laboriosa ecclesiastica ministeria in vineam Dominicam transplantantur, ecclesiarum regimini, populorumque saluti maxime fructuosos, ac utiles esse, diuturna plurimorum annorum experientia satis compertum habemus.

2. Cum itaque seminarii ecclesiastici erectio a Sacra Tridentina Synodo *cap. 18. Sess. 23. de Reformat.* Episcopis omnibus tantopere commendata, et ad ecclesiasticam disciplinam conservandam adeo necessaria, in pluribus cathedralibus ecclesiis, quemadmodum non sine gravi animi Nostri moerore accepimus, hucusque neglecta fuerit, Nos pro pastoralis vigilantiae Nostrae debito pium hoc et sanctum opus strenue promovere cupientes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, universis et singulis locorum Ordinariis Italiae insularumque adiacentium, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione districte iniungimus, praecipimus, et mandamus, ut in cathedralibus, in quibus seminarium hactenus erectum non fuit, illud quamprimum erigi, ac omnino institui curent; ubi vero iam reperitur erectum, sed congruis reditibus ad alumnorum magistrorumque sustentationum necessariis instructum non est, de iis, ut infra, opportune provideant. Utroque igitur casu, nimirum tam pro erectione novi seminarii, quam pro supplemento reddituum seminarii iam erecti, taxam

cum consilio duorum de Capitulo, et totidem de clero conficiant, a memorato Trid. Conc. *cap. 18. Sess. 23. de Reformat.* praescriptam, incipiendo ab integris fructibus mensae episcopalis, et absque ullo discrimine prosequendo, iuxta normam ibidem expressam, et provide constitutam.

3. Eidem vero taxae omnia et singula beneficia saecularia, et regularia per quoscumque, etiam venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, necnon Nostros et pro tempore existentis Romani Pontificis familiares, et camerae Nostrae Apostolicae clericos, ministros, ac officiales quoscumque, praesentes, et futuros obtenta, et in posterum obtinenda, ac omnia insuper beneficia saecularia prioratibus, commendis, vel baiulivatibus Ordinis fratrum S. Ioannis Hierosolymitani quomodocumque unita, aut de cetero unienda, necnon fructus, ac reditus confraternitatum laicorum, ex certis fundis et capitalibus provenientes, (non autem summas pecuniarias, quae a confratribus quolibet mense, vel anno, vel per modum eleemosynae, vel in vim statutorum contribuuntur) subiici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decernimus, statuimus, et mandamus, declarantes ab ea exemptos esse debere Regulares pro iis tantum beneficiis, vel fructibus, quarum ratione ipsis Apostolica Sedes diserte, ac expresse, et ex causa vere, ac proprie onerosa indulsit, ut ab onere taxae pro seminario exempti sint.

4. Porro eiusmodi taxa iuxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii, et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario; ita ut nunquam minor scutis tribus, neque maior sit quinque pro quolibet centenario et anno; ac in illius confectione regula, a Tridentino Concilio in praedicto *cap. 18.* sancita, accurate et ad amussim observetur. Donec autem nova haec taxa confecta et a Congregatione a Nobis deputata, ut infra dicetur, approbata fuerit, alia taxa, quam seminarium antea exigere consueverat, omnino persolvatur. Ceterum novae taxae exactio semper committatur personae fide et facultatibus idoneae, ab Episcopo et cathedralis ecclesiae Capitulo specialiter approbandae et deputandae, ita quidem, ut quoties exactor huiusmodi negligens, aut minus idoneus fuerit, illius culpam idem Episcopus et Capitulum portare debeant, et pro non exactis, atque deperditis respective de proprio teneantur,

liceatque seminario tam contra exactorem, quam contra deputantes, eorumque haeredes quocumque tempore agere nedum pro deperditis, sed etiam pro non exactis ad praecisam taxae faciendae normam et quantitatem.

5. Praeterea Episcopi et Capitula portiones, seu quotas sibi obtingentes, iuxta praefatam taxam quolibet anno realiter, et cum effectu deponere teneantur penes exactorem deputatum, qui eas solvat, seu eroget in sumptus pro seminarii manutentione necessarios, et tam huius depositi, quam successivae solutionis, seu erogationis, simulque cuiuslibet alterius exactionis non factae, et qua de causa, documentum per eosdem Episcopos et Capitula ad antedictae Congregationis Secretarium quotannis transmittatur.

6. Quod si in aliqua dioecesi computatis propriis seminarii reditibus, si qui sint, necnon beneficiorum antea cum effectu illi unitorum, ac fructibus parvorum conventuum suppressorum praecedenter applicatis (quas quidem tum beneficiorum uniones, tum applicationes fructuum parvorum conventuum firmas esse volumus) per huiusmodi etiam taxam erectionis et sustentationis seminarii, ad necessitatem nimirum uniuscuiusque dioecesis, et alumnorum, non autem ad pompam, et voluptatem, sufficienter provideri nequiverit, tunc, et eo casu, ac in subsidium tantum, Ordinarii locorum eidem seminario unire et applicare possint, ac debeant beneficia simplicia, cuiuscumque qualitatis et dignitatis fuerint, etiam iurispatronatus ecclesiastici, vel quomodocumque affecta, et dispositioni Sedis Apostolicae reservata, sine tamen ullo divini cultus ac illa obtinentium praeiudicio. Haec porro unio fiat statim et ante eorumdem beneficiorum vacationem: nempe uniantur beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui reditus quantitatem, in ipsa unione specificandam, quae computata taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum; ipsaque unio, statim ac beneficia praedicta quomodocumque vacaverint, debitum atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. *Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII.,* necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus, vel decretis, in contrarium facientibus, non obstantibus.

7. Ceterum considerantes monasteria, prioratus, et beneficia consistorialia, necnon aliqua alia indispensabiliter necessaria esse

ac fore pro congrua sustentatione S. R. E. Cardinalium, et ministrorum, Romano Pontifici et Sedi Apostolicae actualiter inservientium, volumus, et declaramus, quod abbatiae, prioratus et monasteria consistorialia, seu beneficia, quovis modo Apostolica auctoritate commendata, et ad praesens obtenta, ac in futurum obtinenda, per antedictos S. R. E. Cardinales, seu veros et proprios Papae familiares, Nuntios Apostolicos, et Praelatos Congregationum, quibus iidem S. R. E. Cardinales intersunt, Secretarios dumtaxat memoratis seminariis uniri, et applicari numquam possint, et uniones, quas forsan fieri contigerit, nullae ac irritae prorsus sint, firma in reliquis remanente libertate et facultate uniendi (servata tamen forma superius expressa, et non aliter) cetera omnia beneficia, etiam, ut praefertur, affecta, et reservata, vel alias ad provisionem ac dispositionem Sedis Apostolicae quomodolibet pertinentia.

8. Cum autem, sicut accepimus, seminaria plerisque in locis ideo erecta minime reperiantur, vel quia Episcopi taxam conficere detrectant, ne illam a semetipsis inchoare cogantur, vel quia beneficia simplicia, quorum dispositio ad eos libere spectat, occurrente illorum vacatione, suis familiaribus, aliisve personis sibi gratis et sibi benevisis conferre volunt; hinc est, quod Nos omnem scopulum ac obicem impeditivum boni spiritualis, ab eiusmodi seminariorum erectione provenientis, e medio prorsus tollere ac removere intendentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine paribus, Congregationem, seminariorum nuncupandam, in qua venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Congregationi super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, necnon Congregationi Interpretum Concilii Tridentini Praefecti, utriusque Congregationis Secretarii, Datarius, seu Prodatarius, ac Subdatarius, nunc, et pro tempore existentes esse debeant, tenore praesentium perpetuo erigimus, ac instituimus, eiusdemque Congr. Secretarium illum ipsum, qui Congr. Conc. praedicti Secretarius pro tempore fuerit, constituimus, ac deputamus; praedictaeque Congr., ac illius Secretario, omnium et singulorum seminariorum in locis, ubi adhuc erecta non sunt, erigendorum, et, ubi erecta quidem sunt, sed sufficientes non habent reditus, iis pro modo indigentiae, ut praefertur, augendorum omnimodam curam committimus, ac demandamus, necnon eiusdem Congr. deputatis praedictis semel singulis mensibus,

et quoties opus fuerit, se congregandi, dictorum seminariorum erectionem promovendi, iam erectorum statum et proventus recognoscendi, eorum necessitatibus opportune consulendi, taxas approbandi, reformandi, et augendi, numerum alumnorum in singulis seminariis taxandi, et praefigendi, eumque pro modo redituum augendi et minuendi, statuta pro recto, felicique eorumdem seminariorum regimine et administratione condendi, eaque mutandi, variandi, corrigendi, ac toties quoties illis expedire videbitur, de novo faciendi, emergentes controversias summarie, solaque facti veritate inspecta, cognoscendi et definiendi. Visitatores etiam, qui eiusmodi seminaria diligenter perlustrent, et an recte atque fideliter administrentur, ac in iis potissimum regulae, a Tridentino Concilio praescriptae, sedulo adimpleantur, inspiciant et recognoscant, ubi, quando, et quoties opus esse iudicaverint, facto tamen prius verbo cum Romano Pontifice pro tempore existente, delegandi, ac deputandi, aliaque in praemissis necessaria et opportuna pro data ipsis a Domino prudentia decernendi, gerendi, et exsequendi, plenariam, atque omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem tribuimus, concedimus, ac impertimur.

9. Universis itaque Episcopis, quorum in dioecesibus non adsunt, vel congruis reditibus instructa non sunt seminaria, per praesentes iniungimus, et mandamus, ut quamprimum praefatam taxam sedulo conficiant, eamque ad antedictae Congregationis Secretarium intra sex menses, a die publicationis praesentis Constitutionis computandos, omnino transmittant, una cum distincta et accurata relatione omnium beneficiorum suarum dioecesum, eorumque annui valoris, necnon locorum, animarumque, et ecclesiarum in illis existentium, cum suis qualitatibus, ad hoc ut eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, statuere possit, an praedicta taxa approbari necne debeat, simulque numerum alumnorum, in unoquoque seminario retinendorum, et summam, pro singulorum sustentatione necessariam, praescribere, et reliqua tandem omnia, quae pro recta eorumdem seminariorum administratione, sedulaque alumnorum institutione utilia ac opportuna iudicaverit, salubriter decernere valeat.

10. Omnibus insuper Episcopis praefatis, ne de cetero pro se, vel suis vicariis, aut familiaribus quibuscumque, sub quovis colore, et praetextu, habitatione, coquina, famulis, ministris, aut

officialibus seminarii, vel lectoribus, magistris, sacerdotibus et clericis, quoquomodo inservientibus eidem seminario, et alumnis, vel a seminario salariatis, et sustentatis, ac quomodocumque retentis, uti audeant, districte sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae vetamus, ac inhibemus; non tamen per hoc prohibere intendimus Episcopo, Pontificalia exercenti, ne caeremoniarum magistro, vel sacerdotibus a seminario retentis, uti possit: imo, ut eorum opera ac assistentia in ciusmodi sacris functionibus libere uti valeat, plenam ipsi Episcopo tribuimus facultatem.

11. Postremo saluberrimae praefati Concilii dispositioni inhaerentes, volumus, praecipimus, et sancimus, ut in omnibus seminariis tam hactenus erectis, quam in posterum erigendis, alumni, grammatices, cantus Gregoriani, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium tantum disciplina erudiantur, et sacrae Scripturae, catechismi, aliorumque ecclesiasticorum librorum, praesertim vero de Sacramentis, sacrisque ritibus, et caeremoniis tractantium, lectioni diligenter incumbant, ut, cum ad vineam Domini excolendam vocati fuerint, dignos, peritos, utilesque operarios sese probare valeant, fructumque ei reddant uberrimum temporibus suis.

12. Decernentes praesentes Literas semper firmas, validas, et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, ac obtinere, necnon praemissa omnia, et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, exacte et inviolabiliter perpetuo observari; sicque, et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet, quacumque potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate ac auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane fore, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus etc.

13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum voluntatis, sanctionis, prohibitionis, institutionis, deputationis, praefectionis, commissionis, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1725. VII. idus Maii, Pontificatus Nostri anno primo. – P. M. Card. Prodat. – F. Card. Oliverius. – Visa de Curia I. C. Archiep. Amasenus. – Loco ✠ Plumbi – L. Martinettus. – *Registrata in Secretaria Brevium.*

XI.

Instructio de imponenda solvendaque taxa pro institutione et conservatione seminariorum.

Summarium. 1. Praeter Constitutionem *Creditae Nobis* et Literas encyclicas, quibuscum eadem missa fuit, Bened. XIII. particularem quamdam Instructionem adiici iussit, cuius ad normam taxa conficeretur et exigeretur. Quae leges circa subsidia a Tridentinis Patribus sancitae fuerunt pro seminariorum erectione, eadem valent pro eorumdem conservatione ac tuitione. – 2. Ratio, cur haec instructio condita fuerit. – 3. Seminario contributionem pendere debet in primis mensa episcopalis. – 4. Episcopi statum omnium proventuum mensae ante omnia firmare debent, et contributum perpetuo praefigere, quod nec infra tria, nec supra quinque scutata in singula centena esse debet; eadem contributio seminario facienda cunctos qui tenentur, obligat non solum in foro poli, sed etiam in foro fori. – 5. In stabiliendo statu proventuum mensae subducendae sunt impensae pro fructibus recolligendis necessariae, et onera ante Concilium Tridentinum imposita. Minime vero subducendae veniunt pensiones, salvo tamen iure repetendi ratam a pensionariis, qui per expressum privilegium exempti non fuerint. – 6. Quae numero antecedente pro mensa episcopali dicta sunt, pro quocumque alio beneficio obtinent. – 7. Capitula, dignitates et canonici ad taxam seminario solvendam tenentur. Suorum et hi proventuum statum firmare debent, ut supra. Distributiones quotidianae in hoc statu non sunt cumulandae et computandae, dummodo non sint loco praebendae, quo casu duae tantum partes praebendam efformant, et in proventuum cumulo computandae veniunt. – 8. Si ad distributionum massam conficiendam beneficia unita fuerint, taxa pro hisce beneficiis persolvitur. – 9. Non sunt computanda legata Missarum, nec eleemosynae, sed tantummodo reditus stabiles ac fixi, etiamsi ex legatis piis ortum habeant. – 10. Beneficia parochialia a taxa seminarii immunia non sunt, etiamsi reditus scutata centum non attingant. In annuo proventu computandi sunt proventus certi, aliique nuncupati *certa de incertis*, minime vero incerti absolute. – 11. Neque beneficia iuripatronatus obnoxia a taxa eximuntur, tametsi hoc ad personas quascumque etiam Regulares attineret. Taxa solvenda est seminario illius dioecesis, in qua beneficii titulus exstat, quamvis bona in alia dioe-

cesi sint sita: sed limitationis hic additae ratio habenda est. – 12. Omne genus beneficiorum saecularium ac regularium, etiamsi a Cardinalibus, Praelatis, aliisque dignitatibus ac personis obtineantur, seminario contribuere tenentur. Excipiuntur capellaniae, quae in titulum non conferuntur. – 13. Regulares taxationi subiacent, minime vero circa beneficia ac fructus per expressum privilegium exemptos. – 14. Equites Melitenses a taxatione non sunt immunes quoad beneficia, quibus forte potiantur, ad Religionem non pertinentia et quoad beneficia eorum prioratibus et commendis unita vel unienda. Exemptio a taxa iuxta Tridentinum competens collegiis, aliisque domibus, ubi studia coluntur, coercetur ad collegia saecularia, nec ad regularia extenditur, in quibus tantummodo salaria lectoribus debita subducere licet. – 15. Etiam moniales, secluso speciali privilegio, taxationi subsunt; quin eis suffragetur paupertas, nisi ex eleemosynis vivant, vel a solutione decimarum, attenta paupertate, exemptae fuerint. – 16. Taxationem non effugiunt hospitalia in titulum, vel administrationem data, effugiunt vero hospitalia laicalia, nisi iis beneficia ecclesiastica unita fuerint. – 17. Sodalitia laicalia, etiam in ecclesiis Regularium erecta taxanda sunt tum circa beneficia iis unita, tum circa fructus a fundis stabilibus percipi solitos. – 18. Taxandae itidem sunt fabricae ecclesiarum iuxta formam hic positam; necnon Montes pietatis circa beneficia iisdem unita. – 19. Taxa neque infra tria, nec supra quinque scutata sit in singula centena. Eiusdem solutio nullatenus retardari potest. Singulos, qui ad taxam tenentur, obliget Episcopus ad statum proventuum suorum accurate et iureiurando exhibendum. – 20. Haec instructio perlecta, considerata et approbata fuit a Summo Pontifice.

1. Praeter Constitutionem Sanctitatis Suae Bened. Papae XIII. de seminariorum erectione et sustentatione, factam pro Italia insulisque adiacentibus, et praeter literas encyclicas de hac eadem materia, iussu Sanctitatis Suae datas ad omnes praedictorum locorum Ordinarios, necesse visum est hanc Instructionem una cum literis modo dictis omnibus praedictis Ordinariis mittere eamque iuxta alias resolutiones a S. Congr. Conc. emanatas dirigere; idque eo fine, ut et taxa pro debito imponatur, et omnis e medio tollatur causa litis, quae occasione talis impositionis oriri posset; notandum autem, quod quaecumque in hac Instructione dicantur, valorem suum sortientur, tam in casu, quo seminarium non adhuc sit erectum sed erigendum, quam in casu, quo illud, iam erectum, conservandum erit, cum S. Congr. Conc. iam alias (S. C. Conc. in *Urbinaten. Visit. SS. Lim.* 10. Mart. 1663. *lib. 23. decret. pag. 451. et seq.*) decreverit, remedia a Conc. Trid.

(Sess. 23. cap. 18. de Reform.) pro seminariorum erectione praescripta ad eorumdem quoque sustentationem ita esse adhibenda, ut, quicumque teneatur obligatione ad seminarii erectionem contribuendi, eadem obstringatur obligatione ad eiusmodi contribuendi sustentationem, postquam erectum sit.

2. Et quoniam, qui cum ordine pariter ac distinctione procedit, methodum videtur seligere et theoriae et praxi congruentiorem, oratio initium sumet a discutienda obligatione contributionis, quam Ordinarius seminario conferre debet, ut postea sermo ad ea deflecti possit, quae ceterorum inferiorum spectant obligationem.

§. I. *De contributione seu taxa, quam Ordinarius seminario solvere debet.*

3. Certum est mensam, sive patriarchalem, sive archiepiscopalem, sive episcopalem, seminario contributionem seu taxam pendere debere; quae obligatio originem ducens ex verbis S. Concilii Tridentini *(Sess. 23. cap. 18. de Reform.)* renovata est in Constit. SSmi D. N. Bened. Papae XIII. §. *Cum itaque seminarii.*

4. In hac igitur non minus S. Concilii quam D. N. Constitutionis exsecutione Ordinarius prius attente videat, quamnam summam faciant annui mensae reditus; quam cum cognoverit, sese obligare debebit ad solvendam et de facto quovis anno iugiter seminario solvere eam ratam partem, quam quilibet alius beneficiatus quaevisque persona ad contributionem obligata praedicto seminario quotannis pendere debet. Haec autem quota, id quod alibi innuetur, neque infra tria, neque supra quinque scutata in singula centena annui reditus esse debet, cum contributio seminario facienda veri debiti rationem induat, ad quod et Ordinarii et alii, quibus solvendi onus incumbit, tam in foro poli quam in foro fori obligantur. Quod si quis hanc solutionem renueret, Congregatio particularis, a SSmo D. N. pro hisce rebus deputata, sataget, ut et ipsa, iuxta iustitiae terminos, eum cogat curetque cogendum.

5. Et quoniam, aut ratione expensarum in fructibus reditibusque colligendis, aut aliarum obligationum, quas habent Ordinarii, fixarum, aut denique pensionum ab ipsis solvendarum, natae sunt nascique adhuc possunt quaedam controversiae de facienda annuorum proventuum computatione, subiungitur, quod

annuus reditus, iuxta quem contributio seu taxa pro seminario determinetur (S. C. Conc. in *Ulixbonen.* anni 1573. *lib. 1. decret. pag. 174. a tergo, et pag. 175.*), is habebitur, qui, deductis solis expensis ad fructuum perceptionem necessariis, supererit; quod pariter ad stabiliendum reditum annuum oportet eas solas detrahere obligationes, quae ante Concilium Tridentinum impositae erant; quod denique in his, quae spectant ad pensiones, sive fixas sive vitalitias, Ordinarius non modo solvere debet (Concil. Trid. *Sess. 23. cap. 18. de Reform.*) ratam respondentem annuo suo reditui, sed etiam ratam pertinentem ad ipsum pensionarium, retinendo sibi in pensionis solutione id, quod pro illo solvit seminario, dummodo ipse pensionarius in pensionis impositione ampla literalique privilegio per ipsum Summum Pontificem a conferenda seminario tali contributione non fuerit exemptus. In hoc nimirum casu Ordinarius (S. C. in *Forolivien. 16. Iul. 1661. lib. 22. Decret. pag. 584. a tergo, et pag. 585.*) teneretur obligatione pro ipso solvendi, quin in reddenda annua pensione, quod pro eo solvit, retinere sibi posset. Ast hoc neque accidere potest, neque unquam hodie accidet; idque non solum ratione eorum, quae, uti infra elucebit, a Sanctitate D. N. in sua Constitutione statuta sunt, sed etiam, quia magna cum maturitate S. Congr. Concilii alias (S. C. C. in *Romana Contributionis seminarii* 3. Feb. 1646. *lib. 18. Decret. fol. 20. a tergo,* et in *Spoletana* die 30. Sept. 1710.) determinavit, neminem ratione beneficiorum et pensionum, quibus gaudeat, exemptum esse a persolvenda taxa, nisi qui exempti fuerint in S. Concilio Tridentino; et proinde ad hanc solutionem teneri Emos Cardinales, licet camerales, Praelatos, Papae familiares, neque ipsis favere ullum exemptionis privilegium, nisi specialis in eo atque individualis fiat S. Conc. derogatio, necnon expressa solutionis mentio a praedictis beneficiariis seminario factae, antequam beneficia laudatis personis collata et pensiones assignatae fuerint.

6. Adiungendum, quod, quae hactenus dicta sunt relate ad expensas pro fructuum collectione, pro obligationibus solutionibusque pensionariis faciendis, non valent solum pro Ordinariis, verum etiam pro beneficiariis et qualibet alia persona, quae ad saepe dictam taxam seminario persolvendam tenetur.

—

§. II. *De contributione seu taxa a Capitulis metropolitanae, vel cathedralis et collegiatarum dioeceseos seminario eiusdem solvenda.*

7. Dicta Capitula, dignitates et canonici obligantur ad contributionem seu taxam seminario solvendam, uti colligitur ex Concilio Trid. *(Sess. 23. cap. 18. de Reform.)*, et in computatione annuorum proventuum, iuxta quos taxa stabiliatur (S. C. Conc. in *Panormitana* anni 1585. *pag. 73. a tergo*, in *Salernitana* an. 1689. in responso *ad 4. lib. 6. Decret. pag. 22. a tergo*, in *Avellina* 14. Ian. 1601. *lib. 9. Decret. pag. 120.*, in *Eugubina* 1. Dec. 1605. *lib. 10. Decret. pag. 140.*, in *Sabin.* 23. Iun. 1640. *lib. 16. Decret. in responso ad 1. pag. 394. et 395.*), praeter regulas modo citatas sequentem quoque observent oportet, quae vetat, ne ad annuum reditum ea accenseantur, quae personis ad divina officia intervenientibus titulo quotidianarum praebentur distributionum, quippe quae eo modo a taxa exemptae sint, ut, si canonicatus praebendas non habent, totusque reditus in distributionibus consistit, hi canonici obligandi sint ad solutionem non quidem integro eorum reditui, sed duobus tantum eiusdem partibus respondentem, cum in tali casu hae duae partes vices faciant praebendae, et tertia distributionum, uti ex vera intelligentia resolutionum Sacrae Congr. Conc. eruitur.

8. Quodsi Capitulo aut praebendis quaedam fuerint unita beneficia, ex quorum reditibus quotidianae distributiones pro portione annuorum proventuum annexorum beneficiorum constituerentur, tunc Capitulum aut prebendati, sicuti pluries a S. C. Conc. decisum est, ad taxam solvendam obligati erunt. (S. C. C. in *Narnien. Contributionis seminarii* 2. April. et 30. Maii 1661. *pag. 483. et 526. lib. 22. Decret.* et in *Lucana* 29. Ian. 1686. *lib. 35. Decret. pag. 13. a tergo*).

9. Et ut ad finem perducantur ea, quae ad Capitula spectant, adiungitur, ne ad taxam regulandam computentur pia Missarum legata iis relicta, seu eleemosynae eorum factae sacristiis, sed solum reditus fixi et stabiles, licet proveniant ex piis legatis; et quidem iuxta resolutionem S. Congr. Conc. (S. C. C. in cit. *Sabin.* 23. Iunii 1640. *lib. 16. Decret. et pag. 394. et 395. in respons. ad primum*).

§. III. *De contributione seu taxa seminario dioeceseos solvenda a quolibet beneficiato, sive curam habeat animarum, sive non habeat.*

10. Beneficia curata obnoxia sunt contributioni seminario faciendae (S. Congr. in *Nicien.* 28. Novemb. 1676. *lib. 29. Decret. pag. 312. et a tergo*), quandoquiden universalissima sunt verba Concilii Trid. *(Sess. 23. cap. 18. de Reform.)*, et consideratione dignum est, seminaria praecipue instituta esse ad alendos clericos eosque habiles reddendos ad animarum curam suscipiendam; neque parochi, uti alias S. C. Conc. decrevit, exemptionem praetendere valent ea nixi ratione, quod annuus paroeciae reditus non superat congruam centum scutatorum. Animadvertendum autem est de beneficiis curatis aut parochialibus taxam cadere debere supra annuum reditum fixum necnon supra eos proventus, qui certi de incertis audiunt, nequaquam vero supra reditus totaliter incertos, ut ex alia S. C. Concilii resolutione colligitur (S. C. C. in *Panormit.* de mense Oct. 1587. *lib. 5. Decret. pag. 23. et a tergo*).

11. Transeuntes ad alia beneficia dicimus, et ipsa seminario contribuere debere, licet sint iuris patronatus, ut legitur in Concilio Tridentino, et ad quamcumque personam, etsi specialissima mentione dignam, spectet nominatio, sicuti decisum fuit a S. C. C. (S. C. C. in *Civitatis Regum* mense Decemb. 1586. *lib. 4. Decret. pag. 11.*, et in *Messan.* mense Feb. 1588. *lib. 5. Decret. pag. 96. a tergo.*). Neque beneficia saecularia a solvenda taxa exemptionem praetendere possunt, etiamsi nominatio simul et institutio ad aliquam Religionem aut conventum pertinet, id quod deducitur ex resolutione S. C. Conc. (S. C. C. in *Caputaquen.* de mense Iulii 1586. *lib. 4. Decret. in respons. ad 1. pag. 159. et seqq.*).

Et cum quaedam inveniantur beneficia, quae solutionem recusant ob incertitudinem, cuinam seminario contribuere debeant, quoniam beneficii titulus in una, bona vero in altera exstant dioecesi, non abs re videtur addere, normam a S. C. Conc. (S. C. C. in *Lunen. Sarzan.* 19. Feb. 1604. *lib. 10. Decret. pag. 73. a tergo*) statutam hanc esse, ut taxae solutio fiat seminario eius loci, in quo ecclesia aut beneficii titulus invenitur, etsi bona ad ipsum spectantia in altera dioecesi sita sunt, modo in illa dioecesi nulla sit ecclesia, quae uti membrum tituli huius beneficii censeatur.

Hisce enim in adiunctis cum proportione reditus annui solvenda foret taxa seminario illius dioeceseos, in qua sita sunt bona et dicta ecclesia, dummodo haec ipsa ecclesia ante bonorum acquisitionem fuerit exstructa (S. C. C. anno 1573. *lib. 1. Decret. pag. 23. a tergo*, et in *Melphien.* eodem anno *lib. 1. Decret. pag. 190. et a tergo*). Si vero prius beneficia fuerint unita tituloque applicata beneficii, siti in alia dioecesi, et postea aedificata ecclesia, solutio facienda minime erit seminario dioeceseos, in qua ecclesia et bona sita sunt, sed seminario alterius dioeceseos, in qua exstat titulus beneficii.

12. Omnes denique et singuli beneficiati, generaliter loquendo, sive saeculares sint sive regulares, ad taxam persolvendam obligantur, etiamsi beneficia ab Emis Cardinalibus aut ipsius Romani Pontificis familiaribus, aut a clericis Reverendae Camerae Apostolicae, aut a quolibet alio ministro vel officiali possideantur. Et, uti clare statuitur in Constit. SSmi D. N. (§. *Cum itaque seminarii*), hoc valet de beneficiis non modo ad horam possessis, sed etiam in futurum aut ab ipsis aut ab aliis possidendis, qui ad supra dictas dignitates, officia et munia promovebuntur. Capellaniae autem, si perpetuae sunt et in titulum conferuntur, contributioni subiacent, eximuntur vero, si amovibiles sunt (S. C. C. in *Sabinen.* 21. Iunii 1640. *in respons. ad 2. lib. 16. Decret. pag. 394. a tergo, et pag. 395.*).

§. IV. *De contributione seu taxa seminario solvenda a Regularibus et sanctimonialibus.*

13. Taxa seminario a Regularibus quoque persolvenda est, iuxtaque Constit. SSmi D. N. ab hoc onere quoad ea solum beneficia et fructus exempti sunt, supra quae Sedes Apostolica clare et expresse atque ob causam vere proprieque onerosam talem exemptionem concessit; in taxa autem computanda, quae supra statuta sunt, observanda erunt.

14. Ad Equites vero Melitenses quod attinet, si eorum quis aliquod haberet beneficium ecclesiasticum ad Religionem minime pertinens, pro tali beneficio taxam seminario pendere deberet, uti constat ex resolutione S. Congr. Conc. (S. C. C. in *Bracheren.* anni 1573. *lib. 1. Decret. pag. 41. a tergo, et pag. 42.*). Item si prioratibus, commendis et baiulivatibus praedicti Ordinis Meliten-

sis unita vel unienda sunt beneficia saecularia, Equites Melitenses, uti statutum est a SSmo D. N. in sua Constit. loco citato, ad ratam annui reditus seminario contribuendam tenentur. Et quoniam S. Conc. Tridentinum a contributione ea eximit collegia, in quibus docetur, et ad commune Ecclesiae bonum studia coluntur, quandoque contigit, ut Regulares se exemptos praetenderent a taxa etiam pro beneficiis unitis alicui ex ipsorum collegiis, in quo dicta studia colebantur; quapropter S. C. Concilii (S. C. C. in *Velitern. taxae seminarii* 24. Apr. et 31. Iul. 1703.) declaravit, praedictam exemptionem valere quidem pro saecularium collegiis, nequaquam vero pro Regularium; et cum ageretur de Regularibus, qui sibi exemptionem competere contendebant, quia tum proprios Religiosos, tum alios ipsorum scholas frequentantes in grammatica et conscientiae casibus instruerent, S. C. C. (S. C. C. in *Bracharen.* anni 1653. *lib. 1. Decret. pag. 41. a tergo, et 43.*) declaravit, subducendas esse expensas pro lectorum salariis; de reliquis autem bonis taxam seminario persolvendam.

15. Succedunt sanctimoniales, quae et ipsae cum proportione suorum redituum ad contributionem seu taxam tenentur, observata in computando regula supra statuta; debent nempe considerare, deficientibus seminariis, se non habere confessarios et directores idoneos, et proinde regula exsurgit generalis, quod bona a monialibus possessa, pro quibus alia persolvunt onera ecclesiastica, immunia non sunt a contributione seminario facienda (S. C. Conc. in *Caputaquen.* 1586. *in respons. ad 5., lib. 4. Decret. pag. 159. et seqq.*), nisi specialissimum habeant titulum, quo a tali obligatione eximantur. Et quoniam saepe saepius contingit, quod ad exemptionem obtinendam a sanctimonialibus paupertatis titulus in medium adfertur, necesse videtur animadvertere, titulum paupertatis iis suffragari monialibus (S. C. C. in *Catanien.* 20. Martii 1595. *lib. 9. Decret. pag. 9.*), quae reditibus destitutae de solis eleemosynis vivunt, aut etiam iis, quae, licet possideant nonnulla bona descripta et taxata in libro decimarum aliorumque onerum ecclesiasticorum, titulo tamen paupertatis a decimarum onerumque praedictorum solutione exemptae sunt, uti alias decrevit Sacra Congr. Conc. (S. C. C. in *Patavina* 1573., *lib. 1. Decret. pag. 97. a tergo;* et in *Avenionen.* 22. Aug. 1609., *lib. 12. Decret. pag. 73. a tergo et 74.*).

§. V. *De contributione seu taxa persolvenda ab hospitalibus, confraternitatibus, fabricis ecclesiarum, Montibus pietatis et legatis piis.*

16. Iuxta Concilium Trident. *(Sess. 23. cap. 18. de Reform.)* hospitalia, data in titulum aut administrationem, seminario taxam seu contributionem debent; unde sequitur, exempta a tali solutione esse hospitalia pure laicalia (S. C. C. in *Gravinen.* 23. Iunii 1594., *lib. 8. Decret. pag. 43.*), quaeque proinde neque in titulum conferuntur neque in administrationem, uti alias declaravit S. Congr. Conc., nisi per accidens hospitalibus quaedam beneficia unita sint, ex quorum fructibus ipsa ad ratam seminario pendendam teneantur. (S. C. C. in *Messanen.* 2. Aug. 1596. *in resp. ad 5., lib. 8. Decret. pag. 183. a tergo*).

17. Quoad sodalitia laicorum, quae Ordinaria auctoritate in Regularium quoque ecclesiis erecta sunt, haec taxationi subduntur (S. C. C. in *Lucana* 13. Maii 1628. *in respons. ad 4. et 5. lib. 13. Decret. pag. 452. a tergo*), si unita habent beneficia; iis autem deficientibus, si certos habent fundos, capitalia et legata, iuxta proportionem fructuum et reddituum horum fundorum, capitalium et legatorum taxam persolvere debent. Notandum tamen est, in hac taxa non comprehendi alios reditus provenientes ex certis quotis, quae singulis mensibus annisve, aut titulo eleemosynae, aut ex statutis a sodalibus conferuntur; ita determinavit Sanctissimus D. N. in dicta Constitutione (§. *Cum itaque seminarii*).

18. Ecclesiarum fabricae suos habentes reditus assignatos, decimas, quae per quamlibet causam laicorum manibus contigerunt, quibusque alia subsidia ecclesiastica solvuntur, iuxta S. Concilium Tridentinum *(loco saepe citato)* non possunt gaudere immunitate a solvenda contributione; idem valet de Montibus pietatis (S. C. C. in *Messanen.* 2. Aug. 1596., *lib. 8. Decret. pag. 185. a tergo*), si ipsis beneficia unita sunt, cum vi talium beneficiorum taxationi subiaceant.

19. Pauca adiungi deberent de taxae quantitate; sed de hac re, si sermo fiat, nil aliud addendum videtur, nisi quod, iuxta Constit. SSmi D. N., ipsa neque infra tria neque supra quinque scutata in singula centena esse possit; et quod, donec a Congregatione a Sua Beatitudine deputata, nova taxa approbata non

fuerit, ea seminario diligenter solvatur, quae antea solvi solebat. Quae solutio nulla ratione nullaque inhibitione, a quocumque tribunali fieret, retardari potest, uti alias S. C. Conc. declaravit. (S. C. C. in *Sabinen.* 2. Iul. 1650., *lib. 19. Decret. pag. 63. a tergo, et 64.*, et in *Interamnen. Taxae seminarii* 11. Maii 1720.). Ut vero in taxa imponenda securiori, quam fieri potest, incedatur via, unusquisque Ordinarius omnibus eidem solvendae obnoxiis praecipere debet, ut intra terminum convenientem in ipsius cancellaria notam iureiurando confirmatam exhibeant redituum annuorum, qui, subductis expensis, uti supra dictum est, iis proveniunt ex beneficiis et bonis, quae ab ipsis possessa taxationi obnoxia sunt, eodem prorsus modo, quo fieri assolet in exigendis decimis papalibus.

20. Ad complementum adiungere licet, hanc Instructionem lectam, consideratam et correctam esse ab ipsa Sanctitate D. N., qui eam typis mandari et cuique, uti solet, Ordinario, mitti iussit.

XII.

S. C. Conc. causa Massen. Taxae seminarii.

(Ad pag. 133. vol. I.)

Summarium. 1. ad 9. Facti species enarratur. – 10. ad 12. Impòni potest, taxa super beneficia quaecumque ac cuiuscumque generis ad seminarii fabricam instituendam, mercedem praeceptoribus ac ministris solvendam, ad alendam iuventutem et ad alios sumptus necessarios perferendos, idque confirmatur ex Constit. *Creditae Nobis* Bened. XIII. – 13. Ad taxam declinandam non valet contraria consuetudo etiam centenaria vel immemorabilis. – 14. Itaque potest Episcopus adhibere censuras, necnon alia iuris remedia, atque adeo brachium saeculare invocare. – 15. A taxa solvenda non excusat redituum tenuitas. – 16. Neque cura animarum. – 17. Nisi forte fructus annui septem florenos quotannis haud excedant. Si quis autem plura beneficia exigua obtineat, quorum reditus in unum collectus septem florenos exsuperat, taxam non evitat. – 18. 19. Inter capellanias illae solummodo quae mere laicales sunt, immunes censentur. – 20. Tabulae recepti et expensi sedulo conscriptae ac iuratae, seu status proventuum, curiae episcopali exhibendae sunt ab iis, ad quos pertinet. Calculus autem ex decennio ducendus est. – 21. Subducenda sunt emolumenta prorsus incerta. – 22. Incertorum emolumentorum distinctio triplex instituenda est; eorum nempe, quorum incerta est quantitas, ac certa substantia; quorum quantitas est prorsus eventualis in homi-

num arbitrio posita; quorum denique reditus pendet ex circumstantiis quodammodo fatalibus, quae non evenire nequeunt. – 23. Prima species taxationi subest, minime secunda, neque tertia, etiamsi aliqui addubitaverint. – 24. In determinanda taxa deducendae sunt impensae, quae in re fiunt. – 25. Huiusmodi impensae aliquae speciatim indigitantur. – 26. Non subducuntur impensae mere voluntariae, incertae ac extraordinariae; sed tantum ordinariae ac consuetae. Itaque deducendum non est stipendium famuli, cuius opera utitur beneficiatus in aliis vitae officiis; neque itinera beneficiarii, ut melius rei suae invigilet; nec stipendia factori, aut administro exhibita, nisi horum necessitas liquido patescat. – 27. Secus est dicendum de ientaculis et munusculis, quae dari solent operariis in horreum, vel domum beneficiarii fruges invehentibus; idem dicendum est de lucro et impendio ob pecuniam a beneficiario impensam ad fundos pecore, aliove apparatu pro cultura necessarios, vulgo *scorte* instruendos; non est subducenda iactura, quae interdum subiri possit ob colonorum debitorumque inopiam. – 28 ad 35. Subsequuntur quaedam particularia ad casum, de quo agebatur, pertinentia. – 36. S. Cong. in eadem *Massen.* declaravit: arbitrio Episcopi relinquendum, servare vel suspendere taxam pro seminario; iuxta votum Emi Relatoris ad taxam teneri beneficia etiam iurispatronatus laicalis; beneficia exigui valoris, parochias, quae reditum habent scutatorum infra centum, non autem capellanias laicales; non esse taxanda emolumenta mere incerta iuxta *Panormitanam.* Vid. num. 21. Deducenda impendia pro agro colendo, fructibus colligendis, frugibus in horreum invehendis, ientaculis et munusculis operariorum. Non esse deducendas impensas pro parochorum itineribus, nec pro administro, secluso casu necessitatis; deducenda stipendia famuli, quatenus occupet locum alterius operarii. Deducendum lucrum cessans seminum, pecoris et aliarum rerum, vulgo *scorte.* Minime vero iacturam ob colonorum et debitorum inopiam. Ad dignoscendum annuum beneficiorum valorem ducendum esse calculum ex decennio. Notulam redituum a beneficiariis iureiurando esse firmandam.

1. Causa implexa sane Emo ac Rmo Domino Cardinali Sala remissa est iuxta animi sui sententiam cognoscenda ac explicanda. Ipse autem ea, qua praestat rei ecclesiasticae doctrina, accuratissimum more suo et eruditissimum votum elucubravit, ex quo factorum ac rationum momenta ad amussim haurient EE. VV., quodque ita se habet:

2. « Pius VII. Pontifex Maximus, qui Apostolicis suis Literis die 18. Februarii anni 1822. Massensem civitatem episcopali cathedra duxit condecorandam, animo recolens, quam sit necessaria, et quo studio a Tridentinis Patribus fuerit commendata

ecclesiastici seminarii institutio, ut adolescentium aetas a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, nedum cavit, ut futurus Episcopus seminarium ab ipso libere regendum administrandumque quam cito erigeret, ibique is aleretur, et ecclesiasticis doctrinis instrueretur puerorum numerus, quem dioecesis necessitas ac utilitas postularet, sed etiam aptas aedes ac sufficientem bonorum dotationem, quam pius Mutinae Dux sese suppeditaturum spoponderat, seminario episcopali concessit atque assignavit.

3. » Tria in Massensi dioecesi subinde erecta sunt seminaria ecclesiastica; in ipsa Massae civitate ad duodecim clericos theologia dogmatica et morali instituendos; alterum in civitate Castri Novi intra limites provinciae Caperonianae posita, ubi viginti quatuor clerici grammaticam, rhetoricam et logicam addiscerent, ac etiam clerici extra seminarium degentes pauperiores et tardioris ingenii in theologia saltem morali erudirentur; tertium in oppido Pontebosii, Lunensis provinciae, ut duodecim clerici humanioribus imbuerentur literis. Suum cuique seminario serenissimus Princeps tribuit censum, nimirum primo annuas libellas italicas quatuor millè, ad sex mille protrahendas, cum primum aedes seminarii maiori amplitudine fuerint auctae, et alumnorum numerus ad viginti quatuor creverit; secundo annuas libellas quatuor mille; tertio demum libellas mille et octingentas.

4. » Dum verò Praesulem Franciscum Zoppi, qui primus Massensem rexit ecclesiam, recreabat reficiebatque aedium huiusmodi erectio, illum tamen sollicitabat angebatque vehementer tenuitas redituum, quippe qui vix aedium tuitioni, ac moderatorum famulorumque alimoniae et stipendiis pares invenirentur. In pauperrima enim dioecesi perpauci exstant iuvenes, quorum singuli pensionem scutatorum quinque seminario Massensi, ac pensionem scutatorum quatuor aliis duobus seminariis seu collegiis ecclesiasticis quolibet mense pro alimentis pendere valeant, ideoque plerisque adolescentibus ob inopiam interclusa conspiciebatur via ac ratio adeundi seminarium episcopale, nisi vel gratuito, vel imminuta pensione reciperentur.

5. » Unum itaque tantummodo illudque amplum in ipsa Massae civitate optasset Episcopus constitui seminarium, tum quia iidem moderatores, famuli, lumina, et alia id genus uni fere aeque ac tribus inserviunt seminariis, tum quia commodum ibi-

dem pateret domicilium reliquis clericis scholas dumtaxat seminarii frequentantibus, tum quia denique sub oculis ipsius Episcopi istorum non minus quam seminaristarum disciplina consisteret ac floreret, praesertim cum loca Castrum Novum et Pontebosium inter montes sita adeo distent ab episcopali sede, ut non possint a proprio pastore, nisi raro ac difficillime perlustrari. Quod tamen ipse meditabatur cupiebatque, illud ex variis rerum adiunctis exsecutioni committere minime potuit. Quocirca ne seminaria frustra paterent, et ut postulationibus pauperiorum clericorum, qui alicuius subsidii consequendi spe ducti ecclesiasticorum studiorum curriculum inierunt, aliqua ratione faceret satis, animum suum intendit ad seminariorum reditus augendos.

6. » Incassum Massensis Antistes verterat oculos ad confraternitates, ecclesiarum fabricas, aliaque loca, quae utpote non ita pridem cunctis bonis exspoliata nullos vel exiguos, ac plerumque aere fidelium collatitio, referunt fructus. Reditus quoque beneficiorum passim minus congrui, an eis quoque parceret, diu haerentem Episcopum tenuerunt: sed tandem cum aliter ob summam dioecesis paupertatem numerum clericorum eidem necessarium alere nequiret, id unum superesse facile intellexit, ut ad taxae saltem minimae super beneficiis imponendae remedium confugeret. Hinc duobus ex cathedralis ecclesiae canonicis, totidemque ex clero civitatis spectatis viris ad consilium accitis edixit, ut taxa scutatorum trium pro singulis centenis et annis ab omnibus dioeceseos beneficiariis penderetur.

7. » Ceteros suo exemplo praeivit ipsemet Antistes, qui ex mensae episcopalis fructibus illico persolvit scutata quatuor in singula centena, ea tamen lege, ut nullum exinde suis successoribus illatum censeretur praeiudicium. Episcopi vestigia aemulati sunt canonici cathedralis ecclesiae, et nonnulli ex probatioribus parochis ac beneficiariis: reliqui autem tametsi initio ne verbum quidem obiecissent, nonnulli vero etiam plausissent, postea tamen plures obtrudere coeperunt difficultates et quaestiones, quae taxae exactionem omnino interciperent, sin minus valde imminuerent. Quum ita se res haberent, praefatus Antistes Zoppi, antequam episcopatui nuntium mitteret, obiectas quaestiones ad sacram Concilii Congregationem deferendas censuit, ut, quid consilii sibi suisque successoribus esset capiendum, certo innotesceret.

8. » At quoniam EE. VV. Rmae, priusquam eiusmodi quaestiones in ordinariis comitiis dirimendae proponerentur, mihi ablegandas putaverint, ut rem perpenderem, votumque meum aperirem, idcirco ut delato munere, eo, quo par est, obsequio ac studio perfungar, duo mihi agenda reor, nimirum primo quid in oborta quaestione ex sacrorum canonum censura sit sentiendum, ne aliter gerens sapientissimum EE. VV. iudicium antevertere videar, dein utrum beneficiarios ad praestitutae taxae solutionem compellere, seu potius eiusdem taxae exactionem suspendere peculiaribus inspectis rerum circumstantiis magis expediat.

9. » Atque ut iuris quaestionem aggrediar, in primis animadvertendum arbitror, numeratas controversias ad tria capita reduci posse. Sunt enim, qui a taxae solutione se aliosque beneficiarios plane exemptos contendunt. Sunt, qui exquisitis deductionibus beneficiorum reditus nonnumquam valde imminuunt, ac propterea taxam ad nihilum fere cohibent. Sunt demum alii, qui religionem sibi iniicientes, fructuum notulam iureiurando firmare detrectant. Singulorum itaque rationum momenta mihi expendenda existimo, ut suum cuique ius tribuatur.

10. » Ut exordiar ab illis, qui immunitatem a taxae solutione sibi cunctisque beneficiariis conantur vindicare, nulla mihi subesse videtur causa, cur seminariis inopia laborantibus universa dioecesis beneficia opem ferre non debeant, donec saltem munificus Mutinae Dux eam constituat dotem, quae nedum fabricae tuitioni ac praeceptorum famulorumque exhibitioni et cultui sufficiat, verum etiam necessario pauperiorum clericorum numero in aedibus seminarii alendo satis respondeat. Tridentina quippe Synodus, cui tam pia ac tam sancta debetur seminariorum institutio, *ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus necessarios perferendos*, si in eam rem haud pares praesto essent designati reditus, illud omnino remedium Episcopis adhibendum mandavit, ut ex fructibus integris mensae episcopalis, Capituli, et *beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiamsi iurispatronatus cuiusvis fuerint*, partem aliquam, vel portionem detraherent, eamque collegio applicarent et incorporarent. Cui quidem Tridentini Concilii sanctioni concinit providentissima Benedicti XIII. Constitutio, cuius initium *Creditae Nobis*, qua statutum fuit, ut *tam pro erectione novi seminarii,*

quam pro supplemento reddituum seminarii iam erecti, taxa conficeretur, *quae iuxta locorum qualitatem respondere debeat summae scutatorum trium pro quolibet centenario proventuum beneficii, et si necessitas urgeat, augeatur etiam usque ad summam quinque pro centenario, ita ut numquam minor scutis tribus, neque maior sit scutis quinque pro quolibet centenario et anno, atque huic taxae omnia et singula beneficia subiici, et ad illius solutionem perpetuo teneri decrevit.*

11. » Frustra autem obiiceretur, Massense ac alia duo Castri Novi et Pontebosii ab illo dependentia seminaria fuisse a serenissimo Mutinae Principe congrue instructa, proindeque locum non esse subsidiario taxae remedio, praesertim in dioecesi, cuius beneficia exiguis sunt aucta reditibus: qui enim huius generis effunderet sermones, se rerum plane ignarum ostenderet. Bona quidem tradidit princeps, sed ea, aiebat Praesul Zoppi, aedium manutentioni, moderatorum ac famulorum stipendiis alimentisque tantum sufficiunt. Desunt itaque reditus ad alendum alumnorum numerum necessarium dioecesi, quae constat una supra centum quadraginta paroeciis, praeter duo Capitula, viginti duo beneficia curata in parochorum adiumentum, et dissitorum populorum commoditatem instituta, plura beneficia simplicia ac tria seminaria.

12. » Frustra similiter quis confugium quaereret in pensione ab alumnis seminario solvenda. Praeterquam enim quod in egenti dioecesi vix aliquae reperiuntur familiae, quae ad integram pensionem pendendam opibus polleant, pauperibus profecto clericis, qui frequentiori numero in sortem Domini vocantur, licet ingenio et pietate praeditis, interclusus esset aditus ad seminarium, in quo commodius, ac utilius religione bonisque artibus instruantur. Id sane a Tridentinae Synodi lege quam longe abesset, quae, si ditiorum filios, modo suo sumptu alantur, ac studium praeseferant inserviendi Deo et Ecclesiae, ab ingrediendo seminario non repulit, ad egenos tamen omni sollicitudine oculos convertit inquiens: *Pauperum autem filios praecipue eligi vult.* Adversum quoque teneret Constitutioni Benedicti XIII. *Creditae nobis* §. *1.*, ubi decretum fuit, ab omnibus et singulis beneficiis solvendam esse taxam, ut seminarium *congruis reditibus ad alumnorum magistrorumque sustentationem necessariis instructum esset.* Imo reditus, pergit Pontifex, *loc. cit.* §. *4.*, eiusmodi esse debent quan-

titatis, quae satis esse possit sustentationi numeri alumnorum pro unoquoque seminario designatorum; eum autem oportet esse numerum, qui respondeat necessitati totius dioecesis, quemadmodum legitur in encyclica Epistola eiusdem Pontificis iussu ad omnes Italiae Episcopos transmissa.

13. » Miror autem vehementer, non deesse, qui ad vitandum taxae onus in medium afferant consuetudinem. Esto enim ante Massensis episcopatus ac seminarii erectionem memoratae taxae haud fuerint obnoxii parochi, aliique beneficiarii, quidnam tamen adversus Massense seminarium nuper institutum opponere queunt? Ubinam titulus, actuum frequentia, ac tempus ad praescribendum, vel ad observantiam inducendam plane necessarium? Si qua forte inolevisset consuetudo, aut praescriptio, haec ne seminario quidem dismembratae dioecesis, multoque minus noviter erectae obiici posset. Tridentina namque Synodus edixit, ut ad eam fructuum portionem exsolvendam omnes beneficiorum possessores ab Episcopo loci compellerentur, *quibusvis privilegiis, exemptionibus, consuetudine etiam immemorabili.... non obstantibus*. Scitum autem est, irritas ac inanes esse consuetudines, quae leges aliquas in iisdem Tridentinae Synodi capitibus contentas violent, prout docet *Bened. XIV. Instit. eccl. 60. n. 7.*, ac late disserit Piton. *de controv. patron. alleg. 5.* Card. Petra *ad Constit. 4. Callisti III. sect. 2. n. 14. tom. 5. et adnotat. S. Congreg. Concilii in Bovinen. Iurium parochialium* 27. Maii 1820. §. *Animadvertendum, ac in Ariminen. et Caesanaten. Iuris quaestuandi* 25. Februarii 1826. §. *Consuetudo.* Profecto eadem Congregatio nihili faciens consuetudinem etiam centenariam, qua innitebantur nonnulli beneficiarii, eos ad taxam seminarii pendendam omnino obstrictos, et beneficia eatenus non taxata similiter taxanda esse pluries respondit, ac potissimum in *Veliterna Taxae seminarii* 24. Aprilis 1723., in *Romana Taxae* 9. Septemb. 1752. *ad 3. dub. et in alia Veliterna Taxae seminarii* 16. Martii 1771. §. *Neque.*

14. » Quocumque itaque se vertant Massenses beneficiarii, taxae praestationem effugere nequeunt, donec seminarium dioecesanum eo augeatur censu, qui nedum ad fabricae tuitionem, et ad magistrorum famulorumque mercedem, sed etiam ad egentium alumnorum alimoniam sufficere deprehendatur. Sin autem beneficiarii hanc praestationem exhibere renuerent, eos adigere posset Episcopus *per censuras ecclesiasticas, ac alia iuris reme-*

dia, etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii saecularis, sicuti sanxerunt Patres Tridentini Sess. 23. cap. 18. de Reform.

15. » Haec de iure seminarii exigendi taxam ab omnibus qua civitatis, qua dioecesis beneficiariis generatim dixisse satis superque arbitror. Nunc disceptare libet, num beneficia exigui valoris, atque capellaniae ab eiusmodi taxae onere eximantur. Porro quod pertinet ad redituum tenuitatem, nullam quidem ipsa praestare valet immunitatem. Etenim huic oneri omnia et singula beneficia, nulla divitum, aut pauperum praebendarum facta mentione, subiici voluerunt et Patres Tridentini et Benedictus XIII., imo egenis, non minus quam divitibus sapienter prospexere ea lege, qua cautum est, non omnia beneficia eamdem pecuniae vim contribuere debere; sed tantummodo pro ratione fructuum ex singulis praebendis colligendorum. Hinc quamquam sibi mordicus assererent *Taxae exemptiones possessores plurium beneficiorum attenta paucitate illorum redituum, cum viginti tria beneficia simul reddant, deductis oneribus, annuos ducatos 167: 77.*, prout videre licet in folio huius S. Congregationis in *Tranen. Taxae* 14. Maii 1763. §. *Demum*, nihilominus proposito dubio: An *possessores beneficiorum teneantur ad taxam pro seminario*, rescriptum prodiit: *Affirmative, et amplius.* Nec aliter censuit Sac. Congr. in *Romana* 26. Ianuarii 1697. et in *Romana Taxae seminarii* 9. Augusti 1732., licet ob redituum ad beneficia spectantium amplam imminutionem statuerit, esse locum reductioni taxae in casu, de quo agitur.

16. » Si qui praeterea huiusmodi exemptione gauderent, istis profecto forent accensendi parochi, conciliari congrua destituti: id tamen adeo a veritate alienum esse patet, ut instructio anni 1726. a S. C. Concilii una cum supramemorata Encyclica ad Episcopos missa, animarum quoque curatores taxae seminarii subiectos denuntiet, licet instructos tenui praebenda: « Cum consideratione dignum sit, (sunt ipsa instructionis verba), seminaria praecipue instituta esse ad alendos clericos eosque habiles reddendos ad animarum curam suscipiendam. Neque parochi, ut alias S. C. Concilii decrevit, exemptionem praetendere valent ea nixi ratione, quod annuus paroeciae reditus centum scutatorum non superat congruam. »

17. « Hanc exemptionem tum solummodo parochi aliique beneficiarii iure sibi adsciscere non prohibentur, cum ex suis prae-

bendis adeo exiguos colligunt fructus, ut aureos florenos septem quotannis haud excedant, quemadmodum respondit S. Congreg. Concilii in *Derthusen.* 11. Augusti 1605., *lib. 10. decret. pag. 120.* his verbis: *Obtinentes beneficia tam simplicia quam curata, quamvis tenuis valoris existant, nec ad conservationem sufficientia, debent pro ratione fructuum seminario contribuere, nisi tanta sit tenuitas, ut, iuxta Extrav. Bonifacii VIII. incipien. Declarationes ut de decim. Cap. Unic., non teneantur solvere decimas Papales « Iam vero Pontifex in cit. Extravag. haec sanxit: » Saeculares clerici, quorum ecclesiastici reditus et proventus annui summam septem florenorum auri non excedunt, eamdem decimam non praestabunt.* Igitur si decima Papalis pendatur oportet, quando alicuius beneficii annuus valor summam praetergreditur septem florenorum, in nostro similiter themate erit praestanda seminario statuta taxa, quin aliquid negotii facessere queat redituum tenuitas. Imo si quis pluribus potiretur beneficiis, quorum nullum prae valoris exiguitate taxae praestationi subesset; attamen praefata exemptione perfrui vetaretur, si eorumdem beneficiorum annui fructus septem florenorum vim excederent, quemadmodum perpendit *S. C.* in *Tranen. Taxae* 14. Maii 1763. §. *Demum;* nam in memorata *Extravag. unic. de decim.* decernitur, spectandam esse personam possessoris, non autem ipsa beneficia, siquidem pergit Pontifex: *Si vero una persona plura habeat beneficia, quorum nullum per se acceptum dictam summam florenorum auri annuatim attingat, simul tamen collecta in minimis proventibus summam memoratam excedant, quotquot vel quantumcumque modica fuerint, de omnibus, et singulis decima persolvetur.*

18. » Ad capellanias quod attinet, quaestionem omnem perimit ea facilis et obvia distinctio, quae capellanias ecclesiasticas a mere laicalibus merito secernit. Nimirum capellanias ecclesiasticas, quae auctorante Episcopo erectae in titulum conferuntur, ac eodem quo beneficia ecclesiastica censentur iure, *Lotter. de re benefic. lib. 1. q. 3. num. 5., CC. in Montis Alti Capellaniae* 22. Augu. 1796. §. *Plura,* et in *Camerinen. Capellaniae* 15. Mart. 1828. §. *Precibus,* taxae praestationi esse omnino obnoxias, capellanias autem laicales, seu amovibiles, quae nulla intercedente Episcopi auctoritate sunt institutae, quaeque piis Missarum legatis aequiparantur, *S. Cong. Conc. in Anconitana Capellaniae* 12. Maii 1770. et in *Firmana Capellaniae* 29. Aug. 1772. §. *Contendit,* ab eius-

modi onere esse plane exemptas, disertis verbis declarat commemorata instructio. Namque §. *4. n. 12.* inquit: « Capellaniae, si perpetuae sunt et in titulum conferuntur, contributioni subiacent, eximuntur autem, si amovibiles sunt. » Concinit S. C. in *Sabinen.* 23. Iunii 1640. *ad 2. dub., in Romana Taxae seminarii* 6. Decembris 1794.

19. » Ne itaque in re undique perspicua diutius immorer, sermonem meum convertam ad methodum, quam in cuiusque beneficii efformandis tabulis accepti et expensi servari oportet, ne meticulosi nimia anxietate torqueantur in firmanda fructuum notula, et ne alii, quae seminarii sunt, minime quaerentes, proventuum quantitatem indebitis deductionibus plus quam par est imminuant. Iamvero plures in porrectis precibus, et pleraeque parvi momenti excitantur quaestiones, quas singulas si prosequi vellem, votum meum in volumen excresceret, vestraque abuterer patientia. Praecipuas igitur complectar.

20. » Nemini sane dubium, tabulas accepti et expensi a cuiusque beneficii possessore iureiurando esse firmandas, et curiae episcopali exhibendas. Etenim instructio Benedicti XIII. §. 19. ait: « Ut vero in taxa imponenda securiori, quam fieri potest, incedatur via, unusquisque Ordinarius omnibus eidem solvendae obnoxiis praecipere debet, ut intra terminum convenientem in ipsius cancellaria notam iureiurando confirmatam exhibeant redituum annuorum, qui, subductis expensis, ut supra dictum est, iis proveniunt ex beneficiis et bonis, quae ab ipsis possessa taxationi obnoxia sunt, eodem prorsus modo, quo fieri assolet in exigendis decimis Papalibus. » Similiter translatitium est in iure, ad metiendum cuiusque beneficii annuum valorem haud unius alteriusve anni, sed integri decennii fructus esse spectandos, quemadmodum suadet communis doctorum sententia, ac tribunalium praxis (Card. de Luca *de pens. disc. 6. n. 13., Rot. in Ravennaten. Spolii super fructibus* 17. Aprilis 1761. §. *5., S. Cong. Conc. in Papien.* 20. Februarii 1723. §. *Primum,* et in *Firmana Pensionis* 17. Martii 1827. §. *Nec fidem*), adeo ut ne ipsi quidem Massenses beneficiarii id inficiari videantur. Quod ab iisdem in disceptationem adducitur, illud est, utrum beneficiorum reditibus sint accensenda, ac propterea taxae sint obnoxia emolumenta parochialia, ac ea praesertim, quae incerta stolae albae et nigrae passim vocantur.

21. » Ad hanc quaestionem, quae ex doctorum dissidentia satis implexa dignoscitur, enucleatius dirimendam operae pretium existimo hic referre, quid hac super re edicat memorata Instructio. Nimirum §. *3. num. 10.* haec leguntur: « Porro animadvertendum est de beneficiis curatis aut parochialibus taxam cadere debere supra eos proventus, qui certi de incertis audiunt, nequaquam vero supra reditus totaliter incertos, uti ex alia S. C. C. resolutione colligitur.» (S. C. C. in *Panormit.* de mense Oct.1587., *lib. 5. decret. pag. 23. a tergo*). Nemo hinc non intelligit, incerta quoque parochorum emolumenta inter beneficiarios proventus recenseri, ac taxae seminarii esse obnoxia, dummodo tamen sint certa de incertis, non autem omnino incerta. Omnis igitur quaestionis cardo in eo positus est, ut emolumenta certa de incertis ab iis, quae plane incerta sunt, apte discernantur.

22. » Huic enodandae quaestioni viam sternit triplex emolumentorum distinctio, quam passim tradunt auctores de parochorum congrua agentes. Iam vero quaedam habentur emolumenta, quorum licet incerta sit quantitas, certa nihilominus est eorum substantia, ac necessaria praestatio, ut sunt decimae vini, olei, frumenti. Giraldi ad Barbos. *de off. et potest. paroch. P. I. cap. 2. n. 154. et in Append. 2. cap. 115. n. 34.*, Gonzal. *ad Reg. 8. Cancel. §. 7. prooem. n. 185.*, Franc. Leo. *in Thesaur. For. eccl. cap. 31. num. 6.* Nonnulla sunt mere incerta et eventualia, quae pendent a sola populi devotione, et libera voluntate, ceu obligationes in benedictione domorum, aut mulierum post partum, vel etiam a labore personali, uti eleemosynae, quae dantur pro cantu Missae, Vesperarum, et alia id genus, Rigant. *ad reg. 55. canc. n. 120.*, Card. de Luca *de benef. disc. 90. n. 7.*, *S. Congreg. in Papien.* 2. Maii 1722. §. *Fundamenta* et in *Brictinorien. Congruae* 14. Decembris 1782. §. *Perperam.* Alia tandem sunt emolumenta, quae iure parochiae percipiuntur, ut proventus baptismales, matrimoniales, funerales et alia huiusmodi, quaeque non pendent a libera fidelium voluntate, sed ex debito solvuntur, ac propterea sin plane certa, sunt tamen aliquatenus certa, « cum, ut ait Card. de Luca *de paroch. disc. 18. n. 12.*, quem sequuntur Piton. *discep. eccl. 46. n. 4.*, Giraldi ad *Barbos. de offic. et potest. paroch. P. I. cap. 2. n. 154.*, *S. C. Conc. in Camerinen. Restaurationis* 17. Decembris 1763. §. *Perperam*, non possit populus non mori, non nasci, non baptizari, atque non contrahere matrimonia. »

23. » Porro primi generis emolumenta taxae seminarii esse obnoxia, nemo inficiari potest, cum eadem vocari quidem soleant incerta, sed revera certa omnino sunt, licet modo maiora, modo minora, non secus ac fructus praediorum, qui nunc uberiores, nunc parciores colliguntur, prout fert agrorum et annorum fertilitas. Hanc sane ob causam emolumenta eiusmodi in congruam parochorum, nemine dissentiente, conferuntur. Secundi tantum generis emolumenta prorsus eximuntur a contributione taxae, cum eadem sint omnino incerta, et fieri possit, ut nullatenus percipiantur, proindeque inter eos proventus merito sint accensenda, quae a memorata instructione vocantur reditus totaliter incerti. Quaestio solum institui potest de emolumentis tertii generis. Haec quidem veluti mere incerta a doctoribus passim existimantur, ac propterea in congruam parochorum imputari non posse autumant, licet non desint, qui contrarium sentiant, innixi Constit. S. Pii V., cuius initium *Ad exsequendum* 1. Novemb. 1567., ac etiam praxi S. C. Concilii, quae in exquirenda relatione super quantitate redituum ad metiendam parochorum congruam mandare soleat, ut Episcopi referant de paroeciarum fructibus comprehensis incertis stolae albae et nigrae. Quod vero ad nos attinet, emolumenta quoque tertii generis sunt profecto a contributione taxae immunia declaranda. Etenim in commemorata instructione, quae doctorum opinioni est plane anteferenda, imo pro lege habenda, cautum legitur, taxam haud esse solvendam supra reditus totaliter incertos, uti ex alia S. C. Conc. resolutione colligitur. (S. C. C. in *Panormit.* mense Octob. 1587., *lib. 5. decret. pag. 32. a tergo.*). Iam vero perquisitis regestis decretorum eiusdem Congregationis datum est reperire ipsam ad amussim resolutionem in *cit. Panormitana.* Parochi sane conquerebantur de taxa seminario solvenda, cum ipsorum reditus incerti proveniant ex funeralibus ac matrimoniis. Sacra autem Congregatio rescribendum censuit: *Incertos reditus parochialium non esse pro seminario taxandos.* Patet igitur tertii quoque generis parochialia emolumenta, qualia sunt quae percipiuntur occasione baptismatum, matrimoniorum, ac funerum taxae seminario minime esse obnoxia.

24. » Quod vero pertinet ad onerum deductionem, animadvertendum puto, impendia duplicis esse generis, alia nimirum, quae in re, unde fructus proficiscuntur, ceu ad agrorum culturam, vel extra rem, veluti ad perferenda onera beneficii aguntur.

Quae in re fiunt, eadem esse generatim detrahenda, nemo plane ignorat. Etenim taxa est seminario pendenda ex beneficiorum fructibus, aliisque ecclesiasticis reditibus, ut loquitur Tridentina Synodus *Sess. 23. cap. 18. de Reform.;* fructus autem intelliguntur deductis impensis, quae quaerendorum, ut in arando, colligendorum, ut in triturando, conservandorumque, ut in conducendis in horrea, eorum gratia fiunt, quemadmodum ait *L. Si a patre 39. §. Fructus etc. de petit. haered.;* ibique Gloss., quod namque in fructus redigendos impensum est, non ambigitur ipsos fructus diminuere debere *ad tex. in L. 46. ff. de usur.,* et huic iuris communis censurae concinit nedum *cit. Extr. Declarationes §. In solvendo,* sed etiam saepius iam commemorata Instructio *§. 1. n. 5.,* ubi habetur: « quod annuus reditus, iuxta quem contributio seu taxa pro seminario determinetur, is habebitur, qui, deductis solis expensis ad fructuum perceptionem necessariis, supererit ». De impensis vero, quae extra rem aguntur, loquens eadem Instructio statuit: « quod pariter ad stabiliendum annuum reditum oportet eas solas obligationes detrahi, quae ante Concilium Tridentinum impositae erant. »

25. » Quae cum ita sint, ut quorumdam beneficiariorum obiecta diluantur, et quod iustitiae et aequitati consentaneum est, decernatur, illud hic quaeritur, utrum detrahenda sint stipendia famulorum, si eorum opera utantur beneficiarii nedum ad famulatum ipsis exhibendum, sed etiam ad beneficiorum fructus colligendos; item impendia itinerum, si beneficiarii extra paroeciam ad fundos invisendos, praesertim tempore messis, se transferre adigantur; similiter ientacula et munuscula, quae operariis fruges domum deferentibus dari solent; itidemque lucrum cessans sortis, quam beneficiarius impendere debuit, ut praedia semine, pecore, aliisque similibus ad culturam necessariis instruerentur; denique damnum, quo saepe beneficiarii afficiuntur ob coloni aliorumque debitorum paupertatem.

26. » Ut aliquid de singulis quaestionibus dicam, in primis notatu dignum existimo, sumptus necessarios et consuetos fructibus beneficiorum perpetuo inhaerentes esse quidem deducendos, non autem incertos, extraordinarios et voluntarios, veluti docent Barbosa *de paroch. P. III. cap. 29. n. 16.,* Rigant. *ad reg. 53. cancell. n. 100.,* et Card. de Luca *de benef. disc. 90. n. 80.* Dein ut a stipendio famuli exordium sumam, inquiratur oportet, utrum

stipendium illud famulo solvatur, quia ipse beneficiarii famulus est, eiusque personae inservit, vel potius quia beneficiarius illius opera utatur, quemadmodum aliis operariis uteretur ad agrum serendum colendumque. Si beneficiarius famulum suum occupet in praediorum cultura loco alterius operarii, stipendium eidem exsolvendum pro ratione laboris et operae iure ex fructibus est deducendum, penditur siquidem viro illi non tamquam famulo beneficiario inservienti, sed tamquam cuivis alteri operario. Porro operariorum impensas necessario minuere fructus beneficii, ac propterea esse detrahendas, aperte colligitur ex supra relatis textibus, ac traditur ab Antonel. *de regim. cul. lib. 3. cap. 9. n. 5.* At merces data viro, qui parocho famulatur, vel eum iuvat in administratione bonorum paroeciae, minime est subducenda, ceu docent Antonel. *loc. cit.* et Piton. *discep. cul. 40. num. 4.* Voluntaria enim censentur impendia, quae fiunt ob ea munera, quae beneficiarius per seipsum potest explere. Card. de Luca *de benef. disc. 90. n. 80.* et Merlin. *decision. 587. 28.* Hanc quoque ob causam non sunt detrahenda itinera beneficiarii, si ad agrum se conferat, ut fructibus colligendis utilius advigilet; labor enim et vigilantia beneficiarii in gerenda bonorum administratione inhaeret iuri percipiendi fructus praebendae, ideoque tempus et incommodum ipsius beneficiorum fructus imminuere nequeunt, imo si ipse factori aut administro stipendium praeberet pro bonorum administratione, istud haud foret detrahendum, nisi necessitas administri liquido patesceret. Piton. *loc. cit.*, Barbosa *de parocho. Part. III. cap. 29. n. 19.*

27. » Secus vero iudicandum putarem de ientaculis et munusculis, quae dari solent operariis fruges in horreum vel domum beneficiarii conducentibus. Profecto huiusmodi impendia nec voluntaria, nec extraordinaria sunt, sed necessaria et consueta, ideoque valorem beneficii imminuunt. Et sane ex *cit. L. Si a patre 39.* §. *de petit. haered.* fructus intelliguntur, qui supersunt deductis quoque impensis, *quae conservandorum* (ut in conducendis in horrea, ceu ibidem explicat Glossa) *eorum gratia fiunt;* frugum siquidem exportatio in horreum vel domum est veluti messis perfectio et absolutio. Quapropter eadem *L. Si a patre* §. *Fructus* cautum est, huius generis impensarum deductionem, naturali ratione ita expostulante, locum habere non solum in bonae fidei possessoribus, verum etiam in praedonibus. Quod vero

attinet ad sortem seminum, ovium, pecorum aliarumque rerum, quas patrio more vocant *scorte*, eius quidem, praesertim si haud levis sit momenti iuxta locorum qualitatem et consuetudinem rationem habendam esse, ita ut fructus dicatur ille, qui remanet lucro sortis deducto, tradit *Rot. decis. 266. n. 2. P. VII. Recent.*, et Card. de Luca *de benef. disc. 9. n. 79.* Cum enim huiusmodi sors ad instruendos fundos sit necessaria, ideoque partem eorum constituat, ad uberiorem fructum ex illis assequendum quam maxime pertinet, ac domino suo frugifera esse debet, sicut firmat *Rot. cor. Emo Gamberini decis. 33. num. 14.* Aequitati igitur apprime congruit deductio lucri ob pecuniam a beneficiario impensam ad fundos pecore, aliove apparatu pro cultura necessario instruendos. Aliter vero censendum de iactura, quam parochi et beneficiarii interdum ferre coguntur ob colonorum debitorumque inopiam. Praeterquam enim quod huiusmodi damnum extra rem contingit, nec accenseri valet inter onera, « quae imposita erant ante sacrum Concilium Tridentinum », ut verbis utar saepius memoratae instructionis, illud quoque accedit, quod praefata iactura eventualis, accidentalis et aliquando culpabilis est, ac propterea valorem beneficii imminuere nequit, quemadmodum allatis doctorum sententiis superius innui.

28. » Quo cum mea pervenerit oratio, fateor, hanc fere animi mei esse sententiam, si praepositae quaestiones ex sacrorum canonum iure essent dirimendae. Verum perpendendum superest, utrum ex prudentiae regula expediat, ut decretum Antistitis Zoppi in tanta beneficialium reddituum tenuitate, et Massensis cleri egestate ab hoc Sacro Ordine confirmetur, ac praestitutae taxae solutio omnino mandetur. Sane vix huic operi manus admovi, et illico perspexi, decretum Antistitis Zoppi optimo quidem inniti iuris fundamento, ac finem, quem ipse sibi proposuit in taxae indictione, summis esse laudibus efferendum: at circumspectis temporum, personarum, rerumque adiunctis, illud etiam intellexi, perdifficilem molestamque reddi taxae eiusmodi exactionem. Quare cum Romam advenerit Praesul Franciscus Strani Massensi ecclesiae praeficiendus, eum rogavi, ut, quid hoc super negotio sentiret, ingenue patefaceret: at quoniam ipsi neque dioecesis, neque res satis innotescerent, factum est, ut eum valde haerentem invenerim. Postquam vero ad suam residentiam se contulit, loca dioecesis oculis conspexit, cunctarumque rerum, quas scire

opus erat, certior factus est, gravia, nec sane despicienda protulit argumenta, ne taxae solutio praecipiatur. Ut vero EE. VV. huiusmodi rationum momenta latius pateant, satius esse duco, eius relationem hic integram exscribere, quae sic se habet:

29. » Commendatione sane cumulandum, et pastorali sollicitudine vere dignum fuit Praedecessoris mei opus, quo, ut taxam huius dioecesis beneficiis imponeret, omni studio est conatus. Et optandum quidem erat, quod illud secundo eventu conficere potuisset; at tot obstacula, difficultatesque tantas nactus est, ut illud inabsolutum relinquere debuerit. Mihi autem hanc cathedram assecuto huius operis exsecutio tam impervia visa est, ut ad mala, quae ex ipsa possent oriri (quaeque ipsi civili gubernio gravem essent displicentiam allatura), prospiciens, illud aggredi non sim ausus.

30. » Et re quidem vera ex relationibus, et ex ipsa mea experientia coniicere potui, beneficia parochialia, necnon canonicalia, paucissimis exceptis, adeo reditibus esse destituta, ut vix, et saepissime ne vix quidem ad congruam beneficiatorum sustentationem attingant, etiamsi nonnulla regali munificentia Ducis Mutinensis aliquod obtinuerint augmentum. Addatur insuper summa pecuniae raritas, et maxima ipsius colligendae difficultas ob locorum asperitatem, et totius commercii defectum. Addantur innumerae harum paroeciarum necessitates, quarum ecclesiae plerumque suppellectilibus carent; aedes parochiales fere omnes vel labuntur, vel restauratione indigent; pauperes multi numero maxima indigentia laborant; addantur bonorum exspoliationes, quas omnes confraternitates ecclesiarumque operae passae sunt, ac pia instituta, nec ipsis quidem exceptis beneficiis iuris patronatus, inter quae plurima Gallico, Italico ac Lucensi imperantibus gubernis, ipsis patronis pro medietate iniqua venditione relaxata fuerunt. Addantur denique ipsae hominum fraudes nitidum beneficiorum redditum non raro occultantium, et ceterae aliae difficultates subeundae pro taxa exigenda, et ex his omnibus facile erit colligere, laboriosae operae, et contentionis semper plenam palaestram procurandam esse pro exiguo redigendo reditu, et semper incerto ob varias vicissitudines, quibus subiacet.

31. » Aliunde iam existit in hac civitate seminarium regali Francisci IV. Ducis Mutinae munificentia erectum pro alumnis theologiae studio operam dantibus, cui pro dotatione quatuor

millia Italicarum libellarum, si alumni sint minores numero viginti quatuor, et si hunc numerum excedant, similium libellarum sex millia annuatim constituit. Insuper mille, et biscentum annuas libellas Italicas ex aere proprio pro honorario complexivo professorum theologiae dogmaticae et moralis, et aedium manutentioni hactenus propriis sumptibus prospexit, firmam habens voluntatem seminarium hoc bonis immobilibus dotare, cum primum ea acquirendi opportuna se praebeat occasio. Viginti sunt hoc anno alumni, quorum quisque viginti quinque libellas Italicas pro menstrua pensione solvit. Exstat pariter in hac civitate collegium a clericis Regularibus S. Pauli, et laudata Francisci IV. munificentia bonis immobilibus optime provisum, in quo iuventus a primis legendi et scribendi principiis usque ad philosophicas disciplinas inclusive probe educatur. Aliud seminarium existit in civitate Castri Novi provinciae Caproniae erectum, et dotatum bonis immobilibus beneficio eiusdem Principis, et ipsius alumni viginti numero pro menstrua pensione solvunt tantum libellas Italicas viginti. Reditus dotationis ascendunt ad quatuor millia libellarum Italicarum, et iuvenes praeceptis grammaticae et rhetoricae, et philosophiae scientiis imbuuntur, et ad rectam morum religionisque normam informantur, sub disciplina ecclesiastici Superioris ab Ordinario electi.

32. » Et maxima animi mei exsultatione hoc ipso temporis momento, quo haec scribo, piissimi Principis chirographum propria manu exaratum ad me pervenit, quo mentem suam mihi pandit, quae est, ut quam citissime aliud seminarium aperiatur in Lunensi provincia suo subiecta dominio, pro quo iam nonnullis abhinc annis aedes, ac supellectilia parata fuere, sed ob multas obortas vicissitudines nondum apertum. Pro eius dotatione bona immobilia acquirere iam tentavit; at contractum suspendere debuit, quia necessaria cautione destitutum, et interim donec alia exoriatur occasio, ex aere proprio expensas, quae occurrere poterunt, se soluturum promittit.

33. » Non equidem ignoro, huiusmodi pia instituta locis dissitis posita, et procul ab Ordinarii residentia variis subiacere difficultatibus, et illi maxime, quae impedit sedulam Episcopi vigilantiam, sed munificentissimus Princeps haec exigit ea motus ratione, ut singulae hae pauperrimae regiones aliquo modo sint necessaria educatione provisae, ac beneficiorum eiusdem partici-

pes, et interim pueri in illis parvis seminariis educati, si ecclesiasticae militiae nomen dare exoptaverint, in hoc seminarium se recipiant, ut studio Theologiae vacent, suamque vocationem perficere possint.

34. » Haec omnia exponenda mihi visa sunt, ut S. Congregationis Emi Patres, quomodo horum seminariorum ac dioecesis res se habeant, cognoscere queant, et ex his colligere *utrum taxa pro seminario sit confirmanda, nec ne.* Huius quaesiti solutio reverenter eorumdem Eminentissimorum Patrum sapientissimo iudicio submitto, numquam praeteriturus quidquid per eos fuerit decretum.

35. » Quamobrem sive beneficialium redituum tenuitas, sive taxae exigendae difficultas spectetur, melius forte existimo, si taxae suspendatur exactio. Hisce accedit, quod Mutinae Dux vere pius ac munificus dotem tribus seminariis iam constituerit, nec sit dubitandum, quin eam ita brevi sit aucturus, ut pauperiores clerici si non gratuito, at certe pensione valde imminuta in episcopali seminario alantur et instituantur.

36. » Hinc hodierni Episcopi opinioni mea quoque adhaeret sententia, quam tamen sapientiori EE. VV. iudicio libenter submitto. Dirimenda itaque veniunt dubia : »

I. *An taxa pro Seminario sit servanda, seu potius suspendenda in casu etc.?*

Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam,

II. *An taxam solvere teneantur beneficia iurispatronatus etiamsi laicalis in casu etc.?*

III. *An etiam beneficia exigui valoris in casu etc.?*

IV. *An parochiae, quarum valor est annuis scutatis centum inferior in casu etc.?*

V. *An capellaniae mere laicales in casu etc.?*

VI. *An, et quae emolumenta incerta parochorum sint taxae obnoxia in casu etc.?*

VII. *An ex fructibus beneficiorum sint prius deducenda impéndia nedum pro agro colendo, et fructibus colligendis, sed etiam pro frugibus in horreum vel domum beneficiarii exportandis in casu etc.?*

VIII. *An detrahenda ientacula, et munuscula dari solita operariis easdem fruges domum deferentibus in casu etc.?*

IX. *An deducendae expensae itinerum parochi extra fines paroeciae se conferentis ad invisenda praedia, et ad alia negotia gerenda in casu etc.?*

X. *An subducendum stipendium administri parochum adiuvantis in gerenda bonorum administratione in casu etc.?*

XI. *An detrahendum stipendium famuli, si suam impendat operam in agris quoque beneficii colendis, fructibusque colligendis in casu etc.?*

XII. *An sit detrahendum lucrum cessans seminum, pecoris et aliarum rerum vulgo* delle scorte *in casu etc.?*

XIII. *An sit deducenda iactura ob colonorum aliorumque debitorum inopiam in casu etc.?*

XIV. *An ad annuum beneficiorum valorem dignoscendum sit ducendus calculus per decennium in casu etc.?*

XV. *An notula redituum sit a beneficiariis iureiurando firmanda in casu etc.?*

Die 17. Dec. 1836. Emi Patres rescripserunt:

Ad I. Arbitrio Episcopi facto verbo cum SSmo; ad reliqua dubia iuxta votum Emi Relatoris, nempe:

Ad II. et III. Affirmative, quatenus beneficiorum reditus excedant summam septem florenorum auri de Camera.

Ad IV. Affirmative.

Ad V. Negative.

Ad VI. Affirmative super incertis certis tantum, et detur decretum, ut in Panormitana mense Octob. 1787.

Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Affirmative.

Ad IX. Negative.

Ad X. Negative excepto casu necessitatis.

Ad XI. Affirmative quatenus occupet locum alterius operarii.

Ad XII. Affirmative.

Ad XIII. Negative.

Ad XIV. Affirmative.

Ad XV. Affirmative iuxta votum in omnibus Emi Relat.

XIII.

Bened. XIV. Literae Apostolicae Ad universae *de residentia Episcoporum.*

(Ad pag. 138. vol. I.).

Summarium. 1. Pontificum et Conciliorum sollicitudo circa residentiam Episcoporum. – 2. Quid in hac re praestiterit Bened. XIV. – 3. Absentiae causae, ac tempora a C. Trid. permissa. – 4. Indultum Urbani VIII. et Bened. XIII. ampliatur pro Episcopis recens in Italia promotis. – 5. Item pro visitantibus Limina Apostolorum. – 6. Decreta ad praecavendos abusus, ne videlicet diversa absentiae indulta coniungantur. – 7. Cardinales suburbicarii, alios episcopatus obtinentes, in his resideant. – 8. De Congregatione, quam Urbanus VIII. instituit pro curanda Episcoporum residentia. – 9. 10. Quae fuerit huius Congregationis disciplina. – 11. Congregationem huiusmodi intermissam redintegrare sibi proposuit Bened. XIV. – 12. Idem Pontifex canonicas et Pontificias ordinationes confirmat et innovat, contrariis non obstantibus. – 13. Innovat etiam atque confirmat poenas in violatores constitutas, addita privatione indultorum competentium assistentibus Solio Pontificio. – 14. Congregationem super residentia, eiusque sessiones in usum restituit. Eidem deputat promotorem fiscalem. Praescribit occasiones, in quibus convenire debeat. – 15. Folia cum expressione indultorum, quae conceduntur ad Pontificis signaturam deferri mandat. – 16. Singulis absentiae causis opportuna rescripta accommodat. – 17. An, et quomodo permittendum sit Episcopo, ut absit a dioecesi causa litis. – 18. Quid permittendum ratione infirmitatis extra dioecesim contractae. – 19. Quid ad convalescendum ex morbo in dioecesi contracto. – 20. Quid ratione aeris insalubris. – 21. Quid pro celebrandis conciliis, assemblaeis, congregationibus et muneribus publicis exercendis. – 22. Quid pro constituendis processibus Apostolicis in causis Canonizationis. – 23. Praemissorum observantia districte praescribitur. – 24. De onere denuntiandi non residentes. – 25. Specialis commissio Nuntio Apostolico in urbe Neapoli commoranti iniuncta. – 26. Cardinales in praedictis sanctionibus comprehenduntur. – 27. Literarum firmitati consulitur per *decretum irritans* et clausulam *Sublata*. – 28. Derogationes. – 29. Publicationis vis et exemplorum auctoritas. – 30. Sanctio poenalis.

1. Ad universae christianae reipublicae statum, ad ecclesiasticarum legum custodiam, et fidelium populorum salutem, tam magni refert singulos patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis, et cathedralibus ecclesiis praepositos, in ipsis ecclesiis, vel dioecesibus sibi creditis assidue residere, ut difficile sit, aliud ullum

reperire ecclesiasticae disciplinae caput, quod aut conciliaribus canonibus atque decretis, aut Apostolicae Sedis constitutionibus et sanctionibus tam saepe tamque impense inculcatum fuerit et commendatum. Ut autem antiquiora canonica statuta praetereamus, Nobis satis erit innuere, quid hac de re decreverit sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. 6. cap. 1. et Sess. 23. cap. 1. de Reform.*, tum ea, quae recol. mem. Praedecessor Noster Urbanus Papa VIII. praescripsit in sua Constitutione data apud S. Petrum die 12. Decembris anni 1634., quae incipit *Sancta Synodus*, et in qua praecedentes aliorum Romanorum Pontificum Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. leges et Constitutiones retulit, confirmavit et ampliavit. Neque opus est recensere omnes encyclicas Literas, quae ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos, de implendo huiusmodi residentiae onere identidem admonendos, ab hac Apostolica Sede mitti consueverunt; ut patet ex Epistola iussu Ven. Servi Dei Innocentii Papae XI., Praedecessoris quoque Nostri scripta die 5. Februarii anni 1658., item ex alia die 24. Decembris anni 1707. a felic. record. Clemente Papa XI. ad suum et Apostolicae Sedis Nuntium Neapoli commorantem conscripta, ut illius regni Praesules ad residendum in propriis ecclesiis et dioecesibus adigerentur; necnon ex eiusdem Clementis Literis in forma Brevis datis die 25. Maii anni 1704. ad Archiepiscopos et Episcopos Poloniae, qui obtentu turbarum et dissensionum, quae tunc in eo regno versabantur, suas reliquerant ecclesias atque dioeceses.

2. Neque porro Nos hac in re Apostolici officii Nostri partes desiderari permisimus. Vix enim inscrutabili divinae providentiae consilio in hac suprema Ecclesiae universalis specula collocati fuimus, quum veterem Praedecessorum Nostrorum morem in usum revocantes, ad Ven. Fratres omnium per orbem ecclesiarum Antistites Apostolica scripta direximus, quibus inter cetera salubria monita hoc etiam de residendo in propriis ecclesiis peculiari studio iis inculcare, et tam gravissima damna, quae ex eorum absentia proveniunt, quam magnas utilitates, quas eorum praesentia concreditis ipsis dioecesibus affert, ante oculos proponere non praetermisimus, ut videre est in §. 4. Epistolae encyclicae die 3. Decembris anni 1740. a Nobis conscriptae, quae in tom. I. Bullarii Nostri nuper vulgati n. 2. impressa est. Qui autem hominum corda scrutatur Deus, is sane novit, quanto et quam

acerbo animi Nostri dolore nonnunquam acceperimus, ecclesiasticas regulas ab aliquo ex fratribus hac in parte violari, et quantopere studuerimus, nunc admonendo, nunc obsecrando, nunc increpando, absentes quidem per literas, praesentes vero ipsa voce ad debitum residentiae officium revocare. Quin etiam laudabilibus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, in Nostra et Cancellariae Apostolicae regula, qua beneficia ecclesiastica in octo anni mensibus vacatura Nostrae dispositioni et collationi reservavimus, simul etiam eisdem Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis residentibus gratiam alternativae mensium, certis modo et forma ab iis acceptandam, libenter obtulimus; nimirum ut, quamdiu ipsi apud ecclesias aut dioeceses suas vere et personaliter residerent, de beneficiis huiusmodi ecclesiasticis, quae extra Romanam curiam in Februarii, aliisque alternis anni mensibus vacare contingeret, dummodo alias dispositioni Apostolicae reservata vel affecta non essent, libere disponere valerent, facultatem tempore Pontificatus Nostri duraturam concessimus: quo scilicet iidem Episcopi et maiorum ecclesiarum Praesules, ampliorem potestatem in beneficiis praedictis conferendis sic obtinentes, hac etiam Apostolicae Nostrae liberalitatis gratificatione illecti, ad personalem residentiam praedictam libentius obeundam adducerentur.

3. Quoniam vero et certae quaedam causae adesse possunt, et huiusmodi occasiones incidere, propter quas, praevio Romani Pontificis assensu et approbatione, liceat Episcopo e propria ecclesia et dioecesi per aliquod definitum tempus abesse, ea vero absentia, quae ad modicum tempus protrahitur, neminem desertae residentiae reum constituit, ideo et in Conciliis, et in Apostolicis Constitutionibus ad praecavendos abusus tam circa huiusmodi causarum et occasionum relevantiam, quam circa tolerabilia temporum spatia, providae statutae leges et regulae reperiuntur. Et quidem iustae et legitimae absentiae causae a praefata Tridentina Synodo *cit. cap. 1. Sess. 23.* non aliae agnitae fuerunt, quam christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, et evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. Verum his etiam causis deficientibus, quum eadem sacrosancta Synodus perpendisset, ex veterum canonum sententia, minime abesse videri eos, qui aliquantisper absunt, et statim sunt reversuri, omnibus ecclesiarum Antistitibus indixit, ut sibi licitum non putarent singulis annis ultra duos aut tres ad summum menses, sive con-

tinuos, sive interruptos, extra proprias dioeceses commorari, eosque simul admonuit, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi diebus, ab ecclesiis suis cathedralibus abessent, nisi forte episcopalia munia in aliis dioecesum suarum locis eos detinerent, eamque praeterea rationem ab iis haberi voluit, ut absque ullo gregis detrimento concessa uterentur libertate, et ut id *aequa ex causa fiat;* quibus verbis animi levitas, oblectationum cupiditas, aliaeque futiles causae penitus excluduntur.

4. Praefatus autem Praedecessor ad peculiares occurrentes casus descendens, Episcopis in curia promotis unum concessit mensem (quem postea declaratum fuit, a die ipsorum propositionis in consistorio computandum esse), quo mense elapso, singuli ad proprias ecclesias se conferre deberent. Sed quum in Concilio Romano, habito a felic. record. Benedicto Papa XIII., Praedecessore pariter Nostro, Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali suo, et Romani Pontificis pro tempore in Urbe eiusque districtu Vicario, ut praefatum unius mensis terminum, iuxta casuum contingentiam, et causa cognita, ad alios quadraginta dies, et non ultra, prorogare posset.

5. Praeterea Episcopis ad sacra Apostolorum Limina statutis temporibus visitanda personaliter accedentibus, supradictus Urbanus, Praedecessor, indulsit, ut, qui ecclesiis citra montes, et citra mare positis praesiderent, per quatuor, qui vero ultramarinis, et ultramontanis ecclesiis praeessent, per septem menses continuos a residentia in suis respective sedibus facienda, huiusmodi visitationis gratia, excusarentur.

6. Cum vero idem Urbanus declarasset, se per ea, quae in suis praefatis literis constituerat, minime sublatam voluisse dictam trium mensium licentiam a Concilio indultam, hinc plures ortae quaestiones, et varia condita sunt decreta, ab eodem Urbano eiusque Successoribus approbata; cuiusmodi sunt, non licere trimestrem absentiam praedictam coniungere, sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam sacrorum Liminum Visitationem eisdem concessum fuit: neque fas esse

absentiae tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est praedictos menses coniungere cum eo anni tempore, quo, propter aeris insalubritatem, alicui Episcopo permittitur extra dioecesim degere; ne scilicet continuatis absentiae temporibus, vernos simul et aestivos menses, sive aestivos una cum autumnalibus, extra dioecesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia sacri Concilii per fraudem abuti posset, declaratum fuit, praedictam trium mensium vacationem intra cuiusque anni limites coerceri, ut, qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab ecclesia sua abesse valeat.

7. Et quoniam Tridentina Synodus sub legibus de residentia huiusmodi ipsos etiam sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales nominatim comprehendit, praefatus Urbanus Praedecessor, advertens nonnunquam evenire, quod aliquis ex Cardinalibus alicui patriarchali, seu metropolitanae, aut episcopali ecclesiae praepositus, unum simul ex episcopatibus suburbicariis obtineret, constituit, ut huiusmodi Cardinales in primodictis ecclesiis, non autem apud episcopatus suburbicarios residere tenerentur.

8. Denique tam in praedicto Concilio, quam in citata Urbani Constitutione contra transgressores huiusmodi legum, quae ad residentiam pertinent, gravissimae poenae statutae fuerunt; quarum exsecutionem idem Urbanus primo quidem demandavit auditori causarum curiae Camerae Apostolicae: verum biennio post totam huius materiae cognitionem delegavit Congregationi particulari a se deputatae, quam compositam esse voluit ex tunc et pro tempore existentibus Cardinali Romani Pontificis in Urbe Vicario, necnon eiusdem Pontificis Datario, et Secretario Status ac Secretario Brevium, duobus item Secretariis Congregationum Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium, ac interpretationi et exsecutioni decretorum praedicti Concilii Tridentini respective praepositarum. Et quidem praedicto Cardinali Vicario facultatem tribuit, ut, iustis ex causis, et cum consilio praedictorum Praelatorum concedere posset Episcopis licentiam abessendi a propriis ecclesiis et dioecesibus spatio dumtaxat dierum quadraginta, ut in ipsius Urbani Literis datis die prima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi trigesimi sexti distinctius praescribitur.

9. Huius Congregationis caput seu Praefectus, ex quo eadem instituta est, semper fuit praefatus Cardinalis Vicarius pro tempore existens; quemadmodum eiusdem Secretarii munus is semper gessit, qui Congregationi Concilii Tridentini fuit a Secretis; unde etiam Nos ipsi, dum in minoribus constituti officio Secretarii praedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum fungeremur, par quoque munus Secretarii alterius Congregationis super residentia Episcoporum simul sustinuimus. Quae sane Congregatio, ut ex illius secretariae regestis apparet, tam ipsius Urbani, Praedecessoris, temporibus, quam aliis subsequentibus non semel singulis annis adunari consuevit; id quod a san. mem., Praedecessore pariter Nostro, Clemente Papa XI. in usum revocatum fuit, et identidem peractum, Nobismetipsis praefatum Secretarii munus obeuntibus, confectisque a Nobis, et impressis foliis, ea prorsus methodo, quae pro causis ad Congregationem Concilii pertinentibus observatur.

10. Ut autem Episcopi a suis ecclesiis vel dioecesibus licite abesse possint, quum praeter causam canonicam, expressa quoque licentia Romani Pontificis, ut supra diximus, sit necessaria, excepto casu praedictae trimestris absentiae a Concilio permissae, pro qua nulla peculiaris requiritur licentia, quum idem Concilium Episcoporum abscedentium conscientiae relinquat, de aequitate causae iudicium facere, hinc est, quod quaecumque huius generis licentia olim indulgeretur, per speciale chirographum manu Pontificis signatum expediebatur. Postmodum vero inductus fuit mos describendi omnes huiusmodi licentias in unico folio, quod Pontifici subscribendum deferebatur; quem sane morem a praedecessoribus Secretariis invectum Nos quoque servavimus.

11. Cum autem post absentiam duodecim annorum, quorum duos apud Anconitanam, et decem apud Bononiensem ecclesias regimini Nostro successive commissas, assidue residendo transegimus, in Urbem reversi, et ad Apostolicam Sedem, quamvis immerentes, evecti fuerimus, Congregationis praefatae sessiones, materia forsan deficiente, non amplius frequentari comperimus; neque porro chirographa, aut folia signanda Nobis oblata fuerunt, sed facta Nobis oretenus a Praelato dictarum Congregationum super exsecutione et interpretatione Concilii, et super residentia Episcoporum Secretario, tam petitionum Episcoporum, qui vacationem a residentia postulabant, quam causarum, quibus

huiusmodi petitiones innitebantur, relatione, Nostroque desuper accepto responso, opportuna singulis decreta perscribi, eaque a Cardinali Vicario Nostro, tamquam saepedictae Congregationis super residentia Episcoporum Praefecto, signari consueverunt. Verum quum Nos hanc agendi rationem pro rei gravitate nimis compendiariam iudicaverimus, visum est Nobis motu proprio, et ex certa scientia, non solum pro debita, ut aiunt, actus solemnitate, sed etiam pro ipsius rei subsistentia, et pro maturiori examine causarum, quae ad huiusmodi licentias obtinendas afferuntur, infrascriptas leges, et ordinationes inviolabiliter in posterum observandas, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, edicere et constituere.

12. Primum itaque relata superius sacrosanctae Tridentinae Synodi decreta, *Sess. 6. cap. 1. et Sess. 23. cap. 1. de Reform.* laudatasque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, Pii IV., Gregorii XIII., Clementis VIII. et Urbani pariter VIII. Constitutiones et ordinationes, necnon omnes et singulas, quas supra innuimus, resolutiones Apostolicae Sedis auctoritate editas, innovantes, et tam decretorum, quam constitutionum, ordinationum et resolutionum huiusmodi tenores etiam veriores pro satis hic expressis, ac etiam de verbo ad verbum insertis habentes, et haberi volentes, illaque et illas, quatenus opus sit, iterum plenissime approbantes et confirmantes; omnia et singula in ipsis contenta, ab iis, ad quos spectat, et pro tempore in posterum spectabit, attendi, et in his omnibus, quae Nostris hisce Literis non adversentur, exactissime impleri et observari volumus, statuimus, et in virtute sanctae obedientiae mandamus, atque praecipimus; non obstantibus quibuscumque privilegiis, aut contrariis, etiam quantumvis inveteratis, usibus et consuetudinibus, quae potius abusus et corruptelae dici debent, quibus, si forte adesse, aut allegari contingat, motu ac scientia simili, ac de praedictae Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine, derogamus, ac derogatum esse volumus et decernimus.

13. Secundo loco, et consequenter ad praemissa, adversus praedictarum legum et constitutionum transgressores omnes et singulas poenas in eisdem decretis et constitutionibus latas et comminatas, auctoritate quoque Nostra confirmamus et innovamus, amissionis scilicet quartae partis fructuum unius anni, ipso facto ab iis incurrendae, qui legitimo impedimento, seu iustis et

rationabilibus causis cessantibus, et absque expressa, ut praefertur, Apostolicae Sedis licentia, sex mensibus continuis extra suam dioecesim morando abfuerint; et amissionis alterius quartae partis fructuum, eodem modo incurrendae, ubi huiusmodi absentia ad alios sex menses protrahatur, ut in praedicto Concilio Tridentino *Sess. 6. cap. 1. de Reform.* statutum fuit; incursus quoque in peccati mortalis reatum, et obligationis restituendi fructus in absentia perceptos, nulla etiam praevia declaratione, eosque erogandi in ecclesiarum fabricas, seu in sustentationem pauperum ipsius loci, quacumque conventione, seu compositione pro huiusmodi fructibus male perceptis prohibita, ut in eodem Concilio *Sess. 23. cap. 1.* praescribitur. Similiter impositam a praedicto Pio IV. Praedecessore poenam amissionis facultatum testandi et disponendi, si quae transgressoribus huiusmodi competere dignoscantur, necnon inhabilitatis ad maiores dignitates, et ecclesias obtinendas, quam praefatus quoque Praedecessor Clemens VIII. indixit, per omnia confirmamus, et innovamus. Quibus omnibus hoc etiam superaddimus, ut iidem transgressores omnibus et singulis indultis et privilegiis, quae forsan ipsis, tamquam Pontificio solio Assistentibus, concessa fuerint, ipso facto privati esse censeantur. Decernentes, sub transgressorum nomine comprehendi non solum eos, qui praeter tres menses a Concilio toleratos, absque legitima causa, et expressa Romani Pontificis licentia, extra proprias dioeceses commorantur, sed eos etiam, qui huiusmodi licentiam falsis simulatisve causis dolose extorquere non dubitaverint, vel ea semel rite recteque obtenta, praescriptos in eadem limites, ac praefinitum tempus praetergressi fuerint. Quod si nihilominus, aliqui non minus canonica statuta, quam propositas huiusmodi poenas contemnentes, in sua contumacia obfirmati perseverare praesumpserint, volumus adversus istos ad ulteriora cum effectu procedi, iuxta mentem eiusdem Concilii Tridentini, quod in citato *cap. 1. Sess. 6.* Romanum Pontificem pro tempore existentem hortatur, ut suae supremae Sedis auctoritate in huiusmodi transgressores ad severiorem sacrorum canonum normam animadvertat, atque etiam ecclesiis ipsis de utilioribus pastoribus provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire.

14. Tertio loco volumus et mandamus, ut praedictae Congregationis super residentia Episcoporum ab Urbano Papa VIII. institutae exercitium atque sessiones resumantur, confirmantes

ipsius praefecturae munus dilecto Filio Nostro Ioanni Antonio tituli S. Martini in montibus presbytero S. R. E. Cardinali Guadagni nuncupato, moderno Nostro in Urbe eiusque districtu in spiritualibus Vicario, eiusque in officio vicariatus huiusmodi successoribus, sicut etiam officium Secretarii eiusdem Congregationis dilecto filio magistro Ioseph Alexandro Furietto, eiusque successoribus Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Secretariis, eosdemque statuentes in huiusmodi Congregatione nunc et deinceps pro tempore locum habere, et suffragium ferre, quicumque ea officia, et munera obtinent sive obtinebunt in posterum, quae, in praecitatis Urbani, Praedecessoris, Literis designantur. Praeterea, quum minime expediat huiusmodi Congregationem promotore fiscali carere, Nos eum, qui in tribunali praedicti Cardinalis Vicarii Urbis officium gerit promotoris fiscalis, eiusque in officio successores pro tempore, ad idem munus obeundum deputamus in praefata Congregatione, cui ipsum, seu ipsos cum consultivo suffragio volumus interesse. At vero perpendentes, quod, si Congregatio isthaec toties habenda foret, quoties ab aliquo Episcopo licentiam abscedendi a dioecesi peti contingeret, eadem aut propter frequentiam nimis onerosa evaderet, aut propter negotiorum levitatem tractu temporis negligi, et parvipendi posset, volumus atque statuimus, eamdem tunc tantum cogendam, habendamque esse, quum aut a Nobis, sive a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus, alicuius negotii cognitio ipsi remissa et delegata fuerit: aut, huiusmodi etiam remissione cessante, quoties de poenis superius constitutis, adversus aliquem transgressorem reipsa decernendis infligendisque deliberandum fuerit; siquidem huiusmodi poenarum modus, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, ab eadem Congregatione statuendus erit, ut facta per ipsius Secretarium Nobis, seu Successoribus Nostris relatione, approbataque Congregationis resolutione, ad huiusmodi poenarum exsecutionem cum effectu procedatur; aut denique quum aliquis Episcopus instantiam proponat abessendi a propria dioecesi ratione alicuius muneris, sive officii, cuius ea dicatur natura esse, ut Apostolicum indultum de non residendo ad longum tempus ipsi sit concedendum; Nos etenim huiusmodi indulta nemini unquam concedi debere decernimus, nisi praevio causarum examine in eadem Congregatione peragendo, Nostraque et Successorum Nostrorum scientia et ap-

probatione, et mediante expeditione Literarum Apostolicarum in forma Brevis; ideoque mandamus Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis supplicum libellorum Secretario, aliisque Secretariis quarumvis Congregationum, quibus ea de re preces oblatae fuerint, ut illas in praedictam Congregationem super residentia Episcoporum omnino remittant, simulque prohibemus Nostro, et Successorum Nostrorum pro tempore Secretario Brevium, ne Literarum Apostolicarum super indultis huiusmodi exempla Nobis, aut Successoribus Nostris, signanda, ullatenus afferat, nisi authentica documenta, tam de causarum examine in dicta Congregatione peracto, quam de Apostolica approbatione et assensu consequenter emanatis, eidem fuerint exhibita.

15. Quarto loco statuimus, ut folia superius enuntiata in posterum omnino conficiantur, in quibus nimirum describantur nomina Episcoporum, quibus dantur indulta commorandi extra dioecesim, una cum causis ab ipsis adductis atque probatis, et spatio temporis, ad quod huiusmodi indulta conceduntur; quae quidem folia a Romano Pontifice subscripta, in tabulario praedictae Congregationis, ut alias, asservari praecipimus. Quod tamen intelligi volumus non de iis indultis, quae per Apostolicas Literas in forma Brevis expedienda esse in paragrapho superiore descripsimus; sed de alterius generis indultis, de quibus infra dicendum erit, quaeque post Pontificium assensum a Secretario requisitum et obtentum, expediri debebunt per decreta a praedicto Cardinali Vicario Urbis, tamquam praefatae Congregationis Praefecto, subscripta. Decet enim has quoque licentias non sine Pontificia subscriptione prodire, idque obtinebitur accedente signatura Pontificis super praedictis foliis, in quibus singulorum indultorum tenores et causae a Secretario descriptae erunt, quemadmodum elapsis temporibus, atque etiam a Nobis ipsis, dum huiusmodi Secretarii munere fungeremur, servatum fuisse narravimus.

16. Quinto loco, quoniam experiendo cognovimus, quod ad obtinenda indulta commorandi extra dioecesim, infrascriptae plerumque causae ab Episcopis afferri solent, nimirum aut necessitas assistendi personaliter alicui liti, seu controversiae, in qua ecclesiae, ac cleri sui, vel etiam propriae familiae res agatur, quaeque in Romana curia introducta sit, vel alia in urbe, in qua resideant maiora tribunalia, quorum ea de re iudicium esse debeat; aut corporalis aegritudo, qua correptus fuerit Episcopus,

dum extra dioecesim, conciliaribus mensibus utens, morabatur, ita ut ad eamdem dioecesim reverti nequeat, aut adversa valetudo in ipsa dioecesi contracta, ad quam depellendam medici putent necessarium fore, Episcopum aerem et solum aliquantisper mutare, aut denique malignitas aeris in dioecesi vigens, quam aliquibus anni mensibus devitari oporteat: et quoniam nec ulla ex praemissis causis, absque expressa Romani Pontificis approbatione, quemquam ab onere residendi eximere potest; et, nisi certis expressis circumstantiis, iisque verificatis, difficile est ad huiusmodi approbationem rite recteque procedere, necessarium Nobis visum est infrascriptas regulas statuere, quas in singulis respective casibus ab iis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, observari mandamus atque praecipimus.

17. Si quis igitur in posterum licentiam petierit abscedendi a dioecesi sibi concredita, ut iudiciali controversiae, quae alibi vertitur, per se ipsum intersit, exprimere debebit in precibus tum locum, sive urbem, in qua huiusmodi lis agitatur, tum etiam an ea pertineat ad ipsam oratoris ecclesiam, seu clerum, vel potius ad ipsius familiam. Et quidem si ad familiam pertineat, absque eo quod Secretarius Congregationis Pontificem, aut Cardinalem Praefectum adeat, rescribendum ab ipso erit, ut orator ad effectum, de quo in precibus, utatur mensibus a Conciliis indultis. Quod si eis iam usus fuerit, ulterior ipsi licentia non concedetur. Si vero de eius ecclesiae, vel cleri rebus agatur, exponi debebunt, tum status litis, eiusdemque gravitas, tum causae, propter quas necessaria creditur in loco iudicii oratoris praesentia, tum etiam declarandum, an mensibus conciliaribus usus fuerit. Et quidem si nondum illis usus sit, rescribendum erit, ut eos in huiusmodi causam impendat. Si vero id amplius Episcopo integrum non sit, (qua in re nec dolus, nec fraus intercesserit), et alioquin ipsius instantia iusta videatur, tantum illi temporis, et non amplius, ad commorandum extra dioecesim tribuatur, quantum iudicatum fuerit necessarium esse ad causae defensores, advocatos, et iudices de omnibus, quae ad rem pertinent, sufficienter instruendos. Si enim licentia abessendi a dioecesi usque ad finalem exitum causae extendi deberet, nemo non videt, quam diuturna plerumque foret in hisce casibus Episcoporum absentia, et quam facile evenire posset, ut pleraeque dioeceses complurium annorum spatio pastorum praesentia carerent.

18. Qui vero licentiam abessendi petierint ratione infirmitatis extra dioecesim contractae dum vacatione a Concilio indulta uterentur, afferentes ea de causa regressum ad propriam dioecesim sibi prohiberi, exponere debebunt contractae infirmitatis qualitatem, et super ea testimonium medici iuramento firmatum exhibere. Atque, ubi petita licentia ipsis indulgeatur, ea semper ad certum ac definitum tempus concedi debebit, adiecta quoque clausula *si tamdiu infirmitas duraverit.*

19. Ab iis autem, qui huiusmodi licentiam postulaverint, eo quod aeris mutatione opus sibi esse dicant ad convalescendum ex morbis, quos in suis ecclesiis residendo contraxerunt, exprimendum erit in precibus, quo morbi genere, et quam graviter laborent, ac proferendum testimonium medici, qui iureiurando testetur, utile ac necessarium oratori esse, ut in aliam regionem atque aerem per aliquod tempus se transferat. Nec illud silentio praetereundum, an scilicet orator, antequam morbo corriperetur, trimestri licentia a Concilio permissa usus fuerit. Si enim id nondum fecerit, et tempus a Concilio indultum sufficiens ipsi non reputetur, poterit eidem concedi, ut per quatuor menses, in quibus tamen conciliares menses comprehendantur, a residentia absens permaneat; at si praedictos conciliares menses, remoto omni dolo et fraude, iam extra dioecesim transegerit, tantum temporis ipsi indulgeatur, quantum ad confirmandam ipsius valetudinem vere necessarium esse prudenter iudicabitur.

20. Qui tandem licentiam commorandi extra dioecesim postulabit propter malignitatem aeris, quem in sua dioecesi aliquo anni tempore insalubrem esse affirmet; is videat etiam atque etiam quid agat. Et quidem pro veritate exponat, quibus anni mensibus perniciosus sit regionis aer: item an eadem coeli temperies totam comprehendat dioecesim, ita ut nullus intra eius tractum locus existat, in quo suspectum illud tempus absque salutis detrimento transigere valeat, postremo an conciliaribus mensibus usus fuerit. Etenim si nondum eos sibi sumpserit, non aegre obtinebit indultum abessendi per quatuor menses (quatenus periculum ab aere tamdiu durare censeatur), in quibus tamen tres illi a Concilio permissi numerandi erunt. Si autem huiusmodi Concilii indulgentia iam usus fuerit, frustra novum indultum praedicta de causa ab Apostolica Sede postulabit; sibique imputare debebit, quod, quum sciret certo anni tempore in sua dioecesi

aerem insalubrem fore, concessos vacationis menses in tempus illud non reservaverit. In omnibus autem absentiae indultis, quae ratione aeris insalubris in posterum concedentur, hanc clausulam adiici volumus: *dummodo intra dioecesim aliquis locus non adsit, in quo aer salubris sit, et in quo Episcopus commorari possit.*

21. Sane praedictus Urbanus, Praedecessor, non praetermisit eorum Antistitum causam considerare, qui provincialibus Conciliis, vel Congregationibus, seu assemblaeis generalibus, in quibus ecclesiastici intervenire solent, personaliter interesse, sive in aliis muneribus, aut reipublicae officiis, quae ipsorum episcopatibus ecclesiisque adiuncta sunt, ad certum tempus extra dioecesim occupari solent ac debent; et his quidem in praecitata Constitutione licentiam abessendi concessit pro eo definito tempore, quo eiusmodi Concilia, Congregationes, et assembleae peragentur, exercitiumque muneris, seu officii publici eorum ecclesiis adiuncti actu duraverit; dummodo iis finitis, recto tramite ad ecclesias sibi commissas sese conferrent; cuius concessionis aequitatem Nos quoque agnoscentes, eamdem approbamus et confirmamus. Sed quum idem Urbanus nihil statuerit de Episcopis, qui a residentiae suae loco discedunt pro processuum in causis beatificationum aut canonizationum compilatione, Apostolica auctoritate ipsis delegata, necesse est aliquid a Nobis pro his etiam casibus opportune constitui.

22. Expediuntur a Congregatione Sacrorum Rituum literae, quas vocant remissoriales et compulsoriales, quibus committitur, ut supradicti processus auctoritate Apostolica conficiantur, eaeque diriguntur tribus Episcopis, aut superioribus Praelatis, cum clausula, ut *duo ad minus procedant*. Cumque in huiusmodi Episcoporum numero semper includatur Ordinarius loci, in quo processus construitur, fere contingit, e tribus, ad quos literae sunt directae, unum dumtaxat a residentia avocari. Ubi itaque aliquis Episcopus titularis ecclesiae in partibus infidelium constitutae haberi possit, volumus eum in praefatis Literis pro uno ex tribus Episcopis comprehendi. Quod si tres omnino Antistites in propriis ecclesiis residentes ad huiusmodi effectum delegari oporteat, statuimus atque praecipimus, ut Literae a praedicta Congregatione dirigantur Episcopis, qui viciniores sunt dioecesi, in qua Apostolicus processus conficiendus erit. Quoniam vero de re agitur, quae non duabus tribusve hebdomadibus perfici queat, sed quae

plurium saepe mensium, aut etiam annorum operam requirit, volumus, ut Episcopi, qui eiusdem delegationem acceptaverint, necessariam licentiam abscedendi a dioecesi, causam absentiae exprimendo, petere et impetrare non omittant, sub poenis adversus eos constitutis, qui absque causa extra dioecesim commorantur. In huiusmodi autem licentiis concedendis statuimus, ut conciliares menses semper comprehendantur, et praeter eos, triginta dumtaxat dies, si opus fuerit, adiiciantur; nam et ad plura peragenda quadrimestre spatium sufficiens est; et, si adhuc facienda supersint, quatuor alii menses sequenti anno in idem opus insumi poterunt.

23. Haec sunt, quae salubriter in Domino statuenda iudicavimus, quaeque pro regula et norma in posterum haberi volumus, ut a Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis gravissimum, quod ipsis incumbit, residentiae officium exacte impleatur. Itaque dilecto filio moderno praefatae Congregationis super eadem residentia Secretario, eiusque successoribus in perpetuum iniungimus, et in virtute sanctae obedientiae, sub poenis contra inobedientes mandatis Apostolicis in re gravi, praecipimus atque iubemus, ut supplices libellos pro parte quorumcumque Antistitum sibi oblatos, in quibus ea, quae supra adnotavimus, expressa non fuerint, quibusque necessaria authentica documenta, superius pariter indicata, non sint adiuncta, nullo modo recipiant, multoque minus ad Pontificem referant. In decretis autem, quae post Pontificium assensum ab ipsis Secretariis in consueta audientia reportatum, a Cardinali eiusdem Congr. Praefecto subscribenda erunt, suprascriptas clausulas respective apponere non praetermittant; illud etiam expresse cavendo, ut quae conceduntur indulta, a die datae ipsorum decretorum decurrere intelligantur.

24. Denique Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Metropolitanos et Episcopos omnes monemus, ut non solum ipsi statutas de residentia leges ad amussim observent, sed etiam memores sint decreti a sacra Tridentina Synodo editi *Sess. 6. cap. 1. de Reform.*, quo iubentur singuli pro virili parte in aliorum agendi rationem respective vigilare, et non residentes Romano Pontifici infra certum tempus denuntiare. Nostris quoque et Apostolicae Sedis Nuntiis hoc idem demandamus et iniungimus, ubi intra ipsorum nuntiaturae districtum aliquis Episco-

pus, seu superior Praelatus existat, qui canonicas leges hac in parte violare dignoscatur.

25. Et quia Nobis relatum est, nullibi frequentius praedictas leges ab Episcopis violari, quam in proximo Neapolitano regno, (neque vero id mirum in tanto eorumdem numero), volumus atque statuimus, ut in indultis absentiae, quae pro Episcopis praedicti regni in posterum expediri contingat, ad caeteras clausulas superius praescriptas, haec etiam addatur, ut obtenta licentia exhiberi debeat Apostolico Nuntio Neapoli commoranti, alioquin nullius roboris et momenti habeatur. Nos siquidem praedicto Nuntio earumdem praesentium tenore committimus, ut huiusmodi licentias in acta sui tribunalis referri faciat, itemque de causis, propter quas concessae fuerint, inquirat, ac tempus in iis praefinitum observet, ad hoc scilicet, ut per eum resciri possit, si quid obreptum aut subreptum fuerit in precibus, et ipsum latere nequeat, si quis praescriptos sibi limites transgrediatur, sive absque necessario Apostolicae Sedis indulto, extra tempora a Concilio permissa, longe ab ecclesia et dioecesi sua commoretur. Pro iis autem, qui, ut nobis pariter relatum fuit, dioeceses suas deserunt, et non quidem in urbem regni principem, ubi Apostolicus Nuntius moram trahit, sed in alias se conferunt eiusdem regni civitates, quin ipse Nuntius quidquam de ipsis audiat, iniungimus eidem Nuntio, ut per officiales suos atque ministros, quos in omnibus dioecesibus retinet, curet se certiorem fieri de Episcopis, quicumque a propriis dioecesibus recedunt: ut et ii, qui obtentis licentiis abutuntur, et multo magis ii, qui proprio marte se gerere praesumunt, (dum vel absque praevia licentia, praeter tempus a Concilio indultum a suis dioecesibus absunt, vel si ob aliquem inopinatum eventum ab ipsis discedere compulsi fuerint, huiusmodi licentiam, statim ac ad destinatum locum pervenerint, petere et impetrare non curant) severiorum sacrorum canonum et Apostolicarum sanctionum censurae subiiciantur.

26. Ceterum intendimus sub praesentium Literarum Nostrarum ordinatione et dispositione etiam ipsos Venerabiles Fratres Nostros sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, qui Patriarchalibus, Primatialibus, Archiepiscopalibus, et Episcopalibus ecclesiis praedictis ex concessione et dispensatione Apostolica nunc praesunt, et in futurum praeerunt, comprehendi ac comprehensos esse et fore.

27. Praesentes quoque Literas, omniaque et singula in eis contenta de subreptionis, obreptionis, aut cuiuscumque nullitatis, vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, et praesertim eiusdem sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, praemissis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, solemnitatesque et alia servanda, et adimplenda nullatenus servata et adimpleta fuerint, ac quocumque alio colore, praetextu, occasione et causa, etiam necessario exprimenda, a quoquam notari, impugnari, in ius, vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, vel aliud quodvis iuris, facti, vel gratiae remedium impetrari nullo unquam tempore posse, sed semper perpetuoque valida, firma et efficacia esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, perinde, ac si in consistorio Nostro secreto, et de eorumdem Fratrum Nostrorum consilio et unanimi consensu emanassent: sicque et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, necnon praedictae sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, et Apostolicae Sedis Nuntios, praedictamque Congregationem super residentia deputatam, et quoscumque alios quavis auctoritate et potestate fungentes nunc, et pro tempore existentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi, interpretandi, et definiendi facultate, iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

28. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, etiam in universalibus, generalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis, vel edendis, necnon, quatenus opus sit, de non tollendo iure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, statutis quoque, etiam iuratis, consuetudinibus, etiam diuturnis, et immemorabilibus, dictarum respective ecclesiarum, necnon licentiis, privilegiis, et indultis etiam Apostolicis, eisdem ecclesiis, earumque Praesulibus quomodolibet hactenus concessis, omnibusque et singulis aliis, quae praedictus Urbanus suarum

Literarum firmitati, et exsecutioni voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

29. Ut autem eaedem praesentes, et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam deducantur, et ne aliquis illorum ignorantiam praetendere possit, volumus, quod eaedem praesentes per aliquem, seu aliquos ex cursoribus Nostris ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, et in acie Campi Florae de Urbe publicentur, et earum copiae ibidem affigantur, et affixae relinquantur, quae sic publicae et affixae omnes et singulos, quos concernunt, arctent et afficiant, non secus ac si eorum unicuique personaliter intimatae et notificatae fuissent; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur in iudicio, et extra illud ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

30. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum ordinationum, Constitutionum, derogationum, praeceptorum, statutorum, et decretorum infringere, seu eidem ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1746., tertio nonas Septembris, Pontificatus Nostri anno septimo. – D. Card. Passioneus. – I. Datarius. – Visa de Curia. – I. C. Boschi. – I. B. Eugenius. – Loco ✠ plumbi. – Registrata in Secretaria Brevium. – Public. die 20. Sept. 1746.

XIV.

Benedicti XIV. Constit. Ad militantis Ecclesiae *de appellationibus et inhibitionibus concędendis vel denegandis.*

(Ad pag. 161. vol. I.)

Summarium. 1. Pontificis studium pro recto iudiciorum ecclesiasticorum ordine. Ordinariorum querelae adversus iudices superiores. – 2. Superiorum excusationes. – 3. Pontifex dissidia componere intendit ad normam canonum et Constit. Apostolicarum. – 4. Enumerat Praedecessorum sanctiones hac de re editas. – 5. Appellationes cum inhibitione concedi prohibet. In causis, quarum exsecutio a Conc. Trident. demandata est

Ordinariis, appellatione remota. – 6. A Decretis circa cultum divinum et celebrationem Missae. – 7. A Decretis circa ritus ecclesiasticos. – 8. A Decretis circa curam animarum, et Sacramentorum administrationem. – 9. A deputatione vicariorum, cum assignatione congruae, in parochialibus unitis etc. – 10. A visitatione parochialium sic unitarum, etiam exemptarum et decretis quoad cultum divinum et curam animarum. – 11. A provisionibus capien. pro meliori eccles. paroch. servitio et regimine. – 12. A correctione parochorum et a coadiutorum aut vicariorum deputatione. – 13. A translationibus beneficiorum, et decretis pro ecclesiarum instauratione. – 14. A provisionibus adversus curatos non residentes. – 15. A denegatione, suspen. aut limit. facultatis audiendi confessiones. – 16. A distinctionibus et institutionibus parochiarum. – 17. A deputatione oeconomi, indictione concursus et provisione parochiarum. – 18. A Decretis circa praedicationem verbi Dei, vel publicas lectiones. – 19. A visitatione et correctione omnium pertinentium ad curam animarum et Sacramentorum administrationem. – 20. A Decretis et provisionibus ad Monialium clausuram, earumque regimen spirituale et temporale. – 21. A visitatione dioecesis, etiam quoad monasteria, in quibus regularis observantia non vigeat, et Decretorum exsecutione. A Decretis circa vitam et honestatem clericorum etc. – 22. Ab examine instituendorum et confirmandorum in benef. eccl. – 23. A denegatione promotionis ad Ordines et a suspensione ob occultum crimen. – 24. A praefixione termini pro punitione in casibus etc. – 25. A provisionibus et poenis contra concubinarios. – 26. A privatione privilegii fori etc. – 27. Ab approbatione vel electione tituli quoad promovendos ad Ordines. – 28. A convocatione Capituli. – 29. Ab institutione et divisione distributionum quotidianarum. – 30. Ab exsecutione piarum dispositionum. – 31. A visitatione locorum piorum, collegiorum, confraternitatum etc. – 32. A Decretis super reddenda ratione administrationis bonorum fabricae aut cuiusvis loci pii. – 33. Ab examine, remotione vel suspensione Notariorum scribentium in caus. eccles. – 34. Ab erectione seminarii, praefixione taxae, unione beneficiorum, aliisque ad seminarii regimen pertinen. – 35. A Decretis super reddenda ratione administrationis gestae Sede vacante. – 36. A censuris earumque absolutionibus. – 37. Ab exsecutione eorum omnium, quorum exsecutio Ordinariis est demandata. – 38. In omnibus praemissis appellatio suspensiva concedi prohibetur, concessam vero non inhibere statuitur; cum Decreto irritante; permittitur solum recursus et appellatio in devolutivo. – 39. Excipiuntur casus particulares a iudice superiore expendendi, in quibus poterit admittere appellationem in suspensivo, sub certa forma hic praescripta. – 40. Decernuntur poenae in Notarios aliter se gerentes. – 41. Clerici saeculares et regulares exempti, in causis mercedum et miserabilium personarum, iudicem certum non

habentes in omnibus subiiciuntur Ordinariis. – 42. Causae omnes in prima instantia, exceptis privilegiatis, ab Ordinariis cognoscuntur, nec avocari possunt. – 43. Iudex *ad quem* non procedat, nisi constito de appellatione legitime interposita et in casibus a iure permissis. – 44. Quid faciendum, denegato instrumento Decreti, vel sententiae, a qua appellatum fuerit. – 45. Gravamen quoque legitime probandum. – 46. Citationes ad comparendum vel pro adeunda Signatura iustitiae, non suspendunt processum ad ulteriora. – 47. In causis privilegiatis, monitoria coram A. C. de more expediuntur; sed in causis ultra Montes requiritur speciale iudicis rescriptum. – 48. Admonitio ad iudices pro praemissorum exsecutione. – 49. Actorum visitatio et examen indicitur. – 50. Clausulae et Decreta omnes arctantia. – 51. Derogationes opportunae. – 52. Publicationis praeceptum, eiusque effectus. Exemplis auctoritas tribuitur. – 53. Sanctio Constitutionis.

Ad militantis Ecclesiae regimen nullo meritorum Nostrorum suffragio, sed imperscrutabilis consilii altitudine evocati, inter graves curas, quas assiduo pro Nostro munere sustinemus, postrema illa non est, in quam totis viribus Nobis incumbendum esse ducimus, ut graves nimium, diuturnae, nulloque unquam tempore intermissae Episcoporum, aliorumque ordinariam iurisdictionem habentium querelae adversus maiora tribunalia, atque illa etiam Nostrae Romanae Curiae, propositae, tandem compescantur.

1. Intimo siquidem animi Nostri moerore, cum in minoribus adhuc essemus, iamdiu intelleximus, plerosque locorum Ordinarios conqueri, sensim abusum irrepsisse, quod ad malitiosam petentium suggestionem, a Patriarchis, Metropolitanis, sanctae Sedis a latere Legatis, et diversis dictae Romanae Curiae iudicibus, *inhibitiones* sine delectu causae et rei, de qua agitur, examine, passim concedantur; et quamvis in more positum sit, dictas inhibitiones indebite expeditas pro causae meritis revocari et aboleri, remedium tamen inflicto vulneri non satis esse dicunt, cum interea oporteat Episcopos, aliosque inferiores iudices, in ipso causarum et iudiciorum cursu, otiosos immorari, ius suum iudicialiter asserere et vindicare, et ad continendos in officio populos gravia saepe incommoda et dispendia subire.

2. E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum iudicum responsiones audire contigit, asserentium, memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas funda-

mento, utpote ex hac unica re causam et originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiae ac subiectionis iugum erga maiora tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri.

3. Porro cum facile haec dissidia componi, et succrescentia litium semina avelli possint, si, quae a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, et Congregationum Decretis provide sancita sunt, debitae exsecutioni mandentur: Nos idcirco ad conservandam Ecclesiae disciplinam restituendamque tribunalibus formam eisdem canonicis legibus consentaneam, pro credito Nobis Apostolicae servitutis officio, opportune duximus consulendum.

4. Inhaerentes itaque Decretis eiusdem Sacri Concilii, necnon Congregationis Episcoporum et Regularium iussu et approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. Praedecessoris Nostri alias editis die 16. Octobris 1600., itemque aliis Congregationis particularis, iussu pariter et approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII., similiter Praedecessoris Nostri, promulgatis die 5. Septemb. 1626. eorumque declarationibus nuper superadditis a piae mem. Benedicto XIII. etiam Praedecessore Nostro, in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias editis et innovatis, et praesertim Constitutioni piae mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili,* sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae 1622. Nonis Februarii.

5. Districte praecipimus et mandamus, ne deinceps ab exequutione Decretorum dicti Sacr. Concilii Tridentini, in omnibus illis causis et negotiis, in quibus exsequutio huiusmodi Episcopis, et locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicae Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, *appellatione, vel inhibitione quacumque postposita,* commissa est, appellatio aliqua in tribunalibus praedictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales vel speciales, cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi, per quae dictorum Decretorum exsequutio retardetur, aut processus ad ulteriora in eadem exsequutione suspendatur aut impediatur, quoquo modo concedantur.

6. Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus et statutis tam in visitatione, quam extra, pro divino cultu conservando et augendo, et praesertim circa ea, quae ob-

servanda et evitanda sunt in celebratione Missae, aut alio quovis modo respiciunt exsequutionem Decreti Sacr. Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 8. et Sess. 22. in Decret. de obser. et evit. in celebrat. Miss.*

7. Item a Decretis cogentibus clericos tam saeculares, quam Regulares, etiam monachos et exemptos, ad publicas processiones, servata tamen forma Constitutionis s. m. Pii V., quae incipit: *Etsi mendicantium*, prout etiam a Decretis et provisionibus super praecedentia inter personas ecclesiasticas, tam saeculares, quam Regulares in eisdem processionibus, vel associatione defunctorum, delatione umbellae, et huiusmodi: necnon super observatione censurarum, etiam episcopalium, et festorum dioecesis, iuxta dispositionem eiusdem Sacri Concilii *Sess. 25. de Regular. cap. 12. et cap. 13.*

8. Item in omnibus iis, quae ad curam animarum et Sacramentorum administrationem quoquo modo pertinent, et praesertim adversus monitiones, censuras, aut alias provisiones, per quas parochi, aut alii curam animarum exercentes, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quae ad salutem necessaria sunt, iuxta Decretum Sacri Concilii *Sess. 5. de Reform. cap. 2.*

9. Item adversus deputationem vicariorum etiam perpetuorum cum assignatione congruae, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata ex dispensatione Apostolica ab aliquo obtineantur, vel quoties eadem beneficia curata cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita et annexa reperiuntur, iuxta praescriptum dicti Sacri Concilii *Sess. 7. de Reform. cap. 5. et cap. 7.* et iuxta Constitutionem s. m. Pii. V., quae incipit: *Ad exsequendum.*

10. Item adversus visitationem beneficiorum curatorum, ut supra, perpetuo unitorum, necnon quarumcumque ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus Decreta et provisiones ab Ordinario capiendas, ut, quae in eis reparatione indigent, reparentur, et cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, iuxta dispositionem S. Concilii in eadem *Sess. 7. de Reform. cap. 8. et Sess. 21. cap. 7.*

11. Item a Decretis seu Mandatis, per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati, in ecclesiis parochialibus, aut

baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum: aut etiam invitis Rectoribus, procedant ad constitutionem novarum parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem, parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda accedere non possunt, vel denique propter paupertatem, et in caeteris casibus a iure permissis, deveniant ad uniones perpetuas aliorum beneficiorum simplicium, non tamen Regularium, iuxta dispositionem S. Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 4. et 5. et Sess. 24. similiter de Reform. cap. 13.*

12. Item a deputatione coadiutorum, aut vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegato, quando illiterati et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter et scandalose vivunt, et, postquam praemoniti sunt, in sua nequitia incorrigibiles perseverant, iuxta praescriptum eiusdem Concilii in eadem *Sess. 21. de Reform. cap. 6.*

13. Item a translatione beneficiorum simplicium, etiam iurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sunt, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias, cum omnibus emolumentis et oneribus: prout etiam a decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut parochianos, sive populum, ad refectionem et instaurationem ecclesiarum parochialium, servata forma sacri Concilii *Sess. 21. cap. 7.*

14. Item a censuris, sequestratione et subtractione fructuum, aut aliis quibuscumque provisionibus, pro cogendis ad residentiam parochis, ceterisque omnibus, quibus cura animarum incumbit, iuxta Decretum eiusdem Sacri Concilii *Sess. 23. de Reform. cap. 1.*

15. Item a denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione et limitatione facultatis audiendi confessiones, respectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiam si fuerint

Regulares, pro excipiendis confessionibus saecularium, iuxta ordinationem sacri Concilii *Sess. 23. cap. 15.*, et Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, ac praecipue illam fel. rec. Clementis X., quae incipit: *Superna.*

16. Item in illis civitatibus aut locis, ubi vel parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, vel etiam nullae sunt parochiales, a divisione seu distinctione parochiarum, earumque ordinatione sive institutione in titulum perpetuum, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 24. de Reform. cap. 13.*

17. Item a deputatione vicarii, vel oeconomi, cum assignatione congruae, pro tempore, quo vacat ecclesia parochialis prout etiam ab indictione concursus, relatione examinatorum, necnon praelectione, et provisione Episcopi in eodem concursu, iuxta definitionem sacri Concilii in eadem *Sess. 24. de Reform. cap. 18.*

18. Item a mandatis, seu decretis inhibentibus praedicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoscumque, etiam exemptos, tam saeculares, quam Regulares, qui in alienis ecclesiis, quae suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, et in ecclesiis suis, aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare praesumpserint; iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 5. de Reform. cap. 2. et Sess. 24. similiter de Reform. cap. 4.* et Constitutionem piae mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili* §. *fin.* una cum declarationibus contentis in Constit. Clementis PP. X., quae incipit: *Superna.*

19. Et generaliter in omnibus iis, quae pertinent ad curam animarum, et rectam Sacramentorum administrationem, adversus visitationem, correctionem, coercitionem, et quascumque alias provisiones Episcopi dioecesani, etiam quoad exemptos, sive saeculares, sive Regulares, iuxta laudatam Constitutionem Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

20. Item adversus quascumque provisiones et decreta pro conservanda aut restituenda clausura Sanctimonialium, aut pro correctione seu punitione eorum, qui circa personas intra monasteria degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione confessariorum sive Regularium, sive saecularium,

quomodocumque exemptorum, et tam ordinariorum, quam extraordinariorum, pro excipiendis confessionibus Monialium, etiam Regularibus subiectarum. Itidemque a Decretis, vel aliis quibuscumque provisionibus cogentibus administratores, sive saeculares, sive Regulares quomodolibet exemptos, ad reddendam singulis annis rationem bonorum ad monasteria Sanctimonialium huiusmodi pertinentium, ac demum a quibuscumque Decretis super amotione capellanorum, sacristarum, et aliorum quorumcumque officialium et ministrorum, tam saecularium, quam Regularium, ipsis Monialibus, vel eorum ecclesiis inservientium, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 25. de Regular. et Monial. c. 5. c. 9. et c. 10.*, servata tamen, quoad Regulares, et exemptos forma praedictae Constitutionis rec. mem. Gregorii XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

21. Item adversus pastoralem visitationem dioecesis, et praesertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum et praeposituraruum, in quibus non viget regularis observantia, necnon beneficiorum, tam curatorum, quam non curatorum saecularium, et Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exsequutione eorum, quae in ipsa visitatione mandata, decreta, aut iudicata fuerint. Necnon similiter a quibuscumque Decretis et provisionibus, etiam extra visitationem, pro conservatione, vel reparatione ecclesiasticae disciplinae, quoad vitam, mores et honestatem quorumcumque clericorum, luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, et saecularia negotia fugienda, atque evitanda, iuxta plura Decreta dicti sacri Concilii, et praesertim *Sess. 6. de Reform. cap. 4., Sess. 13. cap. 1., Sess. 14. cap. 4., Sess. 21. cap. 8., Sess. 22. cap. 1. et cap. 8. et Sess. 24. cap. 10.*, ad formam tamen Decretorum Sac. Congr. Episcoporum de mandato s. m. Clementis VIII. editorum anno 1600.

22. Item a Decretis cogentibus praesentatos, electos, vel nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, ad quaevis ecclesiastica beneficia, ad se subiiciendum examini Ordinarii, antequam instituantur, confirmentur, vel admittantur, quemadmodum cavetur *Sess. 7. de Reform. cap. 13.*

23. Item a denegatione sacrorum Ordinum, vel adscensus ad alios maiores, prout etiam adversus suspensionem ab Ordinibus iam susceptis ob crimen occultum, sive ex informata conscientia, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 14. de Reform. cap. 1. et cap. 3. et Sess. 21. cap. 1. et Sess. 23. cap. 16.*

24. Item a praefixione termini, intra quem Regularis Episcopo non subditus, qui intra claustra monasterii degat, et extra ea ita notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, a suo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipse Episcopus certior fieri, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 25. de Regul. cap. 14.* et Constit. fel. rec. Clem. PP. VIII., quae incipit: *Suscepti muneris:* necnon adversus punitionem, et correctionem eorumdem Regul., qui circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram ipsam deliquerint, iuxta praedictam Constit. Greg. XV., quae incipit: *Inscrutabili.*

25. Item a censuris, aut aliis provisionibus contra concubinarios, et praesertim clericos etiam retinentes domi, aut extra, mulieres suspectas; iuxta praescriptum sacri Concilii *Sess. 24. de Reform. matrim. cap. 8. et Sess. 25. de Reform. cap. 14.*

26. Item adversus privationem privilegii fori, et alias provisiones contra clericos non incedentes in habitu, et tonsura, et in aliis casibus a sacro Concilio praescriptis *Sess. 14. de Reform. cap. 6. et Sess. 23. similiter cap. 6.*

27. Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione patrimonii sacri, pensionis ecclesiasticae, aut beneficii, quoad clericos promovendos ad sacros Ordines; iuxta dispositionem eiusdem Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 2.*

28. Item adversus convocationem Capituli, quam faciat Episcopus ad aliquid deliberandum, et iuxta vota ipsorum capitularium concludendum, quoties de re ad suum vel suorum commodum spectante non agatur, iuxta Decretum sacri Concilii *Sess. 25. de Reform. cap. 6.*

29. Item a mandatis, seu decretis super conversione tertiae partis fructuum et quorumcumque proventuum et obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, et officiorum, in distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes, in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones huiusmodi quotidianae, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur; iuxta Constitutionem eiusdem Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 3. et Sess. 22. similiter de Reform. c. 3.*

30. Item adversus exercitium facultatum Episcopis competentium super exsecutione omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, in casibus a iure concessis, iuxta dispositionem sacri Concilii *Sess. 22. de Reform. cap. 8.*

31. Item a visitatione hospitalium, collegiorum quorumcumque, et confraternitatum laicorum, eleemosynarum Montium pietatis, sive charitatis, et omnium piorum locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita: ac denique a cognitione et exsequutione eorum omnium, quae ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, iuxta dictum Decretum sacri Concilii *Sess. 22. de Reform. cap. 8.*

32. Item a decretis, seu mandatis cogentibus administratores tam ecclesiasticos, quam laicos, etiam exemptos, fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae, Montis pietatis, et quorumcumque piorum locorum, ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suae administrationis, nisi aliud in institutione et ordinatione talis ecclesiae, seu fabricae expresse cautum fuerit, iuxta Decreta sacri Concilii *Sess. 7. de Reform. cap. 15., Sess. 22. cap. 9. et Sess. 25. cap. 8.*

33. Item a decretis compellentibus notarios, etiam Apostolica, Imperiali aut Regia auctoritate creatos, et scribentes in causis ecclesiasticis, vel spiritualibus, ad se subiiciendum examini: eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiae, iuxta praescriptum sacri Concilii in dicta *Sess. 22. cap. 10.*

34. Item ab erectione seminarii, et taxatione quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, praebendarum, portionum, abbatiarum, et prioratuum cuiuscumque Ordinis, etiam Regularis, hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem, et beneficiorum quorumcumque, etiam regularium, etiam iurispatronatus, etiam exemptorum, etiam nullius dioecesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexorum ac quorumcumque aliorum ecclesiasticorum reddituum, seu proventuum ad fabricas ecclesiarum, confraternitates, et monasteria omnia, non tamen mendicantium, pertinentium, necnon decimarum quacumque ratione ad laicos, atque etiam milites cuiuscumque militiae, aut Ordinis, Hierosolymitano excepto, spectantium, pro eiusdem seminarii manutentione: prout etiam ab unione et applicatione aliquot beneficiorum simplicium; necnon a decretis cogentibus eos, qui scholasterias obtinent, vel quibus lectionis vel doctrinae munus est annexum, ad docendum per se ipsos, vel idoneos substitutos; et generaliter a mandatis et provisionibus, quae quoquo modo respiciunt curam, directio-

nem et administrationem seminarii, plenamque exsequutionem Decreti editi a sacro Concilio super collegio puerorum in singulis cathedralibus instituendo. *Sess. 13. de Reform. cap. 18.*

35. Item a mandatis, seu Decretis cogentibus oeconomos, Vicarios Capitulares, ad reddendam rationem administrationis per eos gestae Sede episcopali vacante, iuxta praescriptum sacri Concilii *Sess. 24. de Reform. cap. 16.*

36. Item a comminatione excommunicationis a iure latae, et a sententia excommunicationis latae ab homine, suspensionis, et interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris ecclesiasticis.

37. Et generaliter ab exsequutione aliorum quorumcumque Decretorum dicti sacri Concilii Tridentini, Episcopis atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, et in Constitutione fel. rec. Pii Papae IV., quae incipit: *Benedictus Deus.*

38. Volumus, praecipimus et mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, etiam Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, atque etiam Camerae Nostrae generali Auditore, Signaturae Justitiae Praefecto ceterisque iudicibus Romanae Curiae, eorumque vicariis et officialibus, citationes generales, vel speciales cum commissione inserta, monitoria, et alia huiusmodi cum inhibitione, per quam exsequutio Decretorum, mandatorum et provisionum huiusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur; et quatenus nunc, aut imposterum concessa fuerint, nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis impune sperni possint; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio, aut stylo concedendi inhibitiones in causis praedictis, tametsi temporarias, penitus exclusis. Nos enim citationes et monitoria, aliter quam ut praefertur, concessa, vel imposterum concedenda, nulla atque irrita declaramus, et pro nullis, atque irritis haberi volumus et mandamus: decernentes, quod adversus decreta, mandata et provisiones eiusmodi, quas vel quae ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in causis et negotiis praedictis, vel simplex dumtaxat et extraiudicialis recursus per viam supplicis libelli, ad Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices, vel respective, et iuxta causa-

rum naturam et qualitatem. Appellatio ad quos de iure, in solo devolutivo et sine retardatione, vel praeiudicio legitimae exsequutionis, recipi et admitti possit.

39. Quoniam vero in hisce ipsis negotiis et causis, in quibus inhibitiones canonicam exsequutionem impedientes, aut suspendentes, concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel iuxta eius mentem, per Apostolicas Constitutiones et Sacrarum Congregationum declarationes, aut communem Doctorum sententiam, a praefata generali regula de non concedendis inhibitionibus eisque posthabendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter, quam prudentis iudicis arbitrio secundum particulares facti circumstantias aestimari possunt: hinc Nos, ne sub eiusmodi praetextu inhibitiones, ut supra prohibitae vulgo et sine ullo delectu etiam in casibus non exceptis concedantur, statuimus et mandamus, quod in dictis causis et negotiis superius expressis Metropolitani, Patriarchae, Primates, aliique iudices praedicti, et praesertim Camerae Nostrae generalis Auditor, eiusque Locumtenentes, et Signaturae Iustitiae Praefectus, eiusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur, casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de causa exceptum esse, nihilominus literas citatorias, vel monitorias cum inhibitione huiusmodi non concedant, nisi prius ex facti circumstantiis, in supplici libello a parte recurrente clare ac dilucide exponendis, et cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit, casum illum esse de exceptis, et propterea Episcopo vel Ordinario loci inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat: tunc enim, et non alias, et postquam ipsi iudices, quorum conscientiam hac in parte oneramus, super dicto supplici libello manu sua rescripserint, quod inhibitio concedi potest, libellusque cum rescripto eiusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus et asservandus, liceat eorum notariis sive actuariis literas citatorias cum dicta inhibitione expedire, et parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adiiciatur sequens clausula: *Nos enim, attentis iuribus et supplici libello Nobis praesentatis atque in actis exhibitis, sic, ut praefertur, inhibendum esse, speciali rescripto mandavimus*; alias literae eiusmodi sine tali clausula nullam vim inhibendi habeant in casibus praedictis.

40. Et nihilominus, si notarii, sine dicto speciali rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in actis, aut sine praedicta clausula, citationes ullas aut monitoria cum inhibitione, sub quocumque praetextu seu colore, expedire ac tradere praesumpserint, etiamsi illae aut illa a iudice subscripta fuerint, poenam infamiae et perpetuae inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum, et quoad illos Camerae Nostrae generalis Auditoris, aut aliorum Romanae Curiae iudicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, et pro alia ipsi parti recurrenti, et in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis piis, arbitrio Nostro Nostrorumque Successorum destinando, applicandam, ipso facto incurrant.

41. Ad haec, similiter inhaerentes dispositioni eiusdem Sacri Concilii *Sess. 7. de Reform. cap. 14. et Sess. 14. cap. 5.* necnon etiam Decreto piae mem. Bened. XIII. hac in re promulgato inter eius additiones ad Decreta Urbani Papae VIII. in appendice ad Concilium Romanum, volumus et mandamus, quod clerici saeculares aut regulares extra monasterium degentes, quomodolibet exempti, in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum, etiamsi certum iudicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant: in aliis vero, si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam ab ipsa Sede delegatis, conveniri in prima instantia, et iure medio ad solvendum debitum cogi possint.

42. Quo vero ad personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni eiusdem Sacri Concilii *Sess. 13. de Reform. c. 1. et Sess. 22. cap. 7. et Sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis decretis generalibus Congregationis Episcoporum editis anno 1600. cum novissimis additionibus, seu declarationibus piae mem. Benedicti XIII. in appendice Concilii Romani, volumus, statuimus et mandamus, quod causae omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel alias iuxta canonicas sanctiones apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent, coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque iudicibus ecclesiasticis, etiam Nostris et Sedis Apostolicae Nuntiis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostrae generali Auditore, et caeteris

quibuslibet Curiae Nostrae iudicibus ad se avocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis, et in casibus, ut supra non prohibitis, ad ipsorum tribunalia deferantur.

43. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam, et intra legitima tempora vere appellatum fuerit, sed etiam, quod appellatum fuerit a sententia definitiva, vel habente vim definitivae, aut a gravamine, quod per definitivam sententiam reparari non possit: idque per publica documenta, quae realiter in actis exhibeantur: tunc enim, et non antea iudici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes et inhibitiones concedere liceat; dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae, aut decreti definitivi, seu vim definitivae habentis, vel damnum per definitivam irreparabile inferentis: alias citationes, inhibitiones, processus, et inde sequuta quaecumque sint ipso iure nulla, atque impune sperni possint.

44. Quod si appellans asserat, sententiae aut decreti exemplum authenticum culpa iudicis *a quo*, vel notarii sive actuarii haberi non posse, tunc saltem copiam simplicem sententiae, seu decreti in actis producere teneatur, eiusque tenori in literis inhibitorialibus inserto adiicienda erit, prout adiici volumus et mandamus, in earum corpore expressa conditio: *Quatenus tamen tenor insertus vere et in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali praesentes literae sint in tempore posteriores, alioquin nullae et irritae censeantur:* et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant, et notarii, sive actuarii, qui illas expediverint, incidant in poenas superius expressas.

45. Cum vero a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, appellatum fuerit, siquidem res sit de carceratione iam sequuta cum mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito prius de ipsa carceratione per depositionem saltem duorum testium. Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, carcere permanebit, donec aliter servatis servandis iudicatum fuerit. Ubi vero agatur de censuris iam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturae aut censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. mem. Clemente VIII., iuxta additiones et declarationes piae mem. Benedicti XIII.

46. Ulterius in praedictis causis in prima instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Iustitiae Praefecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab eius Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad praedictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturam expeditas censeri, non autem ad retardandam exsequutionem vel suspendendum processum ad ulteriora.

47. Denique quoad causas privilegiatas, quae, ut praefertur, in prima etiam instantia apud Nos et Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed monitoria in illis coram Camerae Nostrae generali Auditore, vel eius Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse iuxta praescriptum Apostolicarum Constitutionum, et praesertim fel. rec. Pauli V., Praedecessoris Nostri, in Constitutione, quae incipit: *Universi*, necnon praedictarum additionum et declarationum Benedicti XIII., exceptis tamen monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala et litigantium incommoda, volumus omnino renovari et observari stylum, qui olim in eo tribunali vigebat, idest, quod ad eiusmodi monitoriorum expeditionem non aliter procedatur, quam oblato prius ipsi Auditori, vel alteri ex eius Locumtenentibus, coram quo monitorium expediendum erit, supplici libello universam facti speciem clare et dilucide continente, et praevio etiam eiusdem iudicis rescripto, quod monitorium expediri possit, penes causae notarium vel actuarium diligenter custodiendo. Et si aliter, quam praefertur, et absque dicto supplici libello ac speciali iudicis rescripto, dicta monitoria ultra montes intimanda expedita fuerint, notarius sive actuarius et substitutus, qui illa expediverit, ipso facto incidat in poenas superius expressas.

48. Omnia et singula hactenus a Nobis disposita ad rectam udiciorum methodum restituendam, eo impensius ab omnibus exacte custodiri et observari mandamus, quo clarius constat, hac Nostra Constitutione non novas fieri, sed antiquas instaurari leges provide sapienterque institutas, et temporum iniuria ac hominum fraude obsoletas, et novo Pontificiae auctoritatis praesidio communiri ordinem procedendi in causis, iamdiu praescriptum superioribus et inferioribus tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo,

Congregationum decretis et Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis. Ideoque si ipsi iudices, omni semoto, ut par est, humanae cupiditatis affectu, prae oculis solum habuerint, quae tam maturo tamque saluberrimo sunt constituta et ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet, quae sui, et quae alieni ministerii partes esse debeant in admittendis ac respective reiiciendis causarum appellationibus et inhibitionibus: atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita iurisdictionis et auctoritatis praerogativa servetur, sed etiam ut, exstinctis prorsus ac radicitus avulsis omnium contentionum et discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo tribunalia socientur, et inter illa recte agendi disciplina christiano populo utilis et necessaria restituatur.

49. Demum, ut, exemplo Nostro, omnes praemissorum exsecutioni caute et pro viribus incumbant, et ut praesertim notariis, tabellionibus et eorum actuariis et substitutis omnis contraveniendi ansa praecidatur, volumus et expresse mandamus, processus et acta causarum in Nostra Romana Curia coram quovis iudice pendentium, ac inhibitiones, appellationes, monitoria, aliasque citatoriales et inhibitoriales literas, quas ab iisdem notariis eorumque substitutis, scientibus vel insciis iudicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo cognosci et examinari per fide dignas personas a Nobis opportune deputandas; quae si deprehenderint, easdem inhibitiones contra huius Constitutionis formam, et ad subterfugienda Ordinariorum et Episcoporum iudicia, quaesito gravaminis colore, fuisse perperam concessas et expeditas, in eosdem notarios et substitutos canonicis poenis aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpae animadvertant.

50. Decernentes has praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae Cardinales, etiam de latere Legatos, et eiusdem Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpre-

tandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

51. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, ac usibus et stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, praefatis, aliisque quibuslibet iudicibus, curiis, tribunalibus et personis, etiam quantumvis sublimibus, et specialissima mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries iteratis, et quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

52. Ut autem eaedem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, necnon Cancellariae Apostolicae, Curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: ipsarum autem Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesia-

stica dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

53. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostri decreti, constitutionis, declarationis, annullationis, admonitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno II.– P. Card. Pro–Datarius. – D. Card. Passioneus. – Visa de Curia. – N. Antonellus. I. B. Eugenius. – Registrata in Secretaria Brevium. – Publicata die 18. Aprilis eiusdem anni.

XV.

Innocentii XII. Constit. Speculatores *de ordinandis propriis subditis, vel alienis; quae requirantur et quae cavenda sint, ut Episcopus proprium vel alienum subditum ordinare valeat.*

(Ad pag. 171. vol. I.)

Summarium. 1. Pontifex nihil magis intendit, quam ut ordinandi strenui operarii evadant in Ecclesia Dei. Itaque indulta extra tempora et super interstitiis parcius concedere sibi proponit. Per haec indulta non relaxatur disciplina de non ordinandis titulo patrimonii, nisi ob necessitatem et commoditatem ecclesiae. Nec sublatum censetur Episcoporum ordinantium arbitrium circa eorumdem indultorum exsecutionem. Earumdem facultatum termini religiose servari debent. – 2. Dolenter agnovit Pontifex, alicubi ab Episcopis ordinari subditos alienos sine ipsorum Episcoporum commendatitiis et dimissoriis. – 3. Ad hosce abusus de medio tollendos Pontifex statuit atque decernit, nulli Episcopo licere subditum alienum ad tonsuram promovere sub praetextu cuiusque beneplaciti assequendi. Item clericum iam a suo Episcopo promotum non posse ab alio Episcopo ad ulteriores Ordines promoveri ratione beneficii sine testimonialibus Episcopi tam originis, quam domicilii. – 4. Ut quis ordinari valeat ratione beneficii, hoc debet esse ad sustentationem sufficiens iuxta taxam synodalem vel morem regionis; quin liceat beneficii insufficientiam cum patrimonio supplere; et Episcopus de literis testimonialibus et reditu beneficii mentionem faciat. – 5. Subditus ratione originis, qui alicubi naturaliter, non ex accidenti ortus est: siquis in loco, ubi ex

accidenti ortus est, moram traxerit ita ut impedimentum canonicum contrahere potuerit, literas testimoniales Ordinarii loci eiusdem exhibeat. Si pater in loco originis filii domicilium statuerit, patris non origo, sed domicilium attendendum est. – 6. Subditus ratione domicilii ille dicitur, qui aliquo in loco per decennium inhabitans, vel maiorem bonorum partem transferens, ibique considerabile tempus commorans animum ibidem permanendi demonstret, ac iureiurando affirmet. Qui a loco originis demigraverit aetate, qua impedimento contrahendo aptus esset, testimoniales Episcopi originarii exhibeat. – 7. Nullus Episcopus aliquem ex titulo familiaritatis ordinet sine testimonialibus Episcopi originis et domicilii, et nonnisi integro completo actualis servitii triennio, ac beneficio intra mensem ab ordinatione collato. – 8. Episcopus ordinans subditos suos, vel alienos examinare eos possit tum circa scientiam, tum circa servatam huiusce Constitutionis formam; aliter suspendendi a collatis Ordinibus facultatem habeat. – 9. Si quis contra hanc Constitutionem ire praesumpserit, ordinans a collatione Ordinum per annum, ordinatus ab exercitio Ordinum susceptorum arbitrio proprii Ordinarii eo ipso suspensus sit, aliisque poenis subiaceat.

1. Speculatores domus Israel, quae est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam constituti, eo potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis pastoralis vigilantiae Nostrae studia convertenda esse duximus, ut, qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut praeesse valeant corrigendis, ac in quos tamquam in speculum reliqui oculos coniiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne possint Dominica Sacramenta tractare ac aedificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate et iustitia per ordinatissimos ecclesiasticae militiae gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie et fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad sacerdotium assumi, sacrasque ordinationes iuxta priscum Ecclesiae morem, praescriptis a iure temporibus, orationi et ieiunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros Ordines extra tempora huiusmodi, et interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro Nobis proposuimus adhibendam rationem, qua videlicet servata ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae, sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur, ne unquam heri sacrilegi hodie sacerdo-

tes, heri profani hodie sacrorum antistites, veteres vitio virtute rudes et recentes, discipuli simul ac magistri pietatis creentur; sed ii tantum iuxta constitutas a maioribus leges ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum saecularem diuturna conversatione inter clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quae postmodum alios docere tenentur.

Ceterum per ea ipsa indulta, quae super praemissis parcius quidem, ac ex certis tantum et magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri generalis Tridentini Concilii decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum ecclesiarum assumendos iudicaverint, praescribunt, disciplinam nequaquam relaxatam intelligi, quinimmo nec unquam ad indulta huiusmodi exsequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum exsecutionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, iuxta Apostoli monitum nemini cito manus imponendas esse, probe norunt, sibi et universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere praeripi passuros, quae vita probata dumtaxat acciperè promeretur.

Omnes insuper et singulos cuiuscumque tandem gradus, Ordinis et dignitatis fuerint, quibus ex huius Sanctae Sedis gratia sacros Ordines praefatos extra eadem tempora conferendi vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse iudicii oporteat, serio monitos voluimus, ut praescriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eos cuiusvis consuetudinis aut exempli praetextu ullatenus transgrediantur.

2. Verum, quo impensius Apostolicae gubernationis curam et cogitationes in haec intendimus, eo maiori cum animi Nostri dolore ex quamplurium Venerabilium Fratrum Nostrorum, Archiepiscoporum et Episcoporum, in diversis regionibus existentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in dies

crescente, qui propriae salutis immemores clericales Ordines sibi forsan a propriis Praesulibus denegatos, seu quos aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas, quae ad ipsos non pertinent, oves, in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Praelatorum commeatu, hoc est, dimissoriis, commendatitiisve eorum literis destituti, quin imo eis insciis et saepe etiam invitis, sub minus legitimis beneficii ecclesiastici, originis, domicilii, seu etiam familiaritatis ac continuae ordinantium Episcoporum commensalitatis, quaesitis titulis, in sacrarum legum fraudem et contemptum illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, et nihilominus tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi consciscunt, Deoque minime placentes, et tamen placare velle praesumentes non modo eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret.

3. Hinc est, quod Nos ex commissae Nobis divinitus Apostolicae servitutis munere, abusus, fraudes ac scandala huiusmodi penitus et omnino e medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantum Nobis ex alto conceditur, compescere et reprimere volentes, necnon fel. rec. Urbani VIII. Constit. contra male ordinantes et male ordinatos, quae incipit *Secretis*, aliorumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus et ordinationibus inhaerentes, illasque quoad ea, quae praesentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Conc. Trid. interpretum, qui, quaecumque antehac super praemissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes seu responsa ad earumdem praesentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu-proprio et ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem, totiusque christiani populi aedificationem hac generali Nostra et perpetuo valitura Constitutione decernimus et declaramus:

Nulli Episcopo seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere externum quempiam ac sibi ratione originis seu domicilii iuxta modum inferius declarandum legitime contracti non subditum ad clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a patronis iam praesentatus seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expressa adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur; praeterea clericum, qui legitime iam a proprio Episcopo ad eamdem clericalem tonsuram, seu etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cuiuscumque beneficii in illius dioecesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales literas proprii Episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, aetate, moribus et vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius curiae conservandas exhibuerit.

4. Licet vero clericus ratione cuiusvis beneficii in aliena dioecesi obtenti subiici dicatur iurisdictioni illius Episcopi, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de cetero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi beneficium praedictum eius sit reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, sive iuxta taxam synodalem, sive ea deficiente, iuxta morem regionis, pro promovendis ad sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem beneficii cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis dioecesi obtineret: ac Episcopus sic ordinans, tam de praedictis testimonialibus literis, quam de reditu beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit.

5. Ceterum subditus ratione originis is tantum sit ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea dioecesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae seu permanentiae eius patris in illo loco, quo casu nullatenus eiusmodi fortuita

nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicuti praemittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci literas testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas praesentare teneatur.

At si pater alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de iure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut praefertur, contractum pro ordinatione eiusdem filii attendi debeat.

6. Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmet.

Si quis tamen a propriae originis loco in ea aetate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suae originis testimoniales literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum literis facienda erit.

7. Ad haec nullus Episcopus alienae dioecesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros seu minores Ordines vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare praesumat absque eius proprii originis scilicet, seu domicilii Praelati testimonialibus literis, ut supra, et nisi ad praescriptum Concilii Tridentini praefati *Sess. 23. cap. 9. de Reformat.* familiarem praedictum per integrum et completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit, beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, iuxta modum superius praefinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est, saltem intra terminum unius mensis a die factae ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in ordinationis huiusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac literarum praedictarum mentionem facere teneatur.

8. Porro, ut quicumque fraudibus aditus omnino praecludatur, volumus et Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti *Sess. 14. c. 3. de Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere ac diligenter perquirere, an quoad illos praesentis Constitutionis forma et dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis beneviso ad docendum de eiusmodi adimplemento, ita ut, quos eo termino elapso id minime praestitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita et quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in altari aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

9. Ita vero praemissa omnia et singula perpetuo ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, ut, si quid in iisdem praemissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subiaceat.

... 4. Novemb. 1694.

XVI.

Formula literarum dimissorialium.

(Ad pag. 172. vol. I.)

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Tibi dilecto Nobis in Christo N. de loco N. Nostrae dioecesis, legitimis natalibus procreato, in acolythatus Ordine et aetate legitima viginti duorum inceptorum constituto, morumque probitate et scientia ornato, in ecclesia N. parochiali ex praescripto sacri Concilii Trid. proclamato, ab examinatoribus Nostris deputatis idoneo reperto et approbato, aliisque a iure requisitis praedito, nullaque censura ecclesiastica, aut alio canonico impedimento (quod sciamus) innodato, ut ab Illustrissimo et Reverendissimo D. N., Episcopo N., in propria dioecesi Pontificalia exercente, statutis a

iure temporibus, ad sacrum subdiaconatus Ordinem, ad titulum tui sufficientis patrimonii, de quo legitime in Nostra curia constare fecisti (ad quem titulum te admittimus pro necessitate ecclesiae N.) promoveri possis et valeas, attenta Nostra absentia a dioecesi, facultatem in Domino concedimus et impertimur. In quorum etc. Datum etc.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli. *N. Secretarius.*

XVII.

Formula literarum testimonialium.

(Ad pag. 172. vol. I.)

N. Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus N.

Per praesentes cunctis indubiam fidem facimus atque testamur, dilectum in Christo N. (qui ratione originis huic Nostrae iurisdictioni noscitur subiectus) pro tempore, quo in loco N. et in quo ex legitimo matrimonio natus, educatus et commoratus fuit, suae probitatis specimen dedisse, *bonaque fama, vita ac moribus praeditum* fuisse, et ex hac Nostra dioecesi in aetate annorum... *nullo delicto, quod infamiam irroget, patrato,* nullaque ecclesiastica censura, aut alio canonico impedimento (quod sciamus) innodatum discessisse, quominus ad minores seu maiores sacros Ordines ab Illustrissimo et Reverendissimo D., Episcopo N., ad formam praescriptam Constitutionis s. m. Innoc. XII. *Speculatores,* promoveri possit. In quorum fidem has testimoniales literas, *manu Nostra subscriptas,* expediri iussimus. Datum etc.

N. Episcopus N.

Loco ✠ Sigilli. *N. Cancellarius Episcopalis.*

XVIII.

Formula literarum commendatitiarum.

(Ad pag. 172. vol. I.)

N. Episcopus N.

Dilecto etc. Cum ad limina Apostolorum Petri et Pauli visitanda, et alia tua honesta negotia peragenda Romam adire cupias, et ea propter *Nostram licentiam* requisivisti, grati animi Nostri signa indubia ostendere volentes, omnibus ubique, ad quos

te pervenire contigerit, *per praesentes testamur* et notum facimus, te esse sacerdotem saecularem *optimis moribus imbutum, christianisque virtutibus praeditum,* Missae sacrificium publice celebrare, et ex civitate *(vel dioecesi)* te abire nulla ecclesiastica censura, neque alio canonico impedimento aut poena (quod sciamus) irretitum, quare omnibus in Christo PP. Illustrissimis et Reverendissimis Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, Prioribus, Vicariis, ceterisque ecclesiarum ministris et officialibus, ad quos declinabis, quantum in Domino possumus, te pro commendato damus: rogantes eos, ut ad sacra facienda personam tuam recipiant, Missamque et alia divina officia celebrare permittant, et in ceteris tueantur. In quorum etc. Datum etc.

N. Episcopus N.

N. Cancellarius Episcopalis.

XIX.

Bened. XIV. Constitutio Impositi Nobis *de ordinatione Regularium.*

(Ad pag. 201. vol. I.)

Summarium. 1. Exordium. – 2. Vetus controversia de ordinatione Regularium; rationes pro Episcopis dioecesanis; item pro Regularibus. – 3. Privilegia Regularium per Greg. XIII. redacta ad terminos iuris. Decretum eiusdem de ordinationibus. – 4. Quod a Sixto V. confirmatur ac declaratur. – 5. Tum etiam latius a Clem. VIII. – 6. Controversiae utrimque redintegrantur. – 7. Dimissoriae Ordinariorum originis non sunt requirendae. – 8. De privilegiis Regularium iudicum sub Innoc. XIII. Quaestionis nodus. Quaestio ab Innoc. resolvitur. Particula ipsius Literarum refertur. – 9. Transgressiones ex legum ignorantia et prava interpretatione. Poenae, quas inobedientes incurrunt. – 10. Pontifex absolvit transgressores quoad praeterita. – 11. Confirmat sanctiones sub poenis ibidem et in iure statutis. – 12. Mandat imposterum exhiberi documenta super requisitis in decreto Clem. VIII. Episcopi non arctantur privilegiis Regularium de Ordinibus suscipiendis extra tempora. – 13. Privilegia suscipiendi Ordines a quocumque an et quibus suffragentur. Quid observandum in eorum usu. – 14. Adhortatio Pontificis ad sinceram animorum coniunctionem. – 15. Et mutuam deferentiam fovendam et conservandam. – 16. Clausulae praeservativae. – 17. Aliter iudicari prohibetur. – 18. Contrariis plenissime derogatur. – 19. Vis et auctoritas promulgationis. – 20. Transumptis fides habenda. – 21. Sanctio poenalis.

1. Impositi Nobis licet immerentibus Apostolici ministerii ratio postulat, ut ad tuendum ecclesiasticae disciplinae vigorem non

modo novas interdum leges provide constituamus, verum etiam veteres a Praedecessoribus Nostris sapienter statutas, si quidem fallacium rationum praesidio debitis fraudenter effectibus, novis et invincibilibus sanctionibus communiamus; si vero earum claritas pravis et captiosis interpretationibus involvi et obumbrari dignoscatur, easdem perspicuis apertisque declarationibus in propria luce collocemus.

2. Sane quae olim de ordinationibus Regularium controversia viguit, an scilicet Regulares a quocumque catholico Antistite indistincte ordinari possent, an vero id iuris privative pertineret ad Episcopum illius dioecesis, intra quam sita est religiosa domus, quam Regularis ad Ordines promovendus inhabitat, providis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, Constitutionibus et declarationibus iamdudum sublata fuit. In qua quidem controversia Episcopi locorum Ordinarii iura sua fundantes in generalibus canonum statutis, et in ipsis exemptionum privilegiis, quae Regularibus indulta sunt, aiebant, ipsorum ordinationes, utpote dioecesanis Episcopis expresse reservatas, neque spectare posse ad Ordinarios eorum originis, quam Regulares a se abdicant, dum saeculo nuntium remittunt, neque porro ad Ordinarios beneficii, quoniam ipsi ad titulum beneficii non promoventur; proindeque unice spectare ad Episcopos Ordinarios eorum domicilii, nimirum illius dioecesis ac loci, in quo ipsi Ordinarii commorantur. Contra vero Regulares Apostolicis privilegiis innixi, quae certis Ordinibus recentius elargita, ac deinceps per viam communicationis ad omnes extensa fuerant, licitum sibi esse contendebant, sacros Ordines a quocumque catholico Antistite, iuxta eorum privilegiorum tenorem, pro arbitrio suscipere.

3. Verum quum felicis recordationis Praedecessor Noster Gregorius Papa XIII. per suam Apostolicam Constitutionem, quae incipit *In tanta rerum*, datam apud Sanctum Petrum anno Incarnationis 1583. kalendis Martii, iustis gravibusque de causis, alteram Constitutionem sui Nostrique pariter Praedecessoris S. Pii Papae V., cuius initium est *Etsi mendicantium*, ad iuris communis et sacri Concilii Tridentini terminos reduxisset, eodem quoque anno in causa Monachorum Ordinis Carthusiani decretum edidit, quo ipsos ab Episcopis dioecesum, in quibus eorum monasteria respectiva sita sunt, vel nonnisi de istorum licentia, ab aliis quibusque Episcopis ordinandos esse declaravit; quemadmodum le-

gitur *lib. 1.* decretorum Congregationis Concilii *pag. 75. a tergo dub.: An nostri ordinandi obligentur habere expressam licentiam Ordinarii, in cuius dioecesi sunt, pro Ordinibus conferendis ab Episcopo alterius dioecesis? Sanctissimus Dominus Noster etiam ex sententia S. Congregationis Concilii declaravit, obligari.*

4. Contigit autem, sub illius Successore Sixto Papa V. eamdem quaestionem retractari, instante universo Ordine Fratrum Praedicatorum. Qua de re idem Praedecessor, post maturum causae totius examen in praefata Congregatione Concilii habitum, constituit, licere Superioribus Regularibus literas dimissoriales concedere suis respective subditis ad Ordines suscipiendos, sed eas tamen dioecesano dumtaxat Episcopo directas, nec alteri unquam, nisi quum forte is a dioecesi abfuerit, aut, quatenus in dioecesi extiterit, clericorum tamen ordinationem non sit habiturus. Ita relatum habetur *lib. 4.* praedictorum decretorum *pag. 108.: Sanctissimus Dominus Noster Xistus V., ex sententia Congregationis respondit, Regulares posse concedere dimissorias ad Episcopum dioecesanum, eoque absente, vel etiam praesente et ordinationem non tenente, ad quemcumque, dummodo ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam.*

5. Demum a sanctae memoriae Praedecessore quoque Nostro Clemente Papa VIII., ad huiusmodi controversias perpetuo exstinguendas, sequens decretum editum fuit: *De mandato Sanctissimi Domini Nostri Clementis divina providentia Papae VIII. tenore praesentium mandatur omnibus et singulis quorumcumque Regularium Superioribus, ut de cetero observent et observari faciant ea, quae in decreto Sacrae Congregationis Concilii continentur, cuius tenor est talis: Congregatio Concilii censuit, Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, literas dimissorias concedere, ad Episcopum tamen dioecesanum, nempe illius monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, Regularis positus fuerit; et, si dioecesanus abfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum: dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam, et dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus dioecesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus ordinationes. Verum, cum a Superioribus Regularibus, Episcopo dioecesano absente, vel ordinationes non habente, literae dimissoriae*

dabuntur, in eis utique huiusmodi causam absentiae dioecesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum, exprimendam esse. Quod qui non fecerint, officii et dignitatis, seu administrationis ac vocis activae et passivae privationis, ac alias arbitrio Sanctissimi Domini Nostri Papae reservatas poenas incurrant. In quorum fidem etc. Datum Romae die 15. mensis Martii 1596.

6. Hoc emanato Pontificio decreto, eoque tam claris verbis concepto, iure sperandum videbatur, huius generis lites non amplius auditum iri; sed contra accidit, dum ex una parte nonnulli Episcopi ultra montes constituti contendere coeperunt, necessarias esse Regularibus dimissorias etiam Ordinariorum eorum originis, quo possent ab Episcopis aliorum locorum ad sacros Ordines promoveri; ex altera vero Regulares, obtendentes, in praefato Clementis VIII. decreto derogatum non fuisse Apostolicis privilegiis, quae eorum Ordinibus, sive directe, sive per communicationem indulta fuerant, ut scilicet a quocumque catholico Antistite ordinari possent, huiusmodi decreti vim et observantiam declinare se posse putarunt.

7. Verum, quod attinet ad Episcopos, ipsa Congregatio Concilii die 28. Februarii anni 1654., ut notatum reperitur *libro 19.* ipsius decretorum *pag. 316.*, ita rescripsit: *Regulares volentes se promoveri ad Ordines, non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propriae originis, sed sufficere, ut observent formam praescriptam in decreto san. mem. Clementis VIII.* Quod etiam amplissime confirmatum fuit in alio decreto edito die 17. Martii anni 1674., decretorum *libro 28. pag. 261. et sequentibus.*

8. Quod vero spectat ad Regulares, quum eorum praesumptum ius, una cum rationibus ab ipsis plenissime deductis, in quadam Congregatione particulari nonnullorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a felicis recordationis Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII. deputata, cui Nos in minoribus tunc existentes Nostram qualemcumque operam, pro demandato Nobis Secretarii munere, contulimus, diligenter expensum et examinatum fuisset, cumque ad huiusmodi quaestionem definiendam, id potissimnm visum esset in iure statuendum, an ad effectum eximendi Regulares a praefati decreti Clementini observantia, sufficeret, quod privilegia suscipiendi Ordines a quocumque, ipsis concessa fuissent post Concilium Tridentinum, a quo huiusmodi antiqua privilegia abrogata fuisse satis constat, an vero oporteret, eadem

concessa fuisse post ipsum Clementis Praedecessoris decretum; ac praeterea an huiusmodi privilegia aeque suffragarentur iis, ad quos per viam communicationis extensa dicerentur, ac iis, quibus directe et expresse indulta fuerunt, idem Innocentius Praedecessor, audito praefatae Congregationis particularis consilio, decrevit, satis esse, ad supradictum effectum, quod huiusmodi privilegia post Concilium Tridentinum concessa fuerint, quamvis praefato Clementino decreto posteriora non sint, dummodo tamen directe concessa fuisse constet, non vero in communicationem privilegiorum de uno in alium Ordinem derivata asserantur; quemadmodum ipse Innocentius in suis Apostolicis Literis incipientibus *Apostolici ministerii*, die 30. Maii anni 1723. datis, ac deinde confirmatis a sanctae memoriae Praedecessore pariter Nostro Benedicto Papa XIII. per alias similes Literas datas die 23. Septembris anni 1724., quarum initium est *In supremo*, aperte declaravit his verbis: « Quoties ergo Regulares ad Ordines erunt promovendi, » servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii » Tridentini interpretum a piae memoriae Clemente VIII. Prae- » decessore etiam Nostro confirmatum die 15. Martii 1596., quo » sancitur, ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro » eorumdem Ordinum susceptione, a suis Superioribus esse diri- » gendas, praeterquam in casu, quo Dioecesanus a dioecesi abesset » vel ordinationes non esset habiturus, quo etiam casu in literis » dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat » mentio, vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia, vel de » illa alia causa, videlicet quod ordinationes non sit habiturus: » exceptis tamen, quoad praedicta, Regularibus illis, quibus per » speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Triden- » tinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite Or- » dines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes » innovare intendimus. »

9. Porro si aliqui vigilias laboresque suos, non tam in extricandis inutilibus quaestionibus, vel forte in rebus profanis et ab ecclesiastica professione alienis addiscendis consumerent, quam in studio sacrarum legum, quibus ecclesiastica disciplina continetur, utiliter collocarent, ac nisi aliquibus arbitrium pro lege, praeiudicata opinio pro ratione, atque in legum etiam clarissimarum interpretatione suus cuique sensus pro auctoritate esset, nec olim Nobis in Nostro Bononiensi archiepiscopatu residentibus

contigisset, ut Regularis quidam ex ea urbe repente digressus, suique Superioris dimissorias ad Episcopum finitimum deferens, tametsi nullo pacto docere posset, nos clericorum ordinationem non habituros, sacrum presbyteratus Ordinem susciperet, nullaque interiecta mora Bononiam ad primum Sacrificium non sine pompa offerendum reverteretur; quam tamen intolerandam audaciam Nos ad canonicarum sanctionum rigorem exigere, atque etiam servata pastorali mansuetudine, vindicare non praetermisimus, ut videre est in monito pastorali a Nobis tunc edito, *inter impress. monit. 3. lib. 11.;* neque rursus, ex quo ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, assumpti fuimus, plurium Episcoporum Fratrum Nostrorum querelae ad Apostolatum Nostrum delatae fuissent, qui nimirum non sine magno animi Nostri dolore, apud Nos expostulare non desinunt, a pluribus saepe Regularibus in eorum dioecesibus respective commorantibus similia perpetrari, in spretum ecclesiasticarum legum atque poenalium sanctionum, quibus ipso facto adstringuntur (siquidem in authographo supra relati Clementini decreti distincte legitur *incurrant;* non autem, quod falso nonnemo asseruit, *incurrent*), dum scilicet Superiores regulares, qui subditis suis non ad praescriptum eiusdem decreti dimissorias literas concedunt, suorum officiorum ac dignitatum et vocis activae atque passivae amissione mulctantur, ordinati vero suspensionis poenam atque etiam, si in suscepto Ordine ministraverint, irregularitatem incurrunt; ac denique Antistites, qui ipsis manus imponunt, non facile effugiunt canonicas poenas adversus eos propositas, qui alienos subditos absque sufficientibus dimissoriis ordinare praesumunt. Qui etiam plerumque culpa non vacant in eo, quod, quum ex usu rerum intelligere possint, complures Regulares non alia de causa, proprio domicilio relicto, iter arripere, quam ut se subducant examini Episcopi dioecesani, cuius hac in re iurisdictionem, aut nimium rigorem perhorrescunt, aliumque inveniant, qui vel nullo vel admodum levi praemisso examine, Ordines ipsis impertiatur: quoties huiusmodi facilitate erga illos utuntur, toties adversus consultissima Tridentinae Synodi decreta delinquunt. Ea siquidem *Sess. 23. cap. 12. de Reform.* sic statuit: « Regulares quoque, nec in minori aetate, nec sine » diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscumque » quoad hoc penitus exclusis. »

10. Nos autem consueta Sedis Apostolicae clementia uti vo-

lentes, abstinemus a designandis aut nominandis hoc loco Regularibus, de quorum excessibus in hoc rerum genere graves Episcoporum querimoniae ad Nos delatae fuerunt. Quaecumque etiam hac in re inordinate ad hunc diem admissa sunt, a districtioris iudicii inquisitione liberamus: quin immo omnes et singulos in hoc delinquentes, sive Superiores regulares, sive Regulares ad Ordines promotos, sive Antistites, qui eos ordinaverint, a quibuscumque sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis, quas hac de causa respective antehac incurrerint, quibusque innodati forsan existant, auctoritatis Nostrae plenitudine ac de Apostolica benignitate, tenore praesentium absolvimus et absolutos esse censeri decernimus, et cum iisdem super quacumque irregularitate per eos, forsan causa et occasione praemissis quomodolibet contracta ad omnes etiam sacros et presbyteratus Ordines, eorumque exercitium, atque ad omnia et singula eorum respective Religionum munera, pari auctoritatis plenitudine dispensamus. De cetero tamen infrascriptas leges in posterum omnino observandas, motuproprio et ex certa scientia Nostra ac matura deliberatione praemissa, edicimus atque statuimus.

11. Quaecumque nimirum hac in re a praefatis Praedecessoribus Nostris Gregorio XIII., Sixto V., Clemente VIII. et Innocentio XIII. in supra citatis ipsorum literis seu decretis statuta, mandata, definita atque sancita fuerunt, ea omnia et singula motu, scientia et potestatis plenitudine praefatis, earumdem praesentium serie confirmamus, roboramus et innovamus, atque ab omnibus ad quos spectat, seu quandocumque in futurum spectabit, inviolabiliter observari praecipimus et iubemus, trangressores quoque omnibus poenis in praemissis contentis, aliisque per Apostolicas Constitutiones et per sacros canones latis atque statutis, cum effectu subiacere, easque ipso facto et absque aliqua declaratione incurrere decernimus: Superiores nimirum regulares eas omnes, quas, ut praefertur, supradictus Clemens VIII. Praedecessor constituit et sanxit; Regulares autem, qui contra illius decreti praescriptum promoti fuerint, et Antistites eos promoventes, canonicas poenas atque censuras, quae adversus sacram ordinationem suscipientes ab Episcopo, qui proprius ad hunc effectum dici et haberi nequit, necnon adversus Episcopos alienos subditos indebite ordinantes, in iure canonico et in Constitutionibus Apostolicis statutae habentur.

12. Praeterea volumus atque decernimus, ut Superiorum regularium dimissoriae, quae ideo ad alium Antistitem directae fuerint, propterea quod Episcopus dioecesanus extra dioecesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint roboris et momenti, nisi illis iuncta fuerit authentica attestatio Vicarii generalis vel Cancellarii, aut secretarii eiusdem Episcopi dioecesani, ex qua constet, vel ipsum a dioecesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto: hoc enim expresse declarari opus est, ad excludendam nonnullorum arrogantiam, qui, quum privilegio gaudeant suscipiendi Ordines extra tempora, existimarunt, Episcopos ipsorum voluntati adeo addictos esse debere, ut, si quandocumque ipsis placuisset ad Ordines promoveri, non statim, ipsoque die ab ipsis designato, voti compotes fierent, iam dici posset, ordinationem ab Episcopo non haberi, proindeque alius Episcopus pro suscipiendis ordinibus adeundus esset. Quod si aliquis Antistes Regularem virum, in sua dioecesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius Superioris dimissorialibus literis contentus, sine adiuncta praefata attestatione in forma probanti, ad Ordines promovere praesumpserit, decernimus et declaramus, hunc ipso facto incurrere in poenas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint.

13. Quemadmodum vero eorum Ordinum Regularium privilegia firma et rata esse volumus, quibus ab Apostolica Sede reperitur indultum, ut eorum alumni a quolibet catholico Antistite ipsius Sedis gratiam et communionem habente ordinari valeant, dummodo huiusmodi privilegia post Tridentinum Concilium et ipsis Ordinibus nominatim atque directe, non autem per communicationem concessa fuerint, ita porro omnia similia privilegia, quae aliis Ordinibus ante praefatum Concilium Tridentinum, ab ipsa etiam Apostolica Sede et sub quibuscumque tenoribus et formis, indulta sint, vel etiam post ipsum Concilium non ipsis directe concessa, sed per communicationem ad eos extensa esse dicantur, iisdem auctoritate et tenore nulla et irrita omnique vigore ac robore ad effectum, de quo agitur, penitus destituta et vacua esse volumus et statuimus, decernentes huiusmodi privilegia nequaquam post Concilium Tridentinum indulta censeri, nisi vel post ipsius Concilii confirmationem reipsa fuerint concessa, vel

quatenus antea concessa et posterius confirmata esse asserantur, huiusmodi confirmationes *in forma specifica* cum literali veteris indulti insertione eiusque expressa innovatione factae dignoscantur; ac declarantes alterius generis confirmationes, quae *in forma communi* nuncupantur, nemini ad praemissum effectum ullo pacto suffragari. Quod vero spectat ad eorumdem privilegiorum usum et exercitium, monendi sunt ii, quibus eadem, iuxta praemissa, pleno iure competere dignoscuntur, ut non sine iusta causa, nec extra debitas circumstantias, pro libito ipsis utantur, minime vero ad ostentandam dumtaxat ipsorum privilegiorum singularitatem, quemadmodum aliquibus in more positum esse novimus, qui pridie illius diei, quo ab Episcopo dioecesano clericorum ordinationes publice habendae sunt, ad alterius Episcopi dioecesim consulto migrant, moxque suscepto ibidem ordinationis munere, ad pristinum domicilium redeunt: idque se facere aiunt, ut iurium suorum indemnitati consulant, quasi vero Apostolica privilegia nonnisi cum aperto Episcopi dioecesani contemptu, suam vim et robur habitura forent.

14. Denique tam venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos, quam dilectos filios omnium regularium Ordinum professores, quam maximo possumus Apostolicae voluntatis studio, per misericordiam Dei Nostri et per charitatem sancti Spiritus hortamur in Domino et obtestamur, ut tam in hoc negotio, quam in ceteris omnibus, solliciti sint unitatem spiritus et sincerae dilectionis concordiam servare. Meminerint Regulares, quo loco Spiritus sanctus posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei; quod ipsis a sacrosancta oecumenica Lateranensi Synodo sub Leone X. habita, inculcatum fuit, per haec verba: « Eosdem insuper fratres » in virtute sanctae obedientiae, ut eosdem Episcopos loco san» ctorum Apostolorum subrogatos, pro debita et Nostra ac Aposto» licae Sedis reverentia, congruo honore et congruenti obser» vantia venerentur. » Neque obliviscantur Episcopi, Regulares viros ipsis datos esse adiutores in Dominicae vineae cultura; subdit enim eadem sancta Synodus: « Ipsos quoque Episcopos horta» mur ac per viscera misericordiae Dei Nostri requirimus, ut fra» tres ipsos affectu benevolo prosequentes charitative tractent, » ac benigne foveant etc., et tamquam in agro Dominico coope» ratores, eorum laborum participes, prompta benignitate reci» piant. » Demum et Episcopi et Regulares simul animum ad-

vertant ad id, quod ibidem subiicitur: « Una est Regularium et » saecularium, Praelatorum et subditorum, exemptorum et non » exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino » salvatur, eorumque omnium unus Dominus, una fides, et » propterea decet eos, qui eiusdem sunt corporis, unius etiam » esse voluntatis. »

15. Haec profecto christianae veritatis et charitatis documenta quum utrinque servata fuerint, omnibus in rebus, adeoque in hac etiam ordinationum materia, importunae partium querelae penitus conticescent. Neque enim Regulares conqueri poterunt, quod recusantibus Episcopis sacram ordinationem administrare, praeterquam in temporibus ab Ecclesia statutis, eorum privilegia de Ordinibus extra tempora suscipiendis effectu vacua remaneant; Episcopi enim alios etiam opportunos dies ordinandis Regularibus facile invenient. Episcoporum autem cessabunt querelae, quod Superiores regulares ad eludendum decreti Clementis observantiam advenientibus ordinationum temporibus, subditos suos domicilio moveant, eosdemque statim post susceptos Ordines, falsis de causis ad pristinum monasterium reverti iubeant; siquidem Regulares huiusmodi agendi rationem (quam et alias in foro externo graviter vindicatam fuisse, et in posterum districte coercendam fore noverint), tum a probi viri honestate et fide alienam, tum etiam debitae erga sacros ecclesiarum Antistites observantiae contrariam esse, ipsi per se facile cognoscent.

16. Praesentes vero Nostras Literas, et in eis statuta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae vel dignitatis existant, sive alias specifica et individua mentione et expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci,

seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicae potestatis plenitudine sibi concesso vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se iuvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

17. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

18. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, Ordinibus etiam militantibus, congregationibus, societatibus et institutis, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis et irritantibus, in genere vel specie, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine seu consistorialiter ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exa-

ctissime servatis, et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum, plenissime et amplissime, motu pari derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

19. Volumus insuper, et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, ne quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiae Sancti Ioannis in Laterano, et basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon cancellariae Apostolicae curiae generalis Innocentianae in Monte Citatorio et in acie Campi Florae, per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas, omnes et singulos, ad quos spectat, seu spectabit in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

20. Utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

21. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti et declarationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1747. III. Kalen. Martii, Pontificatus Nostri anno VII. – D. Card. Passioneus I. Datarius. – Visa de curia. – I. C. Boschi. I. B. Eugenius. – Loco ✠ plumbi. – Registrata in Secretaria Brevium.

XX.

Taxa Innocentiana.

(Ad pag. 248. vol. I.)

Summarium. 1. Episcoporum, necnon cleri ac populi precibus ductus Pontifex taxam conficiendam commisit Congregationi specialiter constitutae. Generalem pro causis civilibus, criminalibus ac mixtis taxam conficere difficile foret. Itaque conficitur pro causis ac materiis ecclesiasticis ac mere spiritualibus. – 2. In materiis ordinationem respicientibus generalis regula sancitur, ne quid accipi possit, praeterquam quod ibidem innuitur, videlicet: candela arbitrio Ordinarii et iulius unus pro literis testimonialibus et dimissoriis, seu nummus aequivalens, exceptis vero Capucinis et Observantibus, et non plus quam aureus unus pro constitutione tituli patrimonialis. – 3. Quid si dimissoriae vel testimoniales ad plures Ordines referuntur. – 4. In materiis beneficialibus item regula generalis habenda, ne quid praeter summam labori consentaneam exigatur, quae iulios decem non excedat vel aequivalens. Quid exigi possit pro immittendis in beneficiorum possessionem beneficiatis. – 5. Circa beneficia Apostolicae provisionis nihil plane exigatur. – 6. In exsequendis Apostolicis beneficiorum Literis non exigatur plus quam aureum scutum, si nullus adsit contradictor; si adsit, non plus quam scuta duo a cancellario tantum exigi possint. – 7. Nihil exigatur in beneficiis patronatui obnoxiis, sed, si de patronatus pertinentia disputatur, inter causas profanas res accenseatur. – 8. In erectione capellaniarum laicalium, beneficiorum, hospitalium, sodalitiorum, aliorumque similium non plus quam scutum unum aureum accipiatur. – 9. In rebus matrimonialibus nullum datur emolumentum, sed cancellarius exigere potest summam labori suo parem; quae summa pro diversitate causarum determinatur. – 10. Nihil exigatur quoad ea, quae monasteria monialium respiciunt, nisi quod pro constitutione dotis monasticae cancellarius non plus quam quinque iulios recipere permittur. – 11. Nihil accipiendum est pro materiis ad Sacramentorum administrationem pertinentibus. – 12. Nihil accipitur, ubi viget usus, ut Episcopus pro morientibus ab intestato testamentum pro anima suppleat. – 13. Non possunt retardari exsequiae ac sepultura, si emolumenta funebria retardentur. Prohibetur quaelibet emolumenti perceptio pro capitibus, quae ibi nominatim recensentur, nempe pro licentia praedicandi, pro licentia laborandi die festo, quaestuandi, abessendi, aliisque. Quid in executione brevium, ac rescriptorum SS. CC. Quid de multis in poenam irrogatis. Quid de subsidio charitativo.

Taxa Innocentiana fori ecclesiastici in materiis spiritualibus, sive declaratio de iis causis et materiis ecclesiasticis et spiritua-

libus, in quibus in foro ecclesiastico et episcopali exigi nec potest nec debet ullum emolumentum, eo solo excepto, quod cum reformatione abusuum contrariorum pro solo Cancellario statuitur.

1. Cum ad conscientiae securitatem, ad tollendam quamlibet occasionem dubii, quod ex diversis diversarum dioeceseon consuetudinibus nasci posset, ad evitandum quoque periculum, ne a Vicariis, Cancellariis aliisque ministris et familiaribus deciperentur, ad Sanctissimum D. N. Innocentium XI. a multis Episcopis, Archiepiscopis et aliis Praelatis zelo plenis recursus fieret (cleri quoque populorumque votis non deficientibus), ut pro foro episcopali sive ecclesiastico generalis quaedam et uniformis taxa determinaretur, Sanctitas Sua Congregationem particularem instituit coalescentem ex duobus Cardinalibus, Congregationum Concilii et Episcoporum Praefectis, ex quatuor aliis earumdem Congregationum Cardinalibus, ex duobus Praelatis, earum Secretariis, denique ex Datario et Auditore Suae Sanctitatis. Declaravit autem haec Congregatio fieri non posse, ut in causis contentiosis, civilibus, criminalibus et mixtis ad memoratam perveniatur taxam generalem, nisi prius notitia habeatur de taxis particularibus cuiusque diocceseos aut provinciae, quippe quae iuxta diversam regionum locorumque consuetudinem iuridice variae esse queant; ad quaecumque autem dubia et ambiguitates tollendas necessarium esse, maiori cum claritate in lucem edi declarationes, quae circa materias ecclesiasticas vel pure spirituales variis temporibus diversisque occasionibus a S. Congregationibus Conc. et Episc. emanaverint; ne quis hoc modo ignoret, quae licita sunt, neve ulla excusatio, aut ignorantiae consuetudinisque praetextus relinquatur. Aequum enim est, propter universalitatem canonum, Conciliorum et imprimis Concilii Tridentini, in hisce rebus tam uniformem esse ubique observationem, ut reproba atque illicita censenda sit quaelibet consuetudo contraria aut taxa diversa, quomodolibet in posterum facta. Statuit enim eadem Congregatio voluitque, ut sequentes declarationes sine ulla prorsus exceptione ubique serventur, idque sub poenis contentis in sacris canonibus et Conciliis, et sub aliis ad libitum Summi Pontificis pro tempore existentis; si vero dubium aliquod in contrarium oriretur, non dirimendum nisi per consultationem eiusdem S. Congr. Concilii.

2. In materia Ordinum sacrorum, minorum et primae tonsurae, sive pro ipsa collatione, sive pro facultate eos conferendi,

quam quis alteri concedit, sive etiam pro eorum exercitio et facultate eos in quolibet loco et quovis tempore exercendi, generalis statuitur regula, quae nullam nisi infra innuendam patiatur exceptionem, quod sc. neque Episcopus aliusve Praelatus, neque eius Vicarius generalis aut foraneus, Cancellarius aliusve quilibet officialis, neque cognati, familiares et servi ullum emolumentum vel aliam rem exigere aut accipere possint, quocumque sub colore aut praetextu fiat, sive pro actibus ad iustificationem requisitorum, sive pro altaris linteaminibus, forficibus, pectine, et si quid aliud id genus est, neque sub titulo doni aut munusculi, licet propria sponte oblatum datumque fuerit; ab hac norma eatenus solum eximitur ordinans, quatenus, disponente Pontificali, candelarum oblationem accipere potest, relicta libera Episcopi arbitrio qualitatis ponderisque determinatione. Cancellarius porro, iuxta dispositionem Concilii Tridentini, pro literis testimonialibus collationis Ordinis iam factae, vel pro literis dimissoriis ad collationem ab alio Episcopo faciendam, non plus quam decimam partem scutati Romani i. e. unum iulium, sive nummum aequivalentem regionis accipere potest ab iis personis, quae pecuniae usum habent, non iam ab iis Regularibus, qui pecuniae usum non habent, uti sunt Capucini et Minores Observantes. Nulla est nisi in conferendo subdiaconatu exceptio, quatenus pro actibus exarandis ad iustificationem veritatis sufficientiaeque patrimonii aut beneficii, sub cuius titulo quis promovendus sit, tantum exigere valet emolumenti, quantum respondet labori mere personali pro scripturis et charta, quin tamen Episcopus, Vicarius aut alius officialis sive directe sive indirecte participare possit. Notandum tamen, dictum emolumentum haudquaquam excedere debere unum aureum, et quoties minorem requirat mercedem labor, minorem exigendam. Ad ceteros autem quod attinet Ordines primamque tonsuram sub nullo praetextu neque consignationis Brevium dispensationum et aliarum scripturarum, neque praesentationis, qualiscumque iustificationis et solemnitatis, neque remotionis impedimentorum quidquam exigere valet.

3. Quodsi supra memoratae dimissoriae vel testimoniales ad plures Ordines referantur, nullam aliam mercedem, nisi dictum iulium exigere licet, et proinde pro singulis Ordinibus minime multiplicari potest. Neque tamen Cancellarius tenetur, unam so-

lam exarare scripturam pro pluribus Ordinibus, qui diversis temporibus diversisque in ordinationibus collati fuerint; sed, si velit, potest conficere scripturas distinctas, non quidem relate ad eos Ordines, qui eadem die conferuntur, uti accidit in minoribus, ubi una sola facienda est scriptura; in literis pariter dimissoriis, quae dantur pro ordinatione ab alio facienda Episcopo, neque pro pluribus ordinationibus scripturae multiplicari possunt, neque quidquam exigi potest, sive pro confectione instrumentorum collationis Ordinum, sive pro accessu ad locum ordinationis, etiamsi fieret sub alio praetextu muneris et donativi.

4. In materia beneficiorum ecclesiasticorum, quando agitur de iis, quae tanquam liberae collationis aut devoluta ab Episcopo vel alio Ordinario conferuntur, eadem statuitur regula generalis, quod neque Episcopus aliusve collator, neque Vicarius aut quilibet alius officialis, neque cancellarius aut cognati, familiares et servi exigere et accipere possunt ullum emolumentum aliamque rem, sub quolibet colore et praetextu fiat, etiam munusculi vel doni vel voluntarii donativi, et hoc valet tam de curatis vel residentialibus, quam de simplicibus vel capellaniis manualibus. Unus excipitur Cancellarius, qui pro literis collationis una cum charta, sigillo, chorda omnique alia re mercedem scripturae materiaeque consentaneam exigere potest, modo summam decem iuliorum aut nummi aequivalentis regionis non superet; praeter hanc nullam aliam mercedem postulare potest, sub quocumque fieret praetextu, et in particulari pro approbatione et praeelectione in concursu parochialium. Porro pro immittendis in beneficiorum possessionem beneficiatis Episcopus aut Vicarius aut alius officialis nihil prorsus exigere possunt; Cancellarius autem pro instrumentorum confectione et quovis alio actu, si intra urbem degit, tres iulios exigere potest, si in vicis aut suburbiis pro singulis diebus quatuor iulios necnon expensas victus atque viatici; quodsi in loco beneficii vicarii foranei, Cancellarius aut alius notarius fuerit, possessio committenda erit vicario foraneo eiusque cancellario, quin cancellarius episcopalis iter suscipere debeat.

5. Quoad beneficia provisionis Apostolicae, quippe quae reservata vel ante eorum provisionem affecta sint, sive agatur de beneficiis curatis, in quibus literae testimoniales approbationis et praeelectionis in concursu iuxta formam Concilii Tridentini in Dataria communiter conceduntur, sive agatur de ceteris beneficiis non

curatis et imprimis de residentialibus, pro quibus in Dataria dari solent attestationes de vita, moribus et idoneitate concurrentium, sub nullo colore aut praetextu, neque voluntarii donativi, quidquam mercedis aut emolumenti in pecunia aliave in re pro dictis literis exigi potest, sed omnino gratis concedendae sunt.

6. Post obtentam autem provisionem, quoad exsecutionem Literarum Apostolicarum, si hae in forma sunt gratiosa, Episcopus aut alius Praelatus Ordinarius loci, aut eius Vicarius, Cancellarius et quilibet alius officialis minime contendere possunt, se necessario esse exsecutores, sed in libero erit arbitrio provisorum, exsecutorem et notarium pro capienda possessione sibi ipsis eligere; sin autem ipse provisus elegerit ordinarium officialem eiusque Cancellarium, aut si literae in forma, quae « dignum » nuncupatur, directae fuerint ad Episcopum eiusve Vicarium, qui proinde necessarius esset earum exsecutor, cum in utroque casu nullus legitimus adsit contradictor, ideoque ipse merus sit exsecutor, tunc eadem prorsus norma obtinet, quae supra pro beneficiis ordinariae collationis statuta est, quod sc. Episcopus aut alius Praelatus eiusque Vicarius, aut alius officialis eiusque familiares, servi et attinentes nullum emolumentum exigere possunt et debent, sed solus Cancellarius pro describendis aut consignandis Literis Apostolicis aliisque actibus mercedem accipere potest scribendi labori congruam, dummodo pro toto unum aureum ne excedat. Si vero adsit contradictor, ut causam iudicialiter institui oporteat, merces cancellarii pro labore extendi potest ad duo scutata aurea et non amplius, quin tamen Episcopus aut Vicarius, aut alius officialis ullum emolumentum exigere vel accipere queat, quia in causis ecclesiasticis et spiritualibus sacri canones praecipiunt, ut, non obstante quacumque consuetudine, iudicium gratis interponatur. Pro possessione autem idem observandum, quod in beneficiis ab Ordinario collatore collatis supra statutum est.

7. In beneficiis patronatus, si de patronatus existentia oriatur dubium cum procuratore fiscali aut proviso eius libertatem praetendente, in tota hac re id observandum erit, quod relate ad beneficia liberae collationis, existente contradictore, supra dictum est. Sin autem controversia sive inter compatronos sive inter eos, qui ab his praesentati sunt, circa pertinentiam agatur, hoc in casu res inter causas profanas accenseatur, ideoque ordinaria

observetur cuiusque curiae taxa, usque dum pro causis profanis, criminalibus et mixtis alia taxa statuta fuerit.

8. Generaliter loquendo tam in capellaniis manualibus quam in novis fundationibus et erectionibus beneficiorum, capellaniarum, confraternitatum, congregationum, aut in fundationibus, benedictionibus, consecrationibus, respectivis visitationibus et approbationibus ecclesiarum et oratoriorum, sive auctoritate Apostolica sive Ordinaria id fiat, Episcopus aut alius Praelatus eiusque Vicarius et quilibet officialis nullum emolumentum exigere et accipere possunt, sed solus Cancellarius mercedem suo scribendi labori parem potest postulare, modo pro toto non superet unum scutatum aureum et pro minore labore minor exigatur merces.

9. In causis autem rebusque matrimonialibus, tum pro exsecutione dispensationum Apostolicarum, tum pro iustificatione status liberi immunitatisque ab impedimentis canonicis, necnon pro dispensatione a denuntiationibus aut pro licentia domi vel alibi vel tempore inconsueto et prohibito vel in praesentia alterius quam parochi contrahendi, vel denique pro quocumque actu, qui fieri debeat, Episcopus eiusque Vicarius et quilibet officialis, minister aut familiaris sub nullo praetextu nulloque colore, neque muneris voluntariique donativi, ullum emolumentum in pecunia aliave re exigere et accipere possunt; Cancellarius autem mercedem scribendi labori congruam exigere potest, i. e. pro dispensationum exsecutione tres iulios, et pro testimonio de statu libero immunitateque ab impedimento canonico pro singulis testimoniis singulos iulios, modo pro toto non excedat unum aureum Romanum, i. e. decem iulios, aut nummum aequivalentem regionis. Notandum tamen, causas contentiosas inter coniuges de matrimonii validitate, aut a toro separatione non comprehendi, in quibus, cum ad causas iudiciales profanas accenseantur, cuiusque tribunalis observanda est taxa, donec aliter provideatur.

10. Quaecumque spectant ad monasteria Sanctimonialium et ad conservatoria earum mulierum, quae ad instar monasteriorum et Monialium ab hominum consuetudine remotae sunt, Episcopus aliusve Praelatus, Vicarius generalis aut particularis, et quilibet alius officialis aut deputatus, cancellarius quoque et cognati atque familiares Episcopi aut Praelati eiusque officialium pro admissione ad habitum monasticum, pro approbatione depositi dotis,

pro professione, pro admissione educandarum aliarumque feminarum saecularium, pro renuntiationibus, quae fiunt, novitiarum, pro electione Abbatissae aliusve Priorissae, pro licentia utendi medicis, chirurgis, operariis, pro licentia loquendi cum Monialibus aliisque in monasterio degentibus, pro deputatione confessariorum, capellanorum, procuratorum, exactorum aliorumque ministrorum, et generaliter pro quolibet actu ad directionem spectante nullum in pecunia aut alia re, neque sub titulo donativi, exigere et accipere possunt emolumentum, iis exceptis victualibus, quae usui propriaeque consumptioni infra tres dies proportionata sunt. Solus cancellarius pro conficiendis renuntiationum instrumentis et pro actibus, qui pro iustificando dotis deposito exarandi sunt, mercedem scribendi labori parem exigere potest, modo totum quinque iulios Romanos aut nummum regionis aequivalentem non superet.

11. Per regulam aeque generalem nullique subnoxiam limitationi vetatur, ne in his, quae pertinent ad administrationem Sacramentorum Baptismi, Confirmationis, Poenitentiae, Eucharistiae, Extremae Unctionis, neve pro examine, approbatione, aut licentia ea administrandi, Episcopus, aut alius Praelatus, Vicarius Generalis aut particularis, Cancellarius aut quilibet alius officialis, minister, aut familiaris, neque sub nomine muneris vel donativi voluntarii, quidquam emolumenti pecuniae aliusve rei exigere et accipere possit. Imo Episcopi, Praelati eorumque vicarii et officiales vetantur, ne hoc parochis, confessariis, aliisque ministris permittant, et imprimis, ne hi sumant patinam aliudve vas, in quo repositum sit vas Olei sancti pro Extrema Unctione, vel chrismatis pro Baptismo, neve mappas, linteola aliasque res, cum totum hoc illicitum declaretur. Item prohibeant, ne quidquam expostulent exigantque pro benedictionibus mulierum enixarum, quando post partum, iuxta ritum ecclesiasticum, prima vice ecclesiam ingrediuntur.

12. In iis dioecesibus, in quibus antiqua viget consuetudo, ut Episcopus aut alius Praelatus et officialis testamentum conficiat pro animabus eorum, qui ab intestato moriuntur, eam summam moderatam, circa quam, iuxta decreta S. Congregationis talem facultatem exercere valet, ipse Episcopus eiusque officiales, cognati, familiares nullo modo nulloque sub praetextu aut quaesito colore, neque paupertatis, participare possunt,

sed totum hoc effective applicandum est ad usus operaque pia, nec pro huiusmodi dispositionis adimpletione sepultura, exsequiae aut funeralia pro defuncto ullo modo impediri vel retardari queunt, cum actiones iuridice exerceri debeant in bona haereditaria; observari autem oportet literas encyclicas S. Cong. Episc. diei 19. Aug. 1678.

13. Pariter nullo modo impediri nec retardari possunt sepultura, exsequiae aut funeralia defunctorum, sive civium sive advenarum, propter retardationem emolumentorum, quae ab Episcopo, aut Capitulo, aut parocho, aut quovis alio ex regionis consuetudine exiguntur; sed integrae remanent actiones iuridicae in bona, circa quae exerceri debebunt, quin ullo modo ipsi cadaveri fiant repressiones, aut filiis, coniugi et cognatis personales comparentur molestiae. Neque quidquam exigere fas est pro licentia transportandi cadavera eaque in hoc potius quam in alio loco sepeliendi.

Praeterea illicitum declaratur quodvis emolumentum, sive directum sive indirectum, et proinde prohibetur, ne Episcopus aut Praelatus, eius Vicarius et Cancellarius, aut alius quilibet minister et familiaris sub ullo praetextu, licet muneris vel donativi, quidquam exigant in rebus subsequentibus:

Pro licentia seu privilegio praedicandi, sive tempore Quadragesimae et Adventus, sive quocumque alio tempore aut loco hoc fiat.

Porro licentia laborandi diebus festis; etiam ut labor impendatur in usibus piis, omnino gratis concedatur; et quoad transgressionem legis opera vetantis servilia, mulctae omnes effective applicentur ad opera et loca pia, sine minima participatione, nisi quod exsecutoribus et ministris inferioribus, vulgo *sbirri*, pro comprehensione delinquentis merces concedatur diligentiae et defatigationi congrua, quin tamen pro toto tres iulios excedat.

Pro revisione rationum locorum piorum.

Pro recognitione, approbatione et publicatione reliquiarum, indulgentiarum et altarium privilegio munitorum.

Pro licentia quaestuandi.

Pro attestatione paupertatis aliusve requisiti; nisi quod Cancellarius iulium Romanum vel nummum aequivalentem pro toto exigere possit.

Pro licentia exemptionis a residentia et generaliter pro dimissoriis iis dari consuetis, qui relicta domo in aliam proficiscuntur regionem.

Pro monitoriis. Pro excommunicationum revelationibus, sive dantur ab ipsa curia et ordinarie, sive Literae Apostolicae publicantur; nisi quod Cancellarius pro scribendi labore unum solum exigere possit iulium.

Pro declaratione, quod quis propter clericorum percussionem incurrerit censuras, et pro causis similibus earumque absolutione; potest autem Cancellarius pro scribendi labore duos exigere iulios, excepto casu exsecutionis Brevium Poenitentiariae, in quo neque ipse Cancellarius pro hoc, quod absolutionem spectat, quidquam exigere valet.

Pro facultate exercendi Pontificalia.

Pro exsecutione Brevium Apostolicarum, vel pro licentia S. Congr. ad alienanda bona ecclesiastica locaque pia, aut ad impositionem censuum unus Cancellarius mercedem exigere poterit labori consentaneam, modo pro toto decem iulios Romanos vel nummum non superet aequivalentem. Idem dicendum de his, quae spectant ad defensionem immunitatis ecclesiasticae, tam personalis, quam realis et localis, et specialiter quoad hanc ultimam nullo modo nulloque sub praetextu quidquam mercedis aut emolumenti exigi et accipi potest, sed quidquid fit, gratis faciendum.

Poenae, mulctae, transactiones totaliter applicandae sunt piorum usui locorum, quin Episcopus, aut Vicarius eiusque officiales directe vel indirecte quidquam participare queant.

Subsidium porro charitativum in iis dioecesibus, in quibus exigi solet, et non secus, semel tantum in primo Episcopi ingressu exigatur, et id quidem iuxta taxam antiquam 40 annis ante vigentem; quare non attendatur id, quod temporibus recentioribus a dicto tempore usque huc exigi solebat, neve sub ullo praetextu, licet voluntarii donativi, plus exigi liceat. Denique ad visitationem quod attinet, inviolabiliter observandum est decretum Concilii Tridentini et declarationes S. Congregationis; et imprimis ab iis, qui ad expensas victualium concurrunt, neque mediate neque immediate accipi possunt munera et donativa, neque rerum comestibilium. Neque pro actibus visitationis, decretis et scripturarum praesentatione, neque pro revisione de-

cretorum visitationum antecedentium eorumque observationis ullum emolumentum exigi fas est, cum ab iis, quibus visitatio fit, expensae victus accipiuntur.

Die primo Octobris 1678., facta per me infrascriptum istarum resolutionum, seu declarationum relatione Sanctissimo D. N. Innocentio XI. mediante illarum lectura de verbo ad verbum, Sanctitas Sua laudavit, approbavit, ac servari mandavit, earumque observantiam et publicationem iniunxit S. Congregationi Conc.

Ioannes Baptista de Luca praefati SS. D. N. Innocentii Papae XI. Auditor et Secretarius Memorialium.

Die 8. Octobris 1678. S. C. Emorum S. R. E. Cardinalium Conc. Trid. Interpretum, inhaerendo mandatis Sanctitatis Suae censuit, praemissas taxam seu declarationes typis dandas esse, et per literas circulares ad quoscumque locorum Ordinarios transmittendas, ut eas in cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, easdemque adamussim observent, ac faciant observari. – F. Cardinalis Columna Praefectus – Loco ✠ Sigilli – S. Archiepiscop. Brancaccius Episc. Viterbien. Secr.

XXI.

Bened. XIII. Constit. Maxima vigilantia *de archiviis in Italia erigendis pro custodia iurium et scripturarum, ad quascumque ecclesias, cathedrales, collegiatas et non collegiatas, ad seminaria etiam, ad monasteria utriusque sexus, ad collegia, congregationes, confraternitates, hospitalia et quaelibet loca pia, et regularia instituta pertinentium. Accedit instructio de scripturis, quae in eisdem archiviis reponi debent.*

(Ad pag. 261, vol. I.)

Summarium. 1. Archivorum ecclesiasticorum necessitas. – 2. Ex neglectis ecclesiarum archivis multa damna proveniunt. – 3. Omnes Praesules Italiae archiva intra sex menses construi curent. – 4. Universa Capitula idem curent. – 5. Omnes Superiores regulares, collegia et loca pia utriusque sexus idem curent. – 6. Catalogus scripturarum conficiatur. – 7. Catalogi archivorum, cathedralium, collegiatarum et monasteriorum a quibus conficiendi. – 8. Catalogi archivorum in monasteriis monialium et locorum piorum a quibus conficiendi. – 9. In ecclesiis conventualibus, collegiis, seminariis et hospitalibus catalogi archivorum a quibus conficiendi. – 10. Duo exemplaria eiusdem catalogi conficiantur. – 11. Archiva duabus clavibus et seris claudantur. – 12. Claves archivi beneficia-

torum cathedralium et collegiatarum a quibus retinendae. – 13. Claves archivi monasteriorum a quibus retinendae. – 14. In monasteriis monialium et piarum domuum claves archivi a quibus retinendae. – 15. In aliis locis a quibus retinendae. – 16. Quotannis catalogo archivi adiungantur scripturae, anno praecedenti confectae. – 17. Episcopi archiva omnino visitent. – 18. Visitent etiam archiva locorum, quae iure delegato visitant. – 19. Visitatores Ordinum Regularium visitent archiva. – 20. In capitulis archivista eligatur. – 21. In locis piis archivista eligatur. – 22. Praelati et Superiores scripturas archivo inserendas curent. – 23. Ordinarii chartas inquiri curent inventario inserendas. – 24. Episcopus decessurus, vel ad longum tempus abiens, cuinam inventarium archivi tradere debeat. – 25. Obeunte Praelato quid agendum de inventario archivi. – 26. Mortuo Episcopo quid de archivi clavibus agendum. – 27. De scripturis ex archivo extrahendis. – 28. Processus tradendi sunt archivistae, qui successoribus suis scripturas exhibeat. – 29. Ordinarii provideant conservationi scripturarum parochiarum et locorum piorum. – 30. Horum exsecutio quibus poenis mandetur. – 31. Praelati curent haec observari. – 32. Hae literae perpetuo validae sint. – 33. Clausulae derogatoriae. – 34. Nemo hanc Constitutionem infringere audeat. – 35. Affertur instructio de scripturis, quae in iisdem archivis reponi debent. – 36. S. C. Conc. in *Balneoregien. VV. SS. LL.* declaravit, omnes eos, quorum mentio fit in Conc. Romano, adigendos esse ad exhibendum legale inventarium, iuramento firmatum; necnon ad ipsum quolibet decennio renovandum, arbitrio tamen Episcopi; tandem contra reluctantes imponi posse poenam pecuniariam, aut censuras et poenas in eodem Concilio statutas, arbitrio tamen et prudentiae Episcopi. – 37. Affertur Motus-proprius s. mem. Sixti V. super obligatione conficiendi inventaria. In eo praecipitur, ut inventaria bonorum omnium ecclesiarum in Italia intra annum conficiantur; eadem renovanda item iubentur per singulos successores in administratione, et huius rei adimplementi cura Episcopis demandetur. – 38. De causa *Venetiarum,* in qua S. C. Episc. et Regul. declaravit, servari solitum circa administrationem ab immemorabili patronis relictam tempore, quo beneficium patronatui obnoxium vacaverit, novellum vero quemlibet beneficiatum, in recipienda a curia Venetiarum institutione canonica, inventarium bonorum beneficialium eidem curiae exhibere teneri.

1. Maxima vigilantia, quam Maiores Nostri in rerum suarum monumentis ad posterorum memoriam retinendis semper adhibuerunt, adeo testata, et passim literis tradita est, ut Nostris verbis praedicari minime egeat; nihil enim frequentius in veterum patrum scriptis, sacrisque Conciliorum et Ecclesiae sanctionibus legitur, quam scrinia, tabularia, archiva, conditoria

et armaria a temporum atque hominum iniuria servandis rerum gestarum documentis, chartis, diplomatibus, codicibus, instrumentisque constructa, unde fides et veritas rerum ad successorum recordationem transmitti posset. Nec tantum veteres quidem Romani Pontifices Antecessores Nostri singularem hanc providentiam in custodiendis eiusmodi actis et monumentis identidem ostenderunt, sed ceterarum quoque ecclesiarum pastoribus tantae rei gravitas maxime innotuit, proptereaque rerum sibi creditarum testes literas ad instructionem futurorum summa fide servari voluerunt, quippe qui probe nossent, quantae inde utilitates manarent. E recentioribus ecclesiasticae disciplinae reparator insignis, Beatus Carolus Borromaeus, S. R. E. Cardinalis, et Archiepiscopus Mediolanensis in Concilio provinciali I. non uni suae, sed ceterorum etiam Antistitum ecclesiis, sacrae suae metropoli contributis, summe cavit ob illarum iura sarta tecta servanda de archivis et tabulariis in singulis episcopiis speciatim erigendis, peculiares canones et sanctiones promulgari statuens, quod et Nos tam gravem et piam disciplinam prae oculis habentes, olim in Concilio Nostro provinciali I. Beneventano, Deo favente, statuimus, maiorum exempla secuti, qui in suis Constitutionibus non solum Romae, sed praecipue in universis regionibus et civitatibus, Beati Petri Apostolorum Principis temporali imperio subiectis, archiva et tabularia erigi iusserunt, ne scripturae ad res publicas attinentes dispergerentur.

2. Quum vero ad aures Nostras rumor pervenerit, in multis episcopatibus et ecclesiis rem tam providam utilemque non sine privato et publico damno negligi: quod nisi opportuno remedio tollere satagamus, incommoda ecclesiarum facile in immensum crescent; Nos ex debito pastoralis officii Constitutionem a Pio V. Antecessore Nostro pro archivis sedium episcopalium utriusque Siciliae olim vulgatam, et fraudes, ac subreptiones scripturarum, quae tempore sedium vacantium perpetrabantur, etiam respicientes, necessarium putavimus, nonnullas alias ordinationes, et statuta his Nostris Apostolicis Literis, perpetuum robur habituris, edere tenoris sequentis, videlicet:

3. Ut omnes Patriarchae, Metropolitae, Archiepiscopi, Episcopi et Praelati inferiores, Ordinarii locorum, nullius dioecesis, iurisdictionem episcopalem exercentes, in tota Italia, eique adiacentibus insulis, qui in suo palatio episcopali locum tutum, nec

cuivis facile adeundum, pro servandis in eo scripturis ad dignitatem, et iurisdictionem episcopalem, sive ordinariam, mensam, et forum suae Curiae pertinentibus, non habent, statim de loco tantae rei destinando serio cogitent, in quo loco, tuto, congruo, non humescenti, unde scripturis ipsis lapsu temporis pernicies ulla inferatur, loculi, plutei, et armaria, recipiendis scripturis, et codicibus apta, secundum instructionem inferius subiiciendam, disponantur, et diligenter clausa custodiantur. Quoad archiva et tabularia olim erecta, iidem Praelati pro sua vigilantia eorumdem statum sedulo recognoscant, illorum aptae capacitati, atque ordini, iuxta supradictam instructionem, ut, quoad fieri potest, structura et dispositio omnium archivorum sit uniformis, intra sex menses post harum publicationem, provisuri.

4. Hic idem terminus sex mensium iniungitur quibuscumque Capitulis ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum, tam insignium, quam non insignium, ut locum opportunum, iuxta modum iam indicatum, disponant in aliqua mansione cathedralis vel collegiatae ecclesiae, ubi commode serventur et custodiantur scripturae, iura et statum eorumdem Capitulorum respicientes. Seorsim vero armarium habeatur pro scripturis, ad iura et statum particularem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum attinentibus. Volumus enim, ut archiva Capitulorum ab illis, quae sunt ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, omnino distinguantur; ideoque in prospectu et facie sive anteriori parte cuiuscumque archivi, sive armarii exterius scribatur, cuiusnam sit illud archivum, an scilicet ecclesiae, an vero Capituli.

5. Haec observanda etiam praecipimus a quocumque Abbate, Priore vel Superiore regulari cuiuscumque Ordinis, etiam Mendicantium, etiam Societatis Iesu, vel cuiuscumque instituti, etiam speciali nota digni, necnon hospitali Beati Ioannis Ierosolymitani, scilicet pro dispositione, constructione seu constitutione archivii in loco apto, modo, quo supra, intra claustra propriae domus, monasterii, seu conventus: idemque omnino exsecutioni mandandum curent abbatissae vel priorissae, et superiores cuiuscumque monasterii monialium et sacrarum virginum, domuumque piarum mulierum, quae conservatoria appellantur, quaeque per haec scripta non intendimus approbare. Similiter haec eadem Constitutio Nostra in construendis et custodiendis archivis observetur ab ecclesiis receptitiis, collegiis, seminariis, convictibus,

congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, Montibus pietatis, aliisque locis piis cuiuscumque generis, et quocumque nomine censeantur, sub administratione rectorum, ministrorum et officialium temporaneorum, sive perpetuorum existentibus.

6. Omnes iamdicti Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Ordinarii locorum et Superiores Regularium utriusque sexus, ut supra, postquam congesserint et clauserint, vel disposuerint scripturas in archivo extructo vel exstruendo, omni diligentia et sollicitudine earumdem catalogum et inventarium conficiendum, et cum brevi singularum scripturarum synopsi et lemmate, vel summario describendum curent. Episcopi et Ordinarii eumdem catalogum et inventarium a notario, seu cancellario curiae episcopalis vel ordinariae, aut, eo impedito, ab alia persona, per eum substituenda, confici curent coram seipsis seu Vicario generali, vel alia persona ab iisdem substituenda: idemque catalogus et inventarium ab eodem notario seu cancellario singulis paginis subscribatur. Catalogus vero in fine totius operis a Praelato, postquam ipse accurate et sedulo recognoverit singulas paginas diligenter conscriptas, fideliterque a notario seu cancellario propriae curiae, vel a persona ei substituta, exaratas, subscribatur. In seminariis autem episcopalibus archivum, ut supra, erigatur, et inventarium scripturarum per publicum notarium, ab Episcopo, sive Ordinario eligendum, qui non sit cancellarius curiae episcopalis sive ordinariae, conficiatur coram Vicario Generali aut alia persona ecclesiastica a praedictis Ordinariis substituenda, et coram uno ex deputatis seminarii, ad horum beneplacitum, etiam alternis vicibus, cum subscriptione illius, qui eidem confectioni interfuerit, ut supra.

7. Catalogus et inventarium archivi Capitulorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum per archivistam, ut inferius dicetur, a Capitulo eligendum, conficiatur coram duobus canonicis antiquioribus et peritioribus cathedralis et collegiatae eo ordine et subscriptione, quam supra memoravimus. Inventarium tamen et catalogus archivi ecclesiarum cathedralium et collegiatarum, distincti ab archivo Capituli, per hominem a proprio Episcopo sive Ordinario deputatum, coram Vicario Generali vel persona ecclesiastica, ab ipsis Ordinariis eligenda, necnon coram canonico antiquiori ecclesiae cathedralis vel collegiatae, appositis subscriptionibus eorumdem, conficiatur, ut supra. Inventaria et ca-

talogi scripturarum, quae in archivis monasteriorum et locorum Regularium servantur, eodem, quem diximus, ordine conficiantur per archivistam Regularem ipsius monasterii seu conventus, ut inferius, eligendum, et coram Abbate vel Superiore monasterii et antiquiori ex monachis vel Regularibus monasterii vel conventus: qui quidem Abbas vel Superior suam subscriptionem apponere debeat.

8. In monasteriis monialium, inque domibus piis, quae conservatoria nuncupantur, inventarium et catalogus conficiatur et subscribatur, ut supra, per hominem ab Episcopo sive Ordinario deputatum, coram proprii monasterii confessario et abbatissa vel priorissa, sive superiora et vicaria.

9. In ecclesiis conventualibus seu receptitiis, collegiis et seminariis, seorsim a seminariis episcopalibus, ut supra, memoratis, in convictibus, congregationibus, confraternitatibus, hospitalibus, Montibus pietatis, aliisque locis piis, ut supra, inventarium et catalogus coram primo officiali et camerario cum eorum subscriptione per archivistam, si ibi erit, alias per virum idoneum, ab administratoribus eorumdem locorum deputatum, conficietur.

10. Huiusmodi inventarii et catalogi, sic, ut diximus, confecti, duo exemplaria inter se prorsus similia conficiantur, quorum unum in archivo ipso episcopali vel in suo, respective servetur, alterum apud Praelatum dioecesis, ut supra, antiquiorem canonicum cathedralis vel collegiatae, Abbatem vel Superiorem monasterii aut conventus, abbatissam vel priorissam, aut superiorem monasterii monialium, et conservatorii, rectorem, vel primum officialem locorum piorum, respective, ut supra, ita tamen, ut perfuncti suo munere, successoribus illud tradant.

11. Eadem archiva duabus clavibus et seris inter se diversis aperiantur; quarum una, quoad archiva episcopalia sive Ordinariorum, a Praelato sive Ordinario servabitur; altera a cancellario seu notario curiae episcopalis vel ordinariae. Archivi autem seminariorum episcopalium una clavis ab Episcopo sive Ordinario, altera ab archivi praefecto, per Episcopum sive Ordinarium eligendo, cum consilio deputatorum eorundem seminariorum, custodiatur. Archivi Capituli ecclesiae cathedralis vel collegiatae unam clavim eiusdem archivi praefectus servabit, aliam canonicus antiquior.

12. Ubi mos est, ut beneficiati ecclesiae cathedralis vel collegiatae archivum habeant distinctum a capitulari, de more unam eius clavim retineat beneficiatus antiquior, alteram beneficiatus archivi praefectus, sive archivista, ut inferius dicetur, eligendus. Ubi vero beneficiatorum archivum una cum capitulari coniunctum haberi consuevit, eius claves iuxta eamdem consuetudinem retineantur; sique ab uno ex beneficiatis retineri consuevit, ita pariter observetur. Si vero beneficiati carent archivo separato et distincto, neque scripturas ad sua iura pertinentes in archivo capitulari conservant, tunc iubemus atque praecipimus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et Ordinariis, ut archivum cum armariis seorsim erigendum curent, modo superius memorato, ut scripturarum conservationi prospiciatur. Quoad vero particulare archivum ipsius ecclesiae cathedralis et collegiatae, una ex eius clavibus a canonico eiusdem ecclesiae cathedralis vel collegiatae, per Episcopum sive Ordinarium deputando, altera vero ab ipso Episcopo sive Ordinario retineatur.

13. In monasteriis seu conventibus Regularium una ex clavibus archivi a Superiore conventus, altera ab archivista retineatur.

14. In monasteriis monialium, piisque domibus, quae conservatoria appellantur, una ex clavibus per abbatissam, vel priorem aut superiorem localem, altera per confessarium monasterii aut conservatorii custodiatur.

15. In aliis locis supra memoratis unam archivi clavim rector, vel primus officialis custodiat, alteram archivista, ut inferius, eligendus.

16. Quotannis mense Ianuarii inventario sive catalogo scripturarum illae scripturae adiungantur, quae anno praecedenti confectae vel alias neglectae fuerunt.

17. Episcopi et Ordinarii tempore visitationis, ex praescripto sacrosancti Concilii Tridentini faciendae, archivum episcopale sive ordinarium omnino visitent. Item visitent archivum ecclesiae cathedralis vel collegiatae, nimirum armaria, in quibus iura ecclesiae cathedralis vel collegiatae custodiuntur, et scripturas ac iura eadem recognoscant, praesentibus duobus canonicis antiquioribus et peritioribus Capituli. Archivum scripturarum, quae statum et iura Capituli cathedralis tantum respiciunt, pariter visitent, exploraturi, utrum scripturae sint bene dispositae, se-

cundum instructionem huic Nostrae Constitutioni adiungendam, idque agant una cum duobus canonicis antiquioribus, nec tamen possit Episcopus, sive Ordinarius rimari scripturas, quae res eiusdem Capituli respiciunt. Praeterea Episcopus, sive Ordinarius archivum beneficiatorum cum duobus ex eorum numero antiquioribus pariter visitet, diligenter observaturus, utrum huius Nostrae Constitutionis ordinationes adimpleantur. Ubi vero beneficiatorum archivum cum capitulari commune est, in eius visitatione sibi adiungat duos beneficiatos praeter duos canonicos antiquiores, ut illud pariter, ut supra dictum est, visitet.

18. Episcopi et Ordinarii, quoad archiva ecclesiarum, aliorumque locorum hoc ipsum agant ad tenorem huius Nostrae Constitutionis, quam ubique observari curent, ita tamen, ut in iis locis, in quibus visitationem iure ordinario peragere possunt, eodem iure ordinario archiva praedicta visitent. In locis vero, in quibus iidem Episcopi et Ordinarii iure delegato visitationem peragere possunt, huiusmodi etiam iure delegato memorata archiva explorare, et exsecutionem eorum, quae hac Nostra Constitutione traduntur, promovere possint et debeant, inque relatione sua, tempore visitationis sacrorum Liminum facienda, separatim referant statum archivorum. Praelati vero *Nullius*, ad visitationem sacrorum Liminum non accedentes, quolibet triennio evoluto doceant Congregationem S. R. E. Cardinalium interpretum Concilii Tridentini de statu archivi, deque observatione huius Nostrae Constitutionis, et Cardinalis Praefectus, ubi opus fuerit, illam docere eos cogat.

19. Itidem, Generales, Provinciales et Visitatores cuiuscumque Ordinis et Instituti regularis, ut supra, in suis visitationibus, quas facient in singulis monasteriis, et conventibus Regularium, ac monialium sibi subiectarum, peculiariter quaerant, an singula in hac Nostra Constitutione comprehensa, ad amussim servata fuerint, ac serventur, poenisque in eadem contentis, inobedientes ad observantiam, etiam iuris remediis compellant. Iidem visitatores suis Superioribus in relatione visitationis statum archivorum in dictis monasteriis et conventibus visitatis, a se repertum referant, seque exsecutioni huius Constitutionis, sedulo invigilasse omnino doceant: pro qua exsecutione, ubi necessitas tulerit, Superiorum auctoritatem implorare non desinant. Immo in Capitulis provincialibus et generalibus Superiores conventuum, et mona-

steriorum, seu provinciarum, de observantia huius Nostrae Constitutionis, quoad archiva erigenda et conservanda in suis monasteriis, seu conventibus, rationem huiusce rei exigant.

20. In singulis Capitulis cathedralium, seu collegiatarum quotannis inter ceteros officiales, archivista ex corpore Capituli eligatur. Idem pariter de monacho, seu religioso in monasteriis, seu conventibus Regularium agatur, ubi ceteri officiales a conventualibus, sive a Superioribus eliguntur, qui facultatem habeant eligendi officiales eorumdem monasteriorum, sive conventuum.

21. In reliquis locis piis, sive confraternitatibus, superius memoratis, ubi adest collegium, inter ceteros officiales, ab eo eligi solitos omnino eligatur archivista pro fideli custodia dictorum respective archivorum. Ubi vero non eliguntur officiales ab Ordinario, vel deest collegium eos electurum, atque homo, archivistae muneris capax, tunc rector dicti loci pii custodiat archivum, vel aliquem virum probum et fidelem pro eiusdem custodia deputet.

22. Praelati, sive utriusque sexus Superiores suae ecclesiae scripturas archivo inserendas curent, secundum instructionem, inferius recitandam.

23. Ordinarii priusquam inventarium archivi sui concinnandum curaverint, sedulo inquirant chartas scripturasque usurpatas, alio distractas atque dispersas; quod praesertim, sede vacante, contingere solet, et quaecumque necessaria remedia adhibeant, ut eaedem scripturae archivo restituantur, vel, ubi lateant, manifestetur. Qui non sunt Ordinarii, coram Ordinariis, auxilium iudiciarium praestantibus, agant pro scripturarum recuperatione, inque archivum suum translatione.

24. Decessurus vel ad longum tempus extra dioecesim abiens Episcopus, Praelatus, sive Ordinarius inventarium scripturarum archivi, suo sigillo obsignatum, teneatur omnino dare proprio confessario, aut alicui Superiori Regulari eiusdem civitatis cum syngrapha receptionis tradatur, iuxta memoratam Pii V. Praedecessoris Nostri Constitutionem. Superior autem novo electo Episcopo seu Ordinario, vel antiquo illuc redeunti, idem inventarium tribuat, restituta syngrapha receptionis Superiori. Si tamen obitus iamdicti confessarii, vel Superioris ante novi Episcopi, seu Ordinarii electionem, sive reditum supradictum evenerit, tunc in-

ventarium et syngrapha memorata confessariis eorum, respective, adhibita simili cautione, tradantur, et exsecutioni demandetur quod ipsi, morte praeventi, adimplere nequiverint.

25. Obeunte Praelato, Capitulum antequam ad Vicarii Capitularis electionem deveniat, diligenter inquirat, an inventarium scripturarum archivi episcopalis, quod penes se servare debebat, reperiatur, agnoscatque, an impleta fuerit praedicta Nostra dispositio, qua traditio inventarii, proprio confessario facienda, decernitur, ut Superiori regulari tribuatur: quod inventarium si repertum fuerit, Capitulum illud Superiori regulari, ab eo tute et fideliter usque ad novi Praelati electionem custodiendum, tradere teneatur. Si autem idem inventarium repertum minime fuerit, neque constiterit, fuisse traditum modo, quo supra, tunc debeant duo antiquiores canonici archivi claves penes se suscipere, idemque archivum coram duobus testibus presbyteris non capitularibus, suis propriis sigillis exterius munire, ita ut clavibus minime reserari possit. Nec Capitulum vel Vicarius Capitularis eiusdem archivi sigilla disrumpere, aut reserare audeant aut possint, nisi prius iidem duo canonici antiquiores, fractis sigillis, et aperto archivo coram duobus presbyteris non capitularibus, scripturas ipsas contulerint cum inventario authentico, quod iuxta Nostram hanc dispositionem in eodem archivo servandum est. Si vero minime repertum fuerit inventarium in archivo, iamdicti duo canonici teneantur manu publici notarii accurate duplex inventarium scripturarum archivi, ut supra, conficere, quorum unum in archivo servetur, alterum Superiori regulari, ut supra, tradatur: alias, si huius Nostrae Constitutionis et dispositionis transgressores, exstiterint, et archivum reserare praesumpserint, praeter poenas generales, inferius imponendas, tam Capitulum, quam Vicarius Capitularis obstricti sint cuicumque detrimento, quod inde evenire contigerit, parti et fisco ob scripturas, ex archivo subreptas, necnon aliis poenis, arbitrio successoris Episcopi seu Ordinarii subiaceant.

26. Post obitum Episcopi, claves archivi apud duos canonicos, a Capitulo deputandos, remaneant, nec Commissario Apostolico, sede vacante, ullo pacto tradantur; sed tantum permittatur, ut ille una cum canonicis deputatis, in archivio scripturam aliquam, suae commissioni necessariam, scrutari possit, inde tamen nullam transferat, cum novus Episcopus a Capitulo scripturarum

ex archivio episcopali translatarum, omniumque ad ecclesiam, seu mensam episcopalem pertinentium, rationem exigere debeat, ex Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 16. de Reform.*

27. Ex archivis non liceat efferre scripturas sine Praelati vel Superioris facultate illas exscribendi, easdemque post triduum in suum locum restituendi, ubi syngrapha receptionis, triduano tempore limitata, reponatur. Hanc syngraphan scripturas recipiens sua manu in codice ad hoc retinendo in eodem archivio, subscribat, Ordinariis tamen locorum reservata facultate prorogationis temporis, quae moderate concedatur.

28. Ad processus quacumque occasione postulante facile inveniendos, volumus, ut notarii, tabelliones et actuarii, unius mensis spatio ab expeditione causarum, archivistae eosdem processus quoscumque, criminales, civiles, et quamcumque rem continentes, ecclesiasticam vel temporalem, tradere teneantur, per eum in archivo reponendos atque servandos; quos pariter inventario scripturarum singulatim recensebit sub poena transgressoribus privationis officii, et futurae ad id obeundum inhabilitatis praeter alias poenas, in hac Constitutione sancitas. Ubi archivistas et scripturarum custodes mutari contigerit, hi successoribus suis omnes scripturas, per publicum documentum inde confectum, exhibeant; alias hi aeque ac successores de scripturis deficientibus rationem reddant.

29. Denique, ut prospiciatur conservationi scripturarum, ad ecclesias, parochias, capellanias, altaria, loca pia et causas quoque pias pertinentium, quae per collationem, vel nominationem, seu praesentationem canonicam, vel quocumque alio modo reguntur et administrantur per virum ecclesiasticum vel saecularem, non vero per collegium, et propterea difficilius est archivium, secundum iamdictam instructionem formatum constituere, volumus, ut Ordinarii in suis visitationibus pro suo arbitrio et prudentia eidem scripturarum conservationi provideant, erectionem archivii fieri mandantes, regulasque praescribentes, quas rei aptiores fore cognoverint, subiectae instructioni se conformare pro opportunitate curantes.

30. Omnium et singulorum hactenus expositorum exsecutionem sub praecepto sanctae obedientiae quibuscumque, ut supra, personis, respective iniungimus, ab iisque servari volumus et mandamus; immo rursus Patriarchis, Metropolitanis, Archiepiscopis,

Episcopis, aliisque Ordinariis, habentibus usum Pontificalium, sub poena suspensionis ab eorum usu, arbitrio Summi Pontificis; Capitulis autem ecclesiarum cathedralium et collegiatarum sub poena interdicti; reliquis ecclesiasticis saecularibus in sacris constitutis sub poena suspensionis a divinis: Regularibus utriusque sexus, suspensionis ab officio, et privationis vocis activae et passivae; saecularibus sub poena excommunicationis maioris; quarum censurarum et poenarum absolutio et relaxatio reservetur Romano Pontifici.

31. Curent propterea universi Praelati supradicti et Superiores Regulares omni diligentia quaelibet hac Nostra Constitutione contenta, undequaque observari, ad avertendum praeiudicium grave, quod imminere posset ecclesiis ex occultatione iurium, pro quorum custodia et conservatione ipsi pro viribus laborare tenentur ex onere assumpto in ipso limine receptionis suae dignitatis et muneris; proindeque inobedientes, nedum iuris remediis ad observantiam eorum, quae hac Constitutione vulgantur, cogere possint, sed debitis poenis in eos, qui muneri suo deerint, animadvertere non omittant.

32. Decernimus autem, easdem praesentes de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in ius vel controversiam vocari nunquam posse; sed illas semper perpetuo validas et efficaces fore, suosque plenarios effectus sortiri, atque ita per quoscumque iudices, etiam causarum palatii Apostolici Auditores, et camerae clericos, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

33. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis de non tollendo iure quaesito, et quorumvis Capitulorum, ecclesiarum, monasteriorum, aliorumque piorum locorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et Literis Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, a Nobis et Praedecessoribus Nostris sub quibuscumque tenoribus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, quomodolibet concessis, ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiamsi de illis, illo-

rumque totis tenoribus specialis, specifica et expressa mentio habenda foret, tenores huiusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore alias permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium exemplaribus manu et sigillo cuiusvis publici notarii, vel alterius personae, in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

34. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae institutionis, voluntatis, mandati, statuti, ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo septimo, VIII. kal. Iulias, Pontificatus Nostri anno IV. – P. Card. Prodatarius. – F. Card. Oliverius. – Visa de curia I. Archiepiscopus Ancyranus. – Lucas Martinettus.

§. I. *Instructio de scripturis in archivis reponendis.*

Scripturae reponendae et conservandae in omnibus archivis tam Episcoporum aliorumque Ordinariorum, quam Capitulorum, ecclesiarum cathedralium, collegiatarum et reciptitiarum, collegiorum, seminariorum, convictuum, congregationum, confraternitatum, hospitalium, monasteriorum Regularium utriusque sexus, et aliorum locorum piorum.

35. 1. Fundationes episcopatuum, ecclesiarum, monasteriorum aliorumque locorum modo memoratorum, quarum reperiuntur vel reperiri possunt textus originales seu authentici.

2. Privilegia et concessiones circa spiritualia aut temporalia factae per indultum Summi Pontificis saccularíumve Principum in textu originali vel publice transcripta.

3. Instrumenta, testamenta, codicilli, donationes, emphyteuses, locationes, transactiones, contractus, mandata procurationis, facta pro negotiis in curia episcopali aut alibi, quaeque respective spectant ad loca supradicta, vel causas pias, mensas, bona, reditus, iura et actiones. Talium actuum semper conserventur oportet in archivis textus originales vel authentice transcripti.

4. Pariter conservetur liber, *Platea* nuncupatus, omnium bonorum stabilium, proventuum, iurium et actionum ecclesiarum, locorum causarumque piarum, in quo de acquisitione, tempore, notario, confiniis et delineamentis ipsorum bonorum stabilium distincta fiat descriptio, una cum clarissima adnotatione cuiusvis alius particularitatis et circumstantiae. Neque minus in eodem archivo reponendae et conservandae sunt antiquae *Plateae* aliique libri, qui respective spectant bona et reditus, iura et actiones earundem ecclesiarum, piorum locorum et causarum supradictarum.

5. Item alius liber, in quo consignentur notitiae fundationum, concessionum, privilegiorum et praerogativarum respective ecclesiarum, piarumque causarum supra dictarum.

6. Inventarium mobilium, utensilium, vestium, linteorum et quidquid, sive sacrum, sive profanum, ad dictas ecclesias, loca et causas pias respective pertinet; istud inventarium singulis decenniis ita renovari oportet, ut quidquid consumptum fuerit, auferatur, et adiungatur quidquid de novo acquisitum et comparatum fuerit.

7. Scripturae authenticae et catalogus omnium indulgentiarum, quae concessae sunt, necnon reliquiarum, quae ibi asservantur.

8. Exemplaria transcripta sententiarum, actuum iudicialium, notitiae causarum, controversiarum et litium, in quocunque tribunali sive ecclesiastico sive saeculari, de dignitate, iurisdictione, bonis, reditibus, iuribus, actionibus ecclesiarum, locorum causarumque piarum atque earum mensis respective actae fuerint.

§. II. *Scripturae particulares, praeter supradictas* §. I., *reponendae et conservandae in omnibus archivis Episcoporum ceterorumque Ordinariorum* Nullius, *quique iurisdictione potiuntur quasi-episcopali.*

1. Omnes visitationes earumque decreta de ecclesiis et locis, quaecumque Ordinarii visitationes acceperint.

2. Exemplaria transcripta omnium relationum, quas Ordinarius in visitatione SS. Liminum S. Congreg. Conc. fecit.

3. Omnes delegationes, absolutiones, attestationes, quascunque Episcopus a dicta S. Cong. Conc. circa visitationem SS. Liminum acceperit.

4. Omnes responsiones ab eadem Congregatione factae relationibus Episcopi.

5. Scripturae, quae spectant materiam S. Inquisitionis vel S. Officii, separatim conserventur in armario archivi clauso clavi speciali et munita inscriptione: *Scripturae S. Officii;* clavis autem eiusdem armarii remaneat apud Episcopum aut Ordinarium loci, vel cui Ordinarius destinaverit et Sancti Officii secretum concesserit; quod si opus fuerit aliquam scripturam in dicto armario recognoscere, hoc a dicto Ordinario, aut ab eius deputato, uti supra, praestandum erit.

6. Omnes scripturae vel actus circa beatificationes et canonizationes et circa cultum vel non cultum Servorum Dei iuxta instructiones S. Congreg. Rituum.

7. Omnes scripturae ordinationum seu Ordinum collationum, tam maiorum quam minorum, cuilibet personae factarum.

8. Omnes scripturae collationum vel institutionum beneficiorum, concursuum factorum, renuntiationum aut permutationum, quae secutae sunt, ceterorumque omnium actuum circa beneficia.

9. Scripturae professionis sanctae fidei, quae fieri solet a dignitatibus, canonicis et aliis, iuxta Concilium Tridentinum.

10. Omnes Bullae et instrumenta possessionum, quae beneficiatis cuiuscunque ordinis et gradus et quocunque modo concessae sunt.

11. Omnes scripturae approbationum confessariorum et parochorum, etiam Regularium.

12. Catalogus privilegiorum praedicandi tempore Quadragesimae et Adventus, aliarumque licentiarum praedicandi intra annum, sive Regularibus factae sint, sive saecularibus.

13. Catalogus licentiarum parochis aut canonicis, sacerdotibus et clericis concessarum, vi quarum ex dioecesi discedere possunt muniti literis testimonialibus.

14. Literarum dimissoriarum, vel testimonialium et commendatitiarum.

15. Licentiae loquendi et ingrediendi in monialium monasteria.

16. Omnes scripturae explorationis voluntatum pro novitiis. Instrumenta dotum Monialium necnon licentiarum iisdem concessarum faciendae professionis, et aliarum rerum ad Moniales pertinentium.

17. Omnia decreta auctoritatisque interpositiones pro renunciationibus, quas novitii et novitiae ante professionem faciunt.

18. Decreta interposita in causis alienationis bonorum ecclesiasticorum, factae cum auctoritate Ordinaria vel Apostolica.

19. Omnia praecepta et decreta cuiusvis generis, quae facta sunt personis ecclesiasticis aut laicis in causis spiritualibus, aut ad forum ecclesiasticum spectantibus.

20. Omnia statuta, regulae et ordinationes cuiuslibet ecclesiae in urbibus et dioecesi.

21. Scripturae respicientis ad fundationes ecclesiarum, locorum piorum, altarium et instrumenta talium fundationum.

22. Scripturae consecrationum earundem ecclesiarum, altarium, caemeteriorum, et campanarum una cum registro faciendo in libro ad hoc destinato.

23. Scripturae de concessione indulgentiarum, et circa exsecutionem datam Brevibus Apostolicis pro iisdem indulgentiis.

24. Scripturae erectionum fontis baptismalis, et fundationum, unionum aut suppressionum paroeciarum, beneficiorum et capellaniarum.

25. Omnes scripturae spectantes sac. seminaria.

26. Acta omnium Synodorum.

27. Scripturae respicientes celebrationes matrimoniorum, remissiones denuntiationum, necnon acta statuum liberorum.

28. Scripturae respicientes materias divortii aliarumque causarum matrimonialium.

29. Scripturae spectantes exsecutionem dispensationum matrimonialium, atque aliae Literae Apostolicae.

30. Omnia registra Bullarum Ordinariarum, necnon Apostolicarum ad Episcoporum Curias directarum.

31. Omnes literae monitoriales, *ad finem revelationis*, earumque acta.

32. Scripturae inventariorum bonorum stabilium, mobilium, semoventium etc. *in forma, saltem generice:* omnium ecclesiarum omniumque locorum piorum civitatis et dioeceseos.

33. Omnia edicta quocumque modo et quacunque in materia facta, una cum eorum registro in libro ad hoc destinato.

34. Omnes lites et actiones civiles, criminales et mixtae fori Episcoporum.

35. Omnes sententiae in causis modo dictis, et compositiones factae cum reis et inquisitis in Curia Episcoporum.

36. Omnes scripturae mulctarum et poenarum, una cum earum registro in libro ad id destinato.

37. Scripturae supplicationum et absolutionum.

38. Omnes scripturae expostulatae a notario sive Cancellario Curiae episcopalis, uti Cancellario dictae Curiae.

§. III. *Scripturae particulares reponendae et conservandae in omnibus archivis Capitulorum ecclesiarum cathedralium et collegiatarum praeter alias memoratas in* §. I.

1. Statuta particularia horum Capitulorum eorumque confirmatio a S. Sede aut Ordinario obtenta. Et pro ecclesiis collegiatis instrumentum erectionis Apostolicae.

2. Liber actuum capitularium.

§. IV. *Scripturae particulares reponendae et conservandae in ecclesiis parochialibus praeter citatas in* §. I.

1. Erectio in parochias.

2. Libri baptizatorum et confirmatorum, matrimonio coniunctorum et defunctorum: in quibus a parochis modo fideli ac debito descriptiones fieri debent.

3. Status animarum parochiae.

4. Registrum exactionis annuarum decimarum, quo iugis continuatio vel mutatio appareat.

§. V. *Scripturae particulares, praeter memoratas in* §. I., *quae reponi et conservari debent in omnibus archivis monasteriorum et conventuum Regularium.*

1. Erectio et fundatio monasterii sive conventus, et facultas Apostolica obtenta.

2. Liber, in quo registrantur dies, mensis et annus ingressus novitiorum eorumque professionis in monasteriis et conventibus, in quibus novitii recipiuntur et professiones peraguntur.

3. Liber, in quo notantur filiationes et transfiliationes Regularium, conventuum et monasteriorum, in quibus dictae filiationes et transfiliationes fiunt.

§. VI. *Scripturae particulares, praeter citatas in* §. I., *reponendae et conservandae in omnibus archivis monialium et conservatoriorum.*

1. Fundatio monasterii necnon decretum S. Congregationis aut Breve Apostolicum circa clausuram.

2. Exemplare regularum et statutorum in monasterio.

3. Status monasterii, et numerus monialium et conversarum, ab Ordinario praefixus iuxta S. Concilium Tridentinum, una cum dote monialium ibi degentium.

4. Liber, in quo novitiarum ingressus ac professiones registrantur.

5. Professiones monialium originales, quae diligenter conservandae sunt.

6. Liber resolutionum capitularium.

§. VII. *Scripturae particulares, praeter supradictas in* §. I., *reponendae ac conservandae in archivis confraternitatum.*

1. Erectio et approbatio confraternitatum.

2. Aggregatio, si qua facta sit ad archiconfraternitates Romanas.

3. Statuta particularia earumdem, et approbatio S. Sedis et Ordinarii, si qua est.

4. Indulgentiae ab his confraternitatibus obtentae.

5. Liber congregationum et resolutionum, quae in iis fiunt.

6. Tituli omnium supradictarum scripturarum notentur in loculamento et in parte exteriori earundem, quo maiori facilitate inveniri possint.

Nonnulla superadduntur ad hanc materiam pertinentia.

36. Balneoregiensis Episcopus in sua relatione an. 1817. postulatum, quod sequitur, adiiciebat. Narrabat, in primis, se publice legem locorum piorum administratoribus, et quibuslibet beneficiatis fecisse, ut inventarium conficerent iuxta formulam in Concilio Romano praescriptam, idemque ut iuramento proprio subscriberent, et episcopali cancellariae exhiberent, adiecit, statuta

contra violatores poena pecuniaria scutorum quinque piis usibus applicandorum. Quae res cum affinitatem habeat cum iis, quae modo posuimus, dubia et resolutiones heic non desiderari statuimus. Dubia, quae paulo post exhibebimus, de more disceptabuntur in *folio*, quod legere est ad diem 24. Martii 1821. *in Balneoregien. VV. Sacror. Liminum.* Eadem vero dubia resoluta sunt die 14. Aprilis *insequentis* cum hisce formulis:

1. *An omnes, quorum mentio fit in tit. 12. cap. 1. Conc. Rom., adigendi sint ad exhibendum legale inventarium iuramento firmatum in casu?*

Et quatenus affirmative,

2. *An tale inventarium renovandum sit singulis decenniis in casu?*

3. *An contra reluctantes procedi possit poena pecuniaria iam comminata, seu potius ea derelicta, satius sit censuras et poenas in dicto Conc. Romano statutas per novam notificationem imponere in casu?*

Emi Patres *die dicta* rescripserunt:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Dilata, et Episcopus transmittat particulas Synodorum.*

Ad 3. *Affirmative ad primam partem, et quoad secundam arbitrio et prudentiae Episcopi.*

Iterum die 25. Ian. 1823. proposito secundo dubio, Episcopus nihil aliud, quod eo spectaret, transmisit praeter particulam celebratae synodi Fulginatensis Baptistelli, in qua inventarii confectio in singulos quosque decem annos praescribitur. Quamvis autem animadverteretur dispositionem unius dioecesis non posse alteri dioecesi accommodari, nihilominus Eminentissimi Patres ob paritatem rationis rescribendum censuerunt:

Affirmative, arbitrio Episcopi.

37. Dispositio a Conc. Romano praescripta, de qua res est in primo dubio, conformis est Motui-proprio s. m. Sixti V., qui in appendice eiusdem Concil. exhibetur. Huiusce Motus-proprii a Sixto V. promulgati ratio habetur etiam in allata Constit. Benedicti XIII. incipien. *Maxima vigilantia.* Itaque ad maiorem huius argumenti cognitionem, Sixtinam hanc sanctionem afferre non praetermittimus; eadem tenoris est, ut sequitur:

Motus-proprius felicis recordationis Sixti Papae V. sub die 29. Aprilis 1587. circa revocationem officii archivistae ecclesiastici generalis in Urbe, et confectionem inventariorum, seu platearum bonorum omnium, ad singulas ecclesias, et loca pia quaelibet spectantium in Italia.

Motu-proprio, etc. Provida Romani Pontificis circumspectio revocat interdum, iustis suadentibus causis, atque abrogat ea, quae, licet ab initio utilia fore viderentur, usus tamen et experientia docet, nimium incommodi, nimium difficultatis, molestiae aut perturbationis afferre. Quod nuper in erectione archivi generalis ecclesiastici, in quo omnia inventaria rerum, bonorum ac iurium et scripturarum pertinentium ad ecclesias et pia loca per universam Italiam constituta recondere, et in palatio Nostro Apostolico asservare meditabamur, rei ipsius difficultas satis aperte monstravit. Ideoque, etc., sicut nuper audivimus, quod in multis ecclesiis et locis huiusmodi archiva antiquitus instituta reperiuntur, et in nonnullis Italiae provinciis per Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Praelatos et locorum Ordinarios, in visitationibus ordinariis seu generalibus, quas in suis civitatibus, dioecesibus, districtibus et provinciis, ordinaria vel alia auctoritate faciunt, inter alia, omnium bonorum mobilium et stabilium, iurium, censuum et redituum, ad singulas ecclesias et quaecumque beneficia ecclesiastica, quas et quae visitant, spectantium, inventaria et instrumenta conficere solent, et in eorum curiis asservant: idemque a reliquis etiam Episcopis et Praelatis per Italiam constitutis, haud magno incommodo, labore et negotio fieri posse sperantes, et aliis rationabilibus de causis, atque ad publicam quietem et commodum universi cleri saecularis et regularis totius Italiae, erectionem et institutionem, tam archivi generalis ecclesiastici, quam ipsius officii archivistae generalis etc. supprimimus et exstinguimus; mandantes universis et singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, aliisque Praelatis et Praesidentibus ecclesiarum, monasteriorum, universitatum, collegiorum et praeceptoriarum maiorum, ac similium ecclesiasticarum dignitatum, quocumque nomine censeantur, saecularium et quorumvis Ordinum ac Militiarum regularium, Nobis et S. Sedi Apostolicae immediate subiectorum, sive Nullius sint dioecesis, sive alias quomodolibet exempta existant, dum tamen ordinariam in subditos, aut quasi-episco-

palem iurisdictionem, de iure et consuetudine aut privilegio habeant, aut exerceant, per Italiam constitutis, ut loco archivi generalis ecclesiastici, sic per Nos suppressi, ipsi et eorum unusquisque, qui hactenus inventaria huiusmodi non confecerunt, debeant omnino intra annum, a die, quo praesentes Nostrae ad eorum notitiam pervenerint, omnium et quorumcumque bonorum immobilium, censuum, canonum, livellorum, proventuum annuorum, iurium, iurisdictionum ac privilegiorum et scripturarum, quae eis eorumque arbitrio annotatione digna videbuntur, ad ecclesias, monasteria, collegia, universitates, praeceptorias maiores et dignitates, quibus ipsi respective praesunt, pertinentium, et in quorum possessione existunt, inventaria diligenter conficere, et deinde quicumque eorum in regimine, seu administratione ecclesiarum, monasterorium, collegiorum universitatum et praeceptoriarum maiorum, seu in dignitatibus huiusmodi successores fuerint, similiter intra annum, a die habitae possessionis, similia inventaria de novo conficere, seu renovare teneantur. Curent praeterea, sine ulla impensa, gravamine, exactione, aut solutione suorum subditorum, per omnes et singulos, qui vel eorum iurisdictioni quomodolibet subiecti sunt, vel in eorum civitatibus, dioecesibus et districtibus respective existunt, etiamsi exempti, et pariter Nobis ac dictae Sedi immediate subditi esse noscantur, Abbates, Praepositos, Priores, Vicarios, Guardianos, Abbatissas, Priorissas et cuiuscumque ecclesiae vel pii loci, saeculares vel regulares et alios, quocumque titulo et nomine praefectos utriusque sexus, bona stabilia, iura, census, reditus et proventus quomodolibet possidentes, ceterasque personas ecclesiasticas, quascumque dignitates, personatus, administrationes vel officia, aut beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, saccularia et quorumvis Ordinum regularia in quibusvis ecclesiis, seu ipsas parochiales, aut alias ecclesias, in titulum vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes: praeceptores quoque minores et alios, qui beneficia quarumcumque Militiarum obtinent; denique per omnes et quoscumque administratores, rectores, custodes, officiales, operarios et quocumque nomine nuncupatos Superiores quorumcumque hospitalium, sodalitatum, confraternitatum, seminariorum, Montium pietatis, collegiorum, studiorum generalium, fabricarum ecclesiarum, et piorum vel religiosorum locorum, etiam quae per laicos seu clericos, coniunctim

vel divisim regi aut gubernari solent, per modernos quidem, intra eumdem annum, ut praefertur, eorum vero singulorum pro tempore successores etiam intra annum, ut dictum est, inventaria huiusmodi bonorum ac aliorum supradictorum, quae eorum curae seu administrationi commissa sunt, similiter accurate et diligenter confici, et ad se deferri; eosque ad id per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia sibi benevisa cogant et compellant. Ac demum inventaria omnia praedicta, tam a se ipsis, quam ab aliis confecta, similiter gratis et sine ulla, etiam minima, impensa aut exactione, in loco congruo, ad id deputato ac tuto et bene clauso reponant, atque perpetuo custodiant et conservent; laudabilemque hanc consuetudinem, ubi iam viget, prosequantur, ubi vero non est, quamprimum introducant etc. Non obstantibus praemissis etc. ceterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis et consuetis.

Fiat. Motu-proprio F.

Et quod etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, tertio Kalend. Maii, anno secundo.

38. In civitate Venetiarum adest Prioria in ecclesia S. Mariae a Misericordia, quae iuripatronatus obnoxia est nobilissimae familiae Morolin. A tempore immemorabili curia patriarchalis canonicam eiusdem prioriae institutionem concedere solita erat, sed item ab immemorabili tempore hoc inductum fuerat, ut cum Priore rectore vacaret, familia patrona bonorum ad eamdem pertinentium administrationem gereret, Quae res cum Emo Patriarchae dubitationem et anxietatem iniiceret, declarationem a S. C. Episc. et Regul. exoravit. Itaque Emi Patres rescripserunt die 1. Sep. 1865.: *Firmo remanente iure curiae patriarchalis dandi canonicam institutionem, in reliquis servetur consuetudo.* At vero instante pro novo causae examine Emo Patriarcha circa secundam partem, die 9. Martii 1866. Emi Patres, recedendo a decisis declaraverunt, quod *quilibet novus beneficiatus curiae patriarchali inventarium tradere teneatur, et Ordinarius in casu negligentiae administratorum possit ab eis rationum redditionem exigere, et amplius.*

—

XXII.

Clementis XIII. Constit. Praestat Romanum Pontificem *de consuetudine quoad immunitatem ecclesiasticam.*

(Ad pag. 269. vol. I.)

Summarium. 1. Exordium. – 2. Refertur peculiaris casus controversiae exortae in hac iurisdictionali materia. – 3. Quamplurimae querelae exortae sunt quoad hanc iurisdictionem. – 4. Servanda est consuetudo cumulativae ecclesiasticae iurisdictionis, quatenus legitime constituta sit. – 5. Decernitur, quaenam habenda sit consuetudo legitime constituta.

1. Praestat Romanum Pontificem, utramque, quam habet in subditos suos iurisdictionem, tum ecclesiasticam, tum saecularem, ita in suos magistratus derivare ac distribuere, ut bonus inde ordo, non ordinis perturbatio contingat, nec detrimenti quidquam iustitia patiatur.

2. Accepimus nuper, gravem agitari litem inter curiam episcopalem et curiam laicalem civitatis Tuderti super iure cognoscendi causam furti, ut aiunt, qualificati, cuius reus, cum ab homine laico ad tribunal Episcopi accusatus fuisset, laicus alter, quem curia episcopalis, recepta accusatoris querela, carceribus mancipari iusserat, conquestus de hoc fuit Rector civitatis causatus, iudicium de furto, quod a laico in laicum de re profana patratum fuerat, ad suam iurisdictionem pertinere. Repugnabat autem curia episcopalis, quod legitima consuetudine praescripsisse se diceret cumulativam iurisdictionem cognoscendi etiam causas criminales laicorum. De qua re disputatum diu fuit in Congregatione praeposita negotiis sacrosanctae Immunitatis, quae principio iussit proferri acta curiae episcopalis ad huius consuetudinis probationem; mox, data defensoribus fisci scribendi copia, licet in tertia propositione existimaverit, huius criminis causam ad curiam episcopalem pertinere, in quarta tamen anceps iudicium fuit, scissis in aequas partes suffragiis, quod, cum Nobis causae celeriter expediendae decisionem, reo interim in carceribus permanente et marcescente, longius protrahere videretur, illam idcirco a praedicta Congregatione ad Nos avocavimus, praecipientes curiae episcopali Tuderti, ut reum traderet curiae Rectoris civitatis, nulla interposita mora, iudicandum.

3. Nunc vero, cum ex huius iudicii contentione et ex aliis, quae Nobis delatae sunt, magistratuum saecularium quaerelis intellexerimus, facile nimium in ditione Nostra, ex quadam hominum conniventia perturbari et commisceri coepisse fines utriusque iurisdictionis ecclesiasticae et saecularis, et hinc multa oriri impedimenta et obstacula in exercenda et administranda ea praesertim iustitia ad publicam vindictam criminum pertinente, quam neque differri, neque remitti posse sine gravissimo reipublicae detrimento arbitramur. Volentes idcirco his omnibus providere, praesentem hanc Constitutionem, qua finis abusibus imponatur, promulgandam statuimus.

4. Itaque, quum sacris canonibus sancitum sit, in profanis omnibus causis actorem sequi forum rei, qui, si clericus sit, vel foro ecclesiastico aliunde gaudeat, in foro ecclesiastico, sin autem laicus, in foro laicali, exceptis tamen causis mixti fori, sive aliter privilegiatis, conveniri debeat, idque perpetuo servari oportere, ni alias laudabilis locorum consuetudo induxisset, ut causae etiam laicorum, specie quadam cumulativae iurisdictionis, ad forum Ecclesiae traduci possint: Nos quoque, quibus maxime cordi est, quidquid sacris canonibus cautum reperitur, studiose servare ac tueri, consuetudinem eiusmodi, quae ecclesiasticae iurisdictioni favet, sive inductam, sive inducendam non in civilibus modo, sed etiam in criminalibus causis probamus, laudamus, eamque sartam tectamque manere iubemus, nihil quidquam de eius vi et robore detrahentes, neque aliquid desuper innovantes.

5. Sed quoniam experientia compertum est, praetextu quandoque consuetudinis, vel minus legitimae, vel non omnino constantis, neque a legitimis ductae principiis, facile nimium moveri, nonnullas huius Nostrae ditionis curias episcopales et ecclesiasticas, ut praeoccupata magistratuum saecularium iurisdictione, ad se trahant cognitionem criminum etiam gravissimorum, quorum reos licet laicos, neque foro ecclesiastico ullatenus gaudentes, cum apud eas accusantur, carceribus statim mancipant, eosque tradere renuunt curiis Nostris saecularibus iuste puniendos: bonum idcirco duximus praesenti hac Constitutione, ut abusibus occurratur, declarare, quae et qualis esse debeat legitima secundum canones consuetudo, qua curiis episcopalibus et ecclesiasticis ius esse possit de reorum laicorum causis criminalibus cognoscendis et iudicandis. Igitur non omnem ad id consuetudinem,

sed illam tantum valere iubemus, quae et quadragenaria sit, et perpetuo constans, non unquam vel contradicta, vel interrupta. Praeterea constitui eam volumus multiplicitate, ac frequentia actuum non levium sed gravium, quos constet gestos fuisse animo praescribendi iurisdictionem saecularem, non ex gratia vel conniventia toleratos, neque tales, qui fieri fortasse potuerint citra certam praecisamque scientiam et acquiescientiam, vel Nostram, Nostrorumque pro tempore Successorum, vel saltem supremorum magistratuum Nostrae huius Urbis, quos praecipue ad publicam persequendam vindictam criminum proponere consuevimus: nullam prorsus in re tam gravi haberi mandantes rationem de scientia ac patientia rectorum localium, aliorumque inferiorum magistratuum saecularium, quibus quandoque vel oscitantibus, vel metu quodam reverentiali conniventibus, ac tolerantibus nequaquam licere, ac licuisse statuimus, gratia, acquiescentia ac patientia sua legitimam facere consuetudinem, qua mandata eis iurisdictio, perturbato utriusque potestatis ordine, minuatur. Si ea itaque consuetudo afferatur, qualem modo statuimus, illam volumus custodiri ac servari, inductam vero aliter reprobamus, et nullius esse roboris Nostra hac Constitutione decernimus.....

XXIII.

Bened. XIV. Literae Apostolicae Cum semper oblatas *super obligatione canendi et applicandi Missam conventualem a Capitulis pro benefactoribus in genere, a parochis pro populo eisdem concredito.*

(Ad pag. 276. vol. I.)

Summarium. 1. Pontifex pastoralem sollicitudinem cum Episcopis libenter communicat. De applicatione Missae pro populo, et conventualis pro benefactoribus in genere frequenter egerunt doctores, et declarationes Sacrae Congr. Conc. Quibus inhaerens Summus Pontifex praesentes literas promulgat, appellatione remota, exsequendas. – 2. Applicationem Missae pro populo parochis iniunxit Concilium Tridentinum et Apostolica Sedes ope Sacrae Congregationis Concilii. – 3. At vero varia effugia quaeruntur, ut eadem declinetur. – 4. Ad eam tenentur etiam vicarii amovibiles ac temporarii, necnon parochi regulares. – 5. Quin excuset defectus congruae, aut qualiscumque contraria consuetudo. – 6. Eadem coercetur ad festos dies dumtaxat. – 7. Inter festos comprehenduntur illi, quibus populus tenetur Missam audire, data ceterum venia, ut servilibus operibus incumbere possit. – 8. Facultas datur Episcopis, ut cum

parochis pauperibus ab hac applicatione diebus festis dispensent, modo hi in ecclesia parochiali celebrent, et totidem Missas pro populo infra hebdomadam applicent. – 9. Vicarii temporales congruis reditibus ad hunc effectum providendi sunt, eaque de re agendum est cum collectoribus camerae Apostolicae. – 10. Circa vicarios perpetuos, vel etiam amovibiles providendum est iuxta formam in Const. S. Pii V. traditam. – 11. Missa conventualis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis quotidie celebranda est, et pro benefactoribus in genere applicanda. – 12. Neque suffragatur applicatio in specie pro certo benefactore. – 13. Neque pariter alterius generis preces, vel stata sacrificia anniversaria. – 14. Ratio et origo applicationis Missae conventualis. – 15. Ad eam declinandam plures excusationes afferuntur. – 16. Sed neque immemorabilis consuetudo suffragaretur. – 17. Qui eodem die alio diverso onere premitur, hoc per alium implere debet. – 18. Eleemosyna, quatenus opus sit, ex massa distributionum desumenda est. – 19. Accedente reditiuum tenuitate dispensatio a S. Congr. Conc. conceditur. – 20. Quando secunda ac tertia Missa applicanda sit. – 21. Quae circa hanc quaestionem fuerint Sacrae Congregationis responsa. – 22. Pontifex absolvit ab applicatione secundae Missae tum, cum in usu receptum fuisse deprehenditur. – 23. Commendat accuratam in choro psallendi rationem. – 24. Declarat, canonicos ubique ad psallendum per se ipsos teneri, quin suffragentur praesumpta privilegia et consuetudines.

Cum semper oblatas Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero maiori animi alacritate idipsum praestamus, cum ad excitandum Fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in clero regimini vestro commisso, praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse confidimus, quam si divini cultus augmentum, atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis dioecesibus custodiam, religiosae vigilantium pastorum curae, identidem inculcando, commendemus.

1. Huius porro Epistolae ad vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit applicandi Missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio Missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in ecclesiis parochialibus,

metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cuius quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; cumque ea res in huius Almae Urbis Nostrae Congregationibus, et potissimum in Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, cuius Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa, ac definita fuerit; quamvis earumdem Congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificiam Praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, encyclicam hanc Epistolam ad vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans huius Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat, et Fraternitatibus vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, iuxta quam synodales aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem vobis iniungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exsecutionem, dum iuxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem, aut moram afferre valeant recursus ad huius Nostrae Curiae tribunalia forsitan habendi, utpote quos omnino reiiciendos esse praecipimus ac iubemus. Quamobrem has ipsas Literas Nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum, tam ipsorum tribunalium resolutiones quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, iudicia exigi et conferri mandamus.

2. Et quidem, quod nuper enuntiavimus, sacrosanctum Missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id, veluti ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur *Sess. 23. cap. 1. de Reform.* per haec notabilia verba: « *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves*

suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. » Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes huiusmodi obligationem a sancta Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint; cum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, cumque praedicta Congregatio eiusdem Concilii interpretationi privative praeposita, constanter edixerit, eos, quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare, aut pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, cum haec intelligentia a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata; nihil iam amplius ulli vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti, eidemque obsequi, necnon illius promptam exsecutionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

3. Neque nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes, munus Secretarii praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae cathedralis, partim in metropolitanae Bononiensis patriae Nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam, Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

4. Quum enim sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eamdem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in *Sess. 6. cap. 2., Sess. 7. cap. 5. et 7., Sess. 21. cap. 6., Sess. 25. cap. 16.;* non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante vicarius pariter ad implenda huiusmodi ecclesiae onera, usque ad novi rectoris electionem ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id iubente, *Sess. 24. cap. 18. de Reform.;* nonnulli ex huiusmodi vicariis nituntur seipsos a praedicta obligatione subtrahere vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles vel ad breve tempus huiusmodi curae sint addicti; ut nihil hic lo-

quamur de parochis regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro populo nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicut etiam pluries a praelaudatis Congregationibus iudicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum parochi aut vicarii saeculares, verum etiam parochi aut vicarii regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque, etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

5. Nonnulli vero, ad evitandum huiusmodi obligationis implementum, allegare solent, congruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes, id neque sibi, neque decessoribus suis, per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones Nostram approbationem et confirmationem extendimus, et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod, licet parochi, seu alii, ut supra, animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemoriali consuetudine in ipsorum dioecesibus, seu parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes Missae sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie aut quotiescumque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacrosancta Tridentina Synodus *Sess. 23. cap. 14.* praecipit Episcopis curare, ut sacerdotes, saltem diebus Dominicis et festis solemnibus Missarum sacra faciant, *si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent;* in pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, parochum nempe pinguibus reditibus dotatum

quotidie pro populo celebrare et applicare debere; eum vero, qui uberioribus huiusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; cum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochiales proventus, ut pingues et uberes appellari possint; quoniam pingues minime habendi sunt reditus, etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus huiusmodi decretum, tamquam plus aequo rigidum, excitatae Nobis innotescant; idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto; cum praedicti dominici aliique festi dies ii sint, in quibus iuxta praeceptum Conc. Trid. *Sess. 5. cap. 2* et *Sess. 24. cap. 4.*. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, iidemque sint dies, de quibus eadem sancta Synodus statuit, *ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei;* et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debent, iuxta id, quod a praedicto Concilio in *citat. cap. 4.* Episcopis praecipitur, ut nempe *saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.*

7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto de Apostolica auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christifideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium, Nos, ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in huiusmodi diebus festis, penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare tenentur.

8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui, ecclesia parochiali vacante, ad animarum curam exercendam, sub vicarii seu oeconomi nomine, deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum ipsis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum huiusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset eleemosynam pro applicatione Missae recipere; idcirco Nos tam istorum, quam illorum inopiam summopere miserantes, eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis pro populo celebrare et applicare; attamen quod pertinet ad praedictos parochos egentes, unicuique vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent: ea tamen adiecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

9. Quod autem spectat ad vicarios sive oeconomos ecclesiarum vacantium, cum a sacro Tridentino Concilio *cit. Sess. 24. cap. 18.* cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi *cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione*, vestrum erit, venerabiles Fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti vicario, qui exigua huiusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur, pro onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, op-

portuna thesaurario Nostro generali mandata dirigimus, quae is denuntiare non praetermittet peculiaribus locorum dictorum collectoribus, cum quibus Episcopi ecclesiasticae Nostrae ditionis, caeterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

10. Ac demum, quoad illos, qui tamquam vicarii, sive perpetui, sive ad tempus constituti, animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicuius ecclesiae parochialis, ipsorum ecclesiis seu monasteriis, collegiis, aut locis piis olim unitae, quamvis a recol. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum huiusmodi vicariis assignanda, prout in ipsius Constitutione, quae incipit « *Ad exsequendum* » data calendis Novembris anno 1567. distincte statuitur: nihilominus ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo, vel non integre vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a Nobis reputetur, propter temporum circumstantias, et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 7.*, dum illorum arbitrio permisit, iuxta temporum atque iniunctorum onerum rationem, congruam praedictis vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis, aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

11. Haec igitur circa Missam parochialem statuenda et Fraternitatibus vestris denuntianda iudicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quae pertinent ad Missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa conventualis celebretur, quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia unifor-

mes existunt resolutiones ab hac Congregatione venerab. Fratrum Nostrorum Conc. Trid. interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, earum exsequutionem vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a clero praedictarum ecclesiarum, pro earumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur, eodem prorsus modo, quo Missam parochialem ab his, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso, singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.

12. Itaque date operam, ut falsam quorumdam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis eiusmodi, sive dolo malo, sive per errorem invectam esse novimus: quod nempe dum Missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae conventualis. Etenim huiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent et Missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit, quam ea, quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit, nimirum Missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eamdemque pro illis in genere applicando.

14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam temporibus haud longe a Nostra aetate remotis (quod vos ex historia Ecclesiae didicisse non dubitamus), servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae sacrificium offerretur; quam ob

causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum huiusmodi diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione iacent alicubi complurium benefactorum nomina; at non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

15. Quemadmodum vero, loquendo de Missa parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere, ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto, ita pariter usuvenit quoad applicationem quotidianam Missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide e medio sublatae fuerunt per opportunas Congr. Concilii resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate Nostra approbamus et confirmamus.

16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab huiusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum iam pluries responsum fuit, huiusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

17. Alii a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus, aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent, vel quia praeter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali, seu collegiata, cum etiam in eadem, vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum Missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, iubendo singulis praedictis, ut Missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefa-

ctoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam huiusmodi celebret applicetque.

18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa conventualis non semper a canonicis, aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis, aut mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat, ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

19. Alii denique obtenderunt exiguitatem huiusmodi distributionum, quae ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa conventuali ad nihilum fere redactae vix foret, ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus *Sess. 24. cap. 15.* opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cuius erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica a Praedecessoribus Nostris eidem impertita, et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis iniunctum reperitur, ut quotidie Missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae atque etiam aliquando tres Missae conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest, an earumdem ecclesiarum Capitula iurisdictioni vestrae respective subiecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

21. Huiusmodi quaestio ab aliquibus ex vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi venerabilium Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Interpretum proposita est. Iamque

ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam Missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, huiusmodi applicationis debitum manere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

22. Verum cum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, cumque huiusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper iudicio Nostro remittendam esse censuerit, Nos ita iudicamus idque vobis tenendum indicimus: laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem Missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque Missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.

23. Huic demum Epistolae Nostrae finem imponentes, Fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris, praeter devotam celebrationem debitamque applicationem Missae conventualis, horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur.

24. Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, inter canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu se adiungant. In huiusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. At cum Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 12.* loquens de dignitatibus et canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, *in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare;* cumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a canonicis in choro assistitur, ideoque re-

ceptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; cumque insuper opinio illa nunquam in Congregatione Conc. Trid. interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium huius Nostrae Urbis super hoc instantibus; cum denique idem iudicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis provincialibus, ab hac etiam Apostolica Sede approbatis et confirmatis; nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam, absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit Apostolicum non praesumptum, vel abrogatum, sed legitimum ac vigens privilegium sive indultum, iure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter, ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, venerabiles Fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis, neque vobis, apud divinum Iudicem fraudi sit, si in huiusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio Nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea, Fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 19. Aug. 1744. Pontificatus Nostri anno quinto.

XXIV.

Dubia Indultorum.

(Ad pag. 295. et 307. vol. I.)

Summarium. 1. Innocentius XII. Congregationem particularem instituit, eaque censuit, indulta quoad Nuntios, intimos et SSmo D. N. familiares, Subdatarium et Commissarium Camerae Apostolicae non esse immutanda. – 2. Quoad gubernatores, vicelegatos provinciarum et locorum Status ecclesiastici, durante absentia, necnon quoad procuratores Montium

ac familiares Cardinalium (firmo circa caudatarios decreto anni 1690.) indulta esse revocanda, nec amplius concedenda. – 3. Quoad inservientes Congregationi pro negotiis temporalibus in posterum concedenda pro diebus et horis, onerata conscientia. – 4. Causa studiorum concedenda pro fructibus tantummodo beneficii amissis, et si distributiones stant loco praebendae, duas partes lucrifieri, tertiam amitti; eadem indulta ad triennium, et non ultra aetatem annorum viginti quinque esse limitanda. – 5. Indultarios pro diebus et horis esse punctandos, sed puncta esse delenda post allegatum circa sua munera impedimentum, onerata, et standum esse iudicio vicarii basilicarum vel dignioris canonici. – 6. Quanam de causa SSmus indulta huiusmodi iterum expendi voluerit. – 7. S. Cong. eadem indulta causa studiorum, vel causa valetudinis elargiri semper consuevit. Infirmitas et rationabilis corporis necessitas et evidens ecclesiae utilitas excusat a choro, nec distributionum privationem importat. Quaenam sint distributiones dictae *inter praesentes*. Eae non percipiuntur ab iis, qui absunt a choro etiam ex iusta causa, vel ex Apostolico indulto. – 8. Et quando has easdem lucrandi ius Apostolica Sedes indulget, excipiuntur eae, quas ex disponentium voluntate a physice praesentibus dumtaxat acquiri cautum est. – 9. Aliud est indultum non interveniendi choro pro diebus et horis; aliud non residendi in loco beneficii. Hoc alterum difficilius conceditur, et quaenam ratio sit. – 10. Indultum abessendi concedi solet praedicatoribus Adventus et Quadragesimae. – 11. Conceditur lectoribus sacrae theologiae in Universitatibus. S. Congregatio idem concessit archipresbytero Caliendi pro horis matutinis, in diebus lectionum, ad biennium in *Feretrana*. – 12. Excepto casu necessitatis, indultum non conceditur canonicis, qui occupati sunt in excipiendis confessionibus in ecclesia vel extra; qui Missam privatam legunt, qui missiones praebent extra urbem, aliaque exsequuntur pietatis officia. Ex speciali indulto punctandi non sunt, qui per decendium in Quadragesima catechismum explicant. – 13. Qui privatarum personarum, etiam Cardinalium, servitio addicti sunt, indulta non consequuntur. Neque etiam ratione muneris in Romana Curia. – 14. Coadiutoribus non conceditur indultum causa studiorum. Neque etiam ratione muneris in Romana Curia. – 15. Sacra Congregatio resolvit, indulta abessendi pro addictis Sanctae Sedi in ecclesiastico vel temporali munere esse confirmanda et concedenda pro diebus et horis amissis distributionibus inter praesentes, aliter esse agendum, si absint ab Urbe, exceptis Nuntiis et Internuntiis, inservientibus in Congregationibus ecclesiasticis esse concedenda pro diebus et horis, inservientibus capellae Pontificiae esse concedenda pro diębus et horis, amissis, onerata, et iuxta alias cautiones, quae hoc in loco recensentur. Lectoribus in publicis Universitatibus concedenda pro diebus et horis. Excipientibus confessiones, vacantibus exer-

citio missionum, aliisque pietatis operibus non esse concedendum indultum, idem dic de coadiutoribus privatae personae famulantibus, exceptis caudatariis iuxta decretum anni 1690., tandem iuxta hasce resolutiones moderanda praeterita indulta, et in posterum esse concedenda dumtaxat a S. C. Conc.; non valere, nisi post exsecutoriale decretum.

1. Ut basilicarum et collegiatarum Urbis frequentiori servitio, divinique cultus splendori prospiceret s. m. Innoc. XII., particularem Congregationem deputavit, quae, ad examen revocatis omnibus indultis sive ratione munerum, sive studiorum causa concessis, pro exemptione a chorali servitio, *moderationes, reformationes,* ac etiam *revocationes,* quae opportunae visae fuissent, proponeret.

Re mature perpensa, quid censuerit Sacra illa Congregatio, ex quinque S. R. E. Cardinalibus et quatuor Praesulibus coacta, patet ex sequenti decreto diei 2. Maii 1693.

« Censuit, si SSmo D. N. placuerit, indulta quoad Nuntios » Apostolicos, necnon intimos et eidem SSmo actu inservientes » familiares, ac Sub-Datarium et Camerae Apostolicae Commissarium non esse immutanda.

2. » Quoad gubernatores et vicelegatos provinciarum, civitatum et locorum Status ecclesiastici, qui, durante absentia, nunquam possunt ecclesiis interesse, necnon procuratorem generalem Montium, ac familiares S. R. E. Cardinalium, firmo tamen » quoad eorumdem Cardinalium caudatarios remanente decreto » moderatorio Sacrae Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Sacri Concilii Trid. Interpretum die 19. Augusti 1690. » edito, esse revocanda, et expedire, quod in posterum non concedantur.

3. » Indultum inservienti Secretariae Congr. Emorum Cardinalium consultationibus negotiorum ditionis temporalis eiusdem » S. R. E. praepositorum concessum esse reformandum, et in » posterum restringendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus » ratione huiusmodi servitii actualiter praestandi impeditus fuerit, » eius conscientia desuper strictissime onerata.

4. » Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, » nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro ecclesiis, quarum reditus consistunt vel in » solis distributionibus quotidianis, una cum aliquibus fructibus » tenuis praebendae, dempta tamen tertia parte, quae inservientibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque

» maioribus viginti quinque annis, quin imo huiusmodi aetate » viginti quinque annorum expleta, eadem indulta, licet idem » triennium adhuc completum non fuerit, exspirare.

5. » Omnes denique habentes indulta pro singulis diebus et » horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu officiis » actualiter praestandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos » toties, quoties ecclesiae, seu choro non interfuerint, sed in qua- » libet hebdomada huiusmodi puncta posse et debere deleri, seu » tolli pro illis tantum diebus et horis, quibus indultarii allega- » verint particularia impedimenta ratione eorumdem munerum, » eorum conscientia desuper strictissime onerata, et circa huius- » modi impedimentorum relevantiam iudicio proprii vicarii cu- » iuslibet ecclesiae. In ecclesiis vero, ubi non adest huiusmodi » vicarius, iudicio dignioris canonici esse deferendum. »

Facta praedictarum resolutionum Summo Pontifici relatione die 8. eiusdem mensis et anni ita eas probavit: « Sanctitas Sua » illas probavit, et a die prima Iunii proxime venturi mandavit » inviolabiliter observari; indultis tam a se, quam a Romanis » Pontificibus Praedecessoribus suis quomodolibet concessis, et » aliis contrariis quibuscumque non obstantibus, quibus pro ob- » servatione praemissorum amplissime derogavit. »

6. Quod in rebus humanis saepe saepius contingit, ut quae olim sapienti consilio constituta sunt, volventibus annis vel sensim relaxentur, vel etiam, mutatis temporum circumstantiis, minus apta videantur, id etiam visum est SSmo D. N., ita, ut exemptiones a chorali servitio aliqua nova supremae auctoritatis providentia indigerent. Hinc suorum Praedecessorum, ut in ceteris, in hoc etiam aemulatus religionem et gloriam, per R. P. D. Auditorem Suum in mandatis ita dedit: « Sanctitas Sua ad examen revocari vult omnia indulta, ut confirmentur, revocentur, aut reformentur iuxta regulas alias statutas et constanter approbatas ac observatas. Neque tamen necesse esse iudicat, aliam particularem Congreg. super hoc deputare, sed censet ipsam Congreg. Concilii, utpote quae normas, quae indulta regulare debent, bene perspectas habeat easque constanter servaverit, ad examen revocare aut ipsi Sanctitati Suae proponere debere, quae confirmanda, quae revocanda et quae iuxta easdem normas rectificanda essent. »

Hinc priusquam rem vestro amplissimo senatui iudicandam proponerem, rogavi Emos Archipresbyteros ac Titulares, ut de

singulis eorum ecclesiarum indultariis referrent, ipsaque indulta remitterent, ex quorum accurato examine deprompsi dubia, quae inferius proponuntur. Prius tamen nonnulla in iure, et ex praxi S. huius Congregationis praemittenda censeo.

7. Indulta abessendi a chori servitio sive *pro diebus et horis* ratione munerum, sive *ad certum tempus*, valetudinis tuendae causa, semper concessa fuisse, innumerae testantur S. Congregationis resolutiones. Neminem etiam latet iuris canonici dispositio in *Cap. unic. de cler. non res. in 6.*, ubi Bonif. VIII. post vetitas clericis residentibus, sed divinis officiis non interessentibus, quotidianas distributiones, illos ab hac censura excepit, « quos infir- » mitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens » ecclesiae utilitas excusaret. » Quod confirmavit S. Trident. Synodus in *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* Aliae vero sunt distributiones *inter praesentes*, quae melius dici possunt extraordinariae, eventuales et incertae, quaeque, ut distinctae sunt a communi massa et praebenda, ita praesentibus tantum praestari solent, sive ex peculiari statuto aut consuetudine cuiuslibet ecclesiae, sive ex expressa benefactorum voluntate. Huiusmodi distributiones non percipere absentes a choro etiam ex Apostolico indulto, docent *Scarfan. ad Ceccop. lib. 2. tit. 10.*, *Piton. discept. 1. per tot.*, Fagnan. in *Cap.* Licet de praeb. *n. 20.*, Bened. XIV. *Instit. 107. n. 58. et seqq.* et Sacr. Congreg. in *Bosanen. Visit. SS. LL.* 6. Februarii 1734., et in *Anagnina Servit. chor. et distribut.* 29. Novembris 1819.

8. Quin imo etiam in casu Apostolici indulti cum facultate percipiendi quascumque distributiones quotidianas, ordinarias et extraordinarias, quas percipiunt personaliter residentes, firma semper sententia censuit S. C., ut exclusae remanerent eae distributiones, quae ex fundatorum voluntate inter praesentes dividi debent; ita in *Leodien. Indult.* 10. Iulii 1719., etiamsi ageretur de canonico cum indulto iubilationis, ut in *Novarien. Iubilat.* 2. Octob. 1617. et in *Bituntina Anniversarior.* 1. Iul. 1679., ac demum in casu etiam canonici amplissimo causa infirmitatis indulto donati, ut in *Romana Iurium canonical.* 5. Maii 1703., et 27. Iunii 1705.

9. Notandum tamen, plurimum differre simplex indultum non interveniendi choro certis diebus et horis, quod facile conceditur ratione munerum, ab altero indulto non residendi in loco benefi-

cii, de quo late tractant Fagnan. in *Cap.* Licet *de praebend. n.11.*, et Reiffenst. in *Ius canon. tit. 4. de cler. non resid. per tot.*, quod difficilius conceditur, et nonnisi ad breve tempus, et arctioribus cohibitum clausulis. In primo enim casu canonicus, seu beneficiatus aliquod servitium ecclesiae suae praestare potest ac debet in diebus et horis, in quibus non impeditur a munere; in altero vero casu nunquam ad ecclesiam accedere potest is, qui longe a residentia aberrat. Hinc in superius relato decreto iussu s. m. Innoc. XII. edito statuitur, revocanda esse iam concessa, et in posterum non concedenda indulta quoad gubernatores et vicelegatos, qui temporali ecclesiastici Status servitio mancipati sunt, et confirmanda iussit indulta quoad Nuntios tantum, in quibus sine ulla dubitatione verificatur legitima causa utilitatis Ecclesiae, de qua meminit Bonifacius VIII. in capite supra relato.

10. Nec praetereunda est constans huius Congregationis praxis in concedendis indultis pro absentia a residentia ob maxime laudabile munus annuntiandi verbum Dei in Quadragesima et Adventu, in quibus semper adiecta est clausula *amissis distributionibus*, si tertiam partem praebendae aequent, vel tertiam partem tum praebendae, tum distributionum simul cumulatarum.

11. Lectoribus, qui in publicis Universitatibus sacram theologiam docent, indultum dari statutum est in *Cap.* Super specula *de magistris*, ubi glossa haec addit: « Non tamen percipiunt » quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari con» sueverunt.» Hanc iuris canonici regulam semper sectata est S.C., et novissime indultum concessit archipresbytero Caliendi, ut theologiam in dioecesano seminario Feretrano doceret, pro solis Matutinis et diebus, in quibus haberentur lectiones, et ad triennium *amissis distributionibus*, favore inservientium, ut in *Feretrana Indult.* 12. Iul. 1817.

12. Postea inquirendum occurrit, utrum pari indulgentia donandi sint, qui aut in urbe ad excipiendas Christifidelium confessiones, aliaque exsequenda pietatis opera, vel etiam extra urbem ad sacras peragendas missiones, laudabili pietate et summo animarum lucro occupantur, quique hisce piis operibus *(non tamen necessariis)* tempus insumunt, quo deberent divinis officiis in choro vacare. Nullum de huiusmodi casibus inveniri potuit exemplum exemptionis in S. Congregationis resolutionibus, excepto tamen casu verae necessitatis ipsius ecclesiae, in qua exstat

beneficium chorali servitio addictum. Id tamen locum habere potuit ex speciali Apostolico indulto. Nam generatim prohibentur canonici a choro discedere sive ad faciendum sacrum, sive ad excipiendas confessiones. Ita die 14. Mart. 1620. S. C. decrevit, nimirum, « canonicos, dum horae canonicae recitantur, non posse » a choro abscedere ad confessiones audiendas, aut Missas cele- » brandas devotionis causa; et qui discesserit, illius horae distri- » butionem amittere. » Meminerint tamen Eminentissimi Patres, ex speciali Rescripto s. m. Clementis XIII. die 18. Februarii 1767. exemptos fuisse a punctaturis canonicos et beneficiatos, qui tempore Quadragesimae decendium in catecheseos explicatione operam navant.

13. Quod vero spectat ad eos canonicos vel beneficiatos, qui nullo publico munere funguntur, sed tantum particularis personae servitio mancipati indultum absentiae postularunt, illud negavit S. C., et certum tantum tempus ad deliberandum eis concessit. Ita postulavit Ioannes Sanchez, capellanus in ecclesia S. Mariae in Via Lata indultum absentiae, ut Panormi maneret, ubi Eminentissimo Archiepiscopo famulabatur, attenta praesertim exiguitate reditus capellaniae, et proposito dubio: « An et pro » quo tempore sit concedendum indultum? » responsum est: « Af- » firmative ad annum et effectum deliberandi.» In *Romana Resid.* 11. Iul. 1818.

14. Tandem quoad coadiutores, qui studiorum causa postulant indultum, re mature perpensa prius in causa *Praten. Indultor.* 2. Martii 1697., et postea in *Tarentina Indult.* 28. Martii 1733. S. C. instantiam reiecit, et ut habetur in folio huius postremae resolutionis, « decretum hoc firmavit regulam, quae semper ser- » vata fuit, reiiciendi concessionem indulti pro absentia ob stu- » diorum causam. Quin imo coadiutoribus nec etiam dari a S. C. » consuevit indultum, quod ratione alicuius muneris in hac Ro- » mana Curia concedi alioquin solet canonicis pro diebus et horis, » quibus impediti ob huiusmodi officium fuerint.

Dubia proponuntur:

« 1. An et quomodo sit confirmandum, vel concedendum in- » dultum abessendi a choro addictis Sanctae Sedis servitio sive » in temporali, sive in ecclesiastico munere?

» 2. An et quomodo sit concedendum indultum iis, qui alicui » ex dictis muneribus vacantes extra locum beneficii, nunquam

» possunt, durante munere, suis ecclesiis deservire et chorali offi-
» ciaturae personaliter interesse?

» 3. An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus
» Secretariis Congregationum EE. S. R. E. Cardinalium pro expe-
» diendis negotiis tum ecclesiastici, tum temporalis regiminis?

» 4. An et quomodo sit concedendum indultum inservientibus
» Pontificiae capellae, sive in munere magistri caeremoniarum, sive
» acolythorum et clericorum?

» 5. An et quomodo sit concedendum indultum lectoribus in
» publicis Universitatibus?

» 6. An sit confirmandum vel concedendum indultum pro ex-
» cipiendis fidelium confessionibus, sive in ecclesia beneficii, sive
» in alia ecclesia vel monasterio, vel vacantibus exercitio sacrarum
» Missionum, aliisque pietatis operibus? (1).

» 7. An et quomodo sit concedendum indultum coadiutoribus
» sive ratione munerum, sive causa studiorum?

» 8. An sit concedendum indultum addictis servitio particu-
» larium personarum quavis etiam dignitate fulgentium?

» 9. An et quomodo sit providendum in futuro? »

Emi Patres die 6. Maii 1820. rescripserunt:

« Ad 1. Affirmative in omnibus pro diebus et horis, amissis
» distributionibus inter praesentes tantum.

» Ad 2. Negative, exceptis Nuntiis et Internuntiis.

» Ad 3. Affirmative pro diebus et horis, amissis.

» Ad 4. Affirmative pro diebus et horis, dummodo personali-
» ter, et ex munere intersint, amissis distributionibus inter prae-
» sentes, onerata.

» Ad 5. Affirmative pro diebus et horis, amissis.

» Ad 6. Negative, excepto tantum casu verae necessitatis.

» Ad 7. Negative in omnibus.

» Ad 8. Negative, exceptis caudatariis S. R. E. Cardinalium
» ad formam tamen decreti diei 19. Augusti 1690.

» Ad 9. Ad D. Secretarium cum SSmo iuxta mentem; et mens
» est, indulta adhuc concessa esse confirmanda, sive reformanda,
» sive revocanda ad formam praecedentium resolutionum et sup-

---

(1) Mentio facienda est de *Romana Indulti per Summ. prec.* 18. Maii 1850., ubi resolutio haec confirmata fuit, sicut in casibus peculiaribus SSmo supplicandum esse monitum fuit, maxime si agatur de sacris Missionibus.

» plicandum SSmo, ut in posterum non concedantur, nisi per » S. Congregationem Concilii sub poena nullitatis, utque ea in- » dulta non valeant, nisi obtento decreto exsecutoriali Ordinarii, » vel legitimi Superioris. »

Factaque (1) de praemissis per infrascriptum Secretarium relatione die 10. eiusdem mensis et anni SSmo D. N., Eadem Sanctitas Sua resolutionem eiusdem Sacrae Congregationis ad novem praedicta dubia in omnibus benigne approbavit, et respective confirmavit, voluitque, ut in casibus particularibus sub praemissis dubiis non comprehensis provideatur pariter ab eadem Sacra Congregatione Concilii ad formam sacrorum canonum et Sacri Concilii Tridentini, et iuxta praxim ab ea hactenus servatam atque omnia praemissa inviolabiliter in posterum servari mandavit a die 1.Iulii proxime futuri, indultis omnibus tam a se, quam a Romanis Pontificibus, Praedecessoribus suis, quomodolibet concessis, et aliis quibuscumque non obstantibus, quibus pro exsecutione praemissorum amplissime derogavit.

E. Card. De Gregorio, *Praef.*

I. F. Archiep. Athenarum, *Secret.*

XXV.

Folium causae Lucanae Exemptionis.

(Ad pag. 316. et 374. vol. I.)

Summarium. 1. ad 4. Facti species enarratur, et actorum processus exponitur, quae in hoc negotio penes S. C. praecesserunt. – 5. ad 21. Affertur libellus deductionum, quas canonici S. Congregat. exhibuerunt. – 22. Quaestionis cardo statuitur. – 23. S. C. saepius declaravit, canonicum iubilatum non teneri nec per se, nec per alium ad celebrationem Missae conventualis per turnum, neque itidem ad eleemosynae contributionem, et si eam contribuerit, restituendam esse respondit. – 24. Idipsum sancivit etiam in casu, quo canonici Missam conventualem celebrare debeant aere proprio. Idem valet circa alias Missas, quarum satisfactio ad Capitulum pertinet. Si quando aliter S. Congr. constituit, tribuendum id est varietati circumstantiarum. – 25. Iubilatum participare de emolumentis, quae ab anniversariis fixis et funeribus proveniunt et de eleemosynis extraordinariis, nisi aliter a disponente statutum fuerit, aliquoties censuit S. Con-

(1) Quae sequuntur, non habentur quidem in *Thesauro Resolutionum;* inveni eadem scripta in Emi Card. Caterini exemplari dictae Collectionis tom. 94. pag.128.

gregatio. – 26. Diversimode vero alias iudicavit pro circumstantiarum varietate. – 27. Istiusmodi circumstantiae pendent plerumque ex statuto et consuetudine. – 28. Secluso statuto et consuetudine S. C. consuevit eximere iubilatos a Missis conventualibus vel capitularibus sive per se, sive per alium, eosdemque participes declarare emolumentorum, quae proveniunt ex anniversariis fixis, minime vero de iis, quae derivant ex funeribus, anniversariis incertis, aliisque functionibus extraordinariis. – 29. Rationes, quae in causa Lucana utrimque militabant. – 30. S. Cong. in ea declaravit, deducta integra quota distributionum quotidianarum canonico iubilato debita, ex reliquo detrahendam eleemosynam pro Missa conventuali; eam assignandam non ad rationem taxae synodalis, sed taxae a Capitulo constitutae; non deberi emolumenta ex cadaverum associatione et funeribus profecta, bene vero ex anniversariis fixis provenientia, dummodo non obstet mens testatorum; non deberi portionem ex anniversariis incertis et extraordinariis: neque ex Missis cantatis adventitiis celebrari solitis ex benefactorum petitione in civitate vel territorio.

1. Michael Gambogi, canonicus collegiatae ecclesiae civitatis Camaiore, usque ab anno 1837. iubilationis indultum a S. Congr. impetravit. Sed vero adversarium subinde expertus est Capitulum in pluribus, queis frui sperabat veluti indulti consectariis. Scilicet renuit Capitulum illum ab onere eximere suppeditandi eleemosynam pro Missis capitularibus de turno canendis, quatenus per alium id muneris explendum fuisset; noluit insuper participem eum reddere emolumentorum capitularium, quae adventitia nuncupantur; obnoxium denique eumdem voluit oneri nonnullarum Missarum, ad quarum celebrationem diebus festis pro populi commoditate quisque e Capitulo, haud excepto iubilato, solemniter capitulari deliberatione die 27. Aprilis 1839. sese devinxit.

2. Suas quidem ad S. Congregationem detulit querelas canonicus Gambogius, ut exemptiones ac iura iubilati declararentur, et die 29. Aprilis 1843. responsum obtinuit huiusmodi: *Dentur resolutiones S. Congregationis ut in Aquipendien. 1. Aprilis 1719. et in Spoletana 29. Novembris 1770.;* quibus resolutionibus declarabatur, canonicum iubilatum, etsi absentem, participare tum de aliorum fallentiis, tum de emolumentis anniversariorum, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis, necnon exemptione frui a canenda Missa conventuali sive per se sive per alium. Ast nihilominus perstante Capitulo in sua oppositione, coactus iterum fuit Gambogius sacri Ordinis implorare praesi-

dium, ne alias sibi annis iam gravi iubilationis indultum in irritum recideret. Actum porro hac de re fuit in Congregatione habita die 27. Novembris 1852. *per Summaria precum.* Archiepiscopus partibus Capituli favebat, contendens iubilatum a Missis canonicalibus eximi non posse per solutionem saltem eleemosynae, quia secus ceteri canonici imminutionem in respectiva canonicali quota pati contra aequitatem debuissent, cum non adsint pro huiusmodi Missis reditus peculiares; emolumenta insuper tantum, quae certa dicuntur, ipsi licere condicere, cum pro eventualibus personalis assistentia requiratur; quoad Missas demum ad populi commoditatem celebrandas nullam adesse dubitandi rationem, quin huic oneri iubilatus subiici deberet, quod nimirum non a canonicali titulo, sed a peculiari cuiusque obligatione scateret, et Gambogius in illud convenerat, quando iam indultum iubilationis assecutus erat. Placuit autem S. Congregationi rescribere: *Quoad Missas capitulares et emolumenta eventualia, Capitulum pareat decreto Sacrae Congregationis diei 29. Aprilis 1843.; quo vero ad Missas ad populi commoditatem celebrandas, lectum ad instantiam, et notificetur Archiepiscopo.*

3. Non id tamen satis visum est ad removenda contraria Capituli studia et tutanda iubilati iura; paulo enim post novum obtulit recursum Gambogius, quo exponebat, Capitulum variis adhibitis artibus et machinationibus nullius momenti reddere conari editas resolutiones, atque adeo S. Congregationis auctoritatem ad rem interponi expostulabat. Necesse itaque fuit scribere Archiepiscopo ad hoc, ut mandaret Capitulo, *ut omnino pareat decretis S. Congregationis dierum 29. Aprilis 1743. et 27. Novembris 1852., et contra renuentes procedat, quatenus opus sit, poenis arbitrio ipsius Ordinarii infligendis.* Cum vero nonnulli praeterlapsi essent menses, quin tamen negotium huiusmodi, perperam Gambogio adnitente, ad exitum perduceretur, hinc rursus ad S. Congregationem ipse confugit precibus exhibitis, ut res aliqua provisione adhibita finem aliquando tandem haberet. Scribendum itaque tunc censui Archiepiscopo, ut audito Capitulo referret de resultantibus ex postremo hoc rescripto Sacrae Congreg., et quid obstaret exsequutioni decreti diei 27. Nov. 1852.

4. Iam vero ex Archiepiscopi responsione accepi, haec decreta intimata fuisse Capitulo, eique iniunctum, ut iisdem omnino pareret, et, si quid contra animadversione dignum existimaret, co-

ram ipsa S. Congregatione deduceret. Paruisse interea Capitulum, nonnulla tamen ab eo animadvertenda proponi contra praefatas resolutiones, quae in separato libello recensentur, quem transmisit.

5. Quibus ita se habentibus, sacri Ordinis oraculum exquirendum duxi super noviter deductis a Capitulo, ut, quid hac in re decernendum sit, tuto cognosci queat.

6. Iuverit autem fideliter heic exscribere, quae perpendenda Capitulum ipsum proponit: « Quidquid huic S. Congregationi a canonico Gambogio expositum fuerit, factum est, quod negari nequit, quod ipse a Capitulo praebendam integrasque accepit chorales distributiones, ac si choro semper interfuisset. Accedit, quod ipse, uti ceteri omnes, semper admissus fuit ad integre percipiendum proventum fallentiarum, quae ab aliis capitularibus committebantur. Hoc evidenter colligitur ex rationibus annualibus, quae in forma authentica apud Capitulum conservantur, quaeque per singulos annos convalidatae fuerunt ex analoga ipsius Gambogii testificatione de acceptis fructibus.

7. » Capitulum ex quota distributionum choralium ad Gambogium pertinentium, non secus ac aliorum canonicorum, unice desumpsit eleemosynas pro applicatione Missarum cantatarum conventualium, cum in sua restitutione Capitulum remaneret sine illa, quae dicitur massa capitularis, ex qua ante oppressionem singulis capitularibus dictae eleemosynae, sicuti ceterae omnes obligationes capitulares, solvebantur. In praesenti canonici non habent nisi tenuissimam praebendam consistentem in octo dumtaxat modiis frumenti, et, si aliud quid accedat, conficitur ex quotidianis distributionibus, prout in Bulla Pontificia, qua hoc Capitulum in pristinum suum statum revocatum est, statuitur.

8. » In totali defectu dictae massae Capitulum necessitate coactum est, ut ex quotidianis distributionibus canonicorum eleemosynas desumeret tum pro applicatione Missarum cantatarum conventualium, tum pro applicatione aliarum septuaginta quinque Missarum, quae per annum labentem a Capitulo dicendae sunt; et hoc quidem vi supra memoratae Bullae restitutionis Capituli.

9. » Inter multas res adversas, quibus Capitulum succumbere debuit, dicta massa capitulari omnino privatum cum sit, (non sic Capitulum metropolitanae et aliarum collegiatarum urbis Lucae), necessario coactum fuit ad dictas eleemosynas Missarum ex

quotidianis distributionibus choralibus desumendas; quare huic S. Congregationi haec duo sequentia quaesita proponere opportunum ducit:

10. » I. Utrum, attentis circumstantiis peculiaribus supra expositis eleemosynae Missarum conventualium, quae a Gambogio applicari debent, desumendae sint ex quota distributionum pertinentium ad ipsum, an vero ex illis, quae ad ceteros pertinent capitulares quotidie ipsis provenientes?

11. » II. Quaenam eleemosyna a Capitulo pro dictarum Missarum applicatione assignanda sit, utrum taxa synodalis consistens in 14. 2. solidis Lucanis pro singulis Missis, an taxa unius libelli Lucani, ex aliquo iam tempore ab ipso Capitulo constituta?

12. » Alterum quaesitum, quod ex diversa intelligentia duorum decretorum, quae supra citata ab hac S. Congregatione prodierunt, adhuc pendet, ad hoc reducitur: Canonico Gambogio vi indulti iubilationis ius competat necne, ut ad participationem admittatur emolumentorum conventualium, quae incerta nuncupantur, et utrum ad omnia, an ad nonnulla eorum?

13. » Haec eventualia, a nobis dicta incerta, ad quatuor classes seu categorias hac ferme ratione reduci queunt:

14. » 1. Ad associationes cadaverum tam in urbe quam in vicis, et ad funeralia respectiva, quae Capitulum, si invitatum fuerit, defunctis harum paroeciarum celebrare solet.

15. » 2. Ad anniversaria, quae Capitulum per anni lapsum exsequi solet, quaeque originem ducunt aut ex dispositionibus testamentariis, aut ex aliis titulis certum secum ac stabilem ferentibus exsecutionem.

16. » 3. Ad anniversaria, quae Capitulum non quidem stabiliter, sed *toties quoties et ex petitione vivorum exsequitur*.

17. » 4. Ad Missas, quae occasione aliquot festorum a Capitulo cantari solent, (dummodo ab iis, qui festivitati dirigendae praesunt, invitatum fuerit), in diversis ecclesiis et oratoriis publicis, tam urbanis quam ruralibus.

18. » Illud igitur Capitulum sequens antiquum et constantem agendi modum ceterarum insignium collegiatarum urbis Lucae, Gambogium semper privavit proventibus ex prima classe nascentibus, neque ullus capitularis hac de re unquam querelas movit; accedit, quod in civitate Camaiore Rmus Archiepiscopus Stefanelli prohibuit, ne Capitulum unquam capitularem ad participationem

dictorum emolumentorum admitteret, qui non fuisset praesens, sicut ceteri, id quod etiam a S. Congregatione Rituum vetitum est, adiecta clausula : – Non obstante quocumque usu vel consuetudine in contrarium. –

19. » Semper autem Gambogium admisit ad participationem fructuum provenientium ex anniversariis, quae originem ducunt aut ex testamento aut ex alio quolibet titulo, modo certus sit et fixus; privavit autem eum, idque ex rationibus supra expositis, participatione eorum anniversariorum, quae per annum ex petitione fiunt vivorum, quaeque, cum non semper locum habeant, mere adventitia haberi debent.

20. » Denique Capitulum Gambogium privavit emolumentis quartae classis, quia tenuis illa eleemosyna, quam Capitulum, si invitatum fuerit, percipit, semper dividi solebat inter capitulares intervenientes; haec enim benefactoris est intentio, ut omnes interveniant; neque quisquam ullas hac de re querelas fecit, nisi Gambogius, idque hisce ultimis tantum temporibus. Haec methodus constanter a Capitulo usurpata per diversa iam viget saecula, huiusque veritatis testes existunt canonici, qui aetate iam provectissimi huius collegii capitularis membra sunt.

21. » Capitulum igitur admodum cupiens, ut pro semper hisce prolongatis litigationibus finis imponatur, sequentia proponit quaesita :

1. » An Gambogius, uti iubilatus, admitti debeat ad integram perceptionem emolumentorum descriptorum sub n. 1.?

2. » An debeat in posterum quoque gaudere proventibus descriptis sub n. 2.?

3. » An debeat admitti ad proventus memoratos sub. n. 3.?

4. » An debeat admitti ad proventus descriptos sub n. 4.»?

22. Tota itaque quaestio ad duo praecipue refertur capita : alterum quoad eleemosynam suppeditandam pro Missis conventualibus, alterum quoad participationem emolumentorum, sive quae certa, sive quae mere adventitia ac incerta sunt. Porro cum nihil hac de re cautum reperiatur in iure, operae pretium erit, nonnulla heic referre S. Congregationis decreta, quae variis temporibus prodierunt, dum actum est de exemptione canonico iubilato concedenda.

23. Et ad primum quod attinet, saepius actum fuit de celebratione Missae conventualis per turnum, a qua iubilatum exem-

ptum declaravit S. Congregatio. Ita in *Aquipendien. Iubilationis* 15. Martii 1697. ad 1. dubium hisce conceptum verbis: « *An canonicus iubilatus teneatur vel per se vel per alium ad celebrationem Missae conventualis per turnum?* » responsum fuit: « *Negative* ». Pariter in *Senen. Celebrationis et applicationis Missae conventualis* 12. Maii 1759. proposita fuere dubia: 1. « *An canonicus iubilatus teneatur celebrare per se ipsum, vel per alium Missam conventualem per turnum eamque applicare pro benefactoribus in casu?* 2. *An canonicus iubilatus teneatur contribuere eleemosynae Missarum conventualium?* » et ad utrumque responsum prodiit: « *Negative* ». Quin imo, si forte a iubilato Missae huiusmodi celebratae post obtentum indultum fuissent, haud haesit eadem S. Congregatio eleemosynae restitutionem favore iubilati imperare. Sic in *Nepesina* 11. Aprilis 1818. ad 8. dubium: « *An eidem* (canonico iubilato) *restituendae sint eleemosynae pro Missis conventualibus celebratis a die concessi indulti in casu?* » respondit: « *Affirmative a die obtentae iubilationis.* »

24. Propius vero ad rem facit resolutio in *Spoletana Iubilationis* proposita die 18. Augusti 1770. et resoluta die 24. Novembris eiusdem anni. Oneri enim celebrandi et applicandi Missam conventualem subiici volebant iubilatum ceteri canonici, quia id onus unicuique praebendae adnexum erat, scilicet, ut referebat Episcopus, « *Missa conventualis non celebratur sumptibus massae communis, sed unusquisque illam celebrat et applicare tenetur aere proprio.* » Nihilominus propositum dubium: « *An et quomodo sit locus iubilationi in casu?* » S. Congregatio dimisit responso: « *Affirmative, deletis conditionibus.* » Idemque saepe statutum legitur quoad alias Missas, quarum satisfactio ad Capitulum spectat, ceu in *Balneoregien. Missae parochialis et conventualis* 19. Aug. 1713. *et in cit. Spoletana.* Quod si aliter statutum aliquando fuerit, discrimen a regula generali non aliunde repetendum, quam ex variis casuum circumstantiis et ex peculiaribus cuiusque ecclesiae statutis et consuetudinibus, ceu probe monet folium S. Congregationis in *Reatina Missae conventualis* 26. Ianuarii 1850. §. *Re quidem vera,* in qua causa eadem resolutio capta fuit. Nihilominus, ubi peculiares in themate circumstantiae aliter statuendum suadeant, decernendum tunc erit, an eleemosyna pro Missae conventualis applicatione conferenda a canonico iubilato sit ad rationem taxae synodalis, seu potius taxae a Capitulo constitutae;

quae quidem, cum sponte conventione facta inter capitulares usu recepta fuerit, omnibus aeque ex eodem Capitulo, non excepto iubilato, applicari recte posse videretur.

25. Ad alterum quod pertinet quaestionis caput, nimirum quoad anniversaria et cetera emolumenta, quae in Capituli relatione adnotantur, sequentes prae oculis habendae resolutiones: *In Novarien.* 2. Octobris 1677. propositum fuit dubium: « *An duo canonici iubilati collegiatae S. Gaudentii civitatis Novariae frui debeant emolumentis anniversariorum, quae fiunt intra annum, licet non assistant?* » et responsum fuit: « *Affirmative* ». Re iterum proposita die 29. Novembris 1681. prodiit rescriptum: « *In decisis quoad anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a testatoribus, ut interessentes tantum participare deberent,* » ut in *lib. 32. decret. fol. 44.* Pariter in *Lunen. Sarzanen. Iubilationis* quaesitum fuit: « *1. An vigore iubilationis, de qua agitur, debeatur canonico, licet non intervenienti, portio emolumentorum provenientium ex anniversariis fixis? 2. An debeatur portio emolumentorum provenientium ex funeralibus et anniversariis incertis et extraordinariis? 3. An etiam in casu, quo a testatore dispositum reperiatur, nihil lucrari debere eos, qui non sint praesentes?* » Et die 30. Septembris 1684. rescriptum fuit: « *Ad 1. Affirmative. Ad 2. et 3. Negative.* »

26. Insuper in *Burgi S. Domnini Iubilationis* 19. Apr. 1704. disputatum fuit: « *An indultum iubilationis concessum Razzino suffragetur pro participatione omnium fructuum et distributionum etiam extraordinariarum et contentarum in decreto bo. me. Episcopi Pallavicini?* » et responsum est: « *Affirmative* », ut in *lib. 54. decretor. pag. 182.* Et in *Aquipendien. Indulti* 1. Aprilis 1719. ad 2. dubium ita propositum: « *An idem* (canonicus iubilatus) *participare debeat de emolumentis adventitiis anniversariorum et associationum cadaverum, si functionibus non intersit in casu?* » responsum fuit: « *Ad II. Affirmative ad primam partem, dummodo non obstet voluntas testatoris vel dantis; ad secundam partem Negative.* » Item in *Verulana Iubilationis* 17. Iunii 1820. rogati Emi Patres: « *An canonicus iubilatus, quamvis absens, participare debeat de scutis sex, quae annuatim a communitate persolvuntur ob sacra novendialia?* » responsum dederunt: « *Affirmative.* »

27. Contra vero aliter aliis in casibus censuit S. Congregatio, ceu, missis ceteris exemplis, deprehenditur ex *Neapolitana Indulti*

20. Februarii 1677., in qua quatuor proposita fuere dubia, videlicet: *I. An canonico Regna debeantur integrae distributiones quotidianae et omnia, quae loco distributionum quotidianarum succedunt? II. An emolumenta interessentium anniversariis? III. Funeralibus? IV. Missis?* Iisque omnibus responsum fuit in haec verba: « *Affirmative quoad distributiones, in reliquis Negative.* » Idemque statutum legitur in *Bituntina Anniversariorum* 1. Iulii 1679.

28. Porro harum resolutionum diversitas pendet, ceu superius adnotatum est, ex casuum varietate, ex diversis conditionibus a testatoribus appositis, et ex peculiaribus cuiusque ecclesiae statutis et consuetudine, ut perpendebat etiam Benedictus XIV., dum munere Secretarii huius S. Congregationis fungeretur, in *folio* causae *Aquipendien. Indulti* 18. Martii 1719.; atque idipsum patet ex pluribus resolutionibus, quae ad rem afferuntur in *folio* causae *Reatina Iubilationis* 28. Aprilis 1770. §. *In Reatina et seqq.*, in quibus ratio praecipua habetur ad statuta et peculiares cuiusque ecclesiae consuetudines in decernendis iuribus et exemptionibus canonicis iubilatis, aliisque indulto absentiae donatis competentibus. Sit prae omnibus resolutio in *Aquilana Indulti* 16. Iunii 1745., ubi cum ageretur de indulto concesso cuidam canonico abessendi ab ecclesia, dubitatum fuit: « *An et quibus emolumentis perfrui debeat?* » et resolutio prodiit: « *Deberi omnia emolumenta, exceptis iis, quae sive ex dispositione testatoris, sive ex statuto et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus, et amplius.* » Et hanc sententiam perpetuo sequuta est S. Congregatio in posterioribus resolutionibus, uti aperte liquet ex causa *Spoletana et Reatina Punctaturarum* 3. Aprilis 1841., in qua ad dubium: « *An canonicus Franciscus Ettorre participare debeat de punctaturis, seu fallentiis aliorum canonicorum, si choro non intersit in casu?* » respondit: « *Affirmative, cum nihil obstat vel ex statutis, vel ex consuetudine.* »

29. Ceterum seclusis statutis vel consuetudine, ex allegatis resolutionibus inferri posse videtur, hanc fuisse S. Congregationis disciplinam, ut nimirum canonicos iubilatos exemptos putaverit a celebratione et applicatione Missarum conventualium vel capitularium sive per se sive per alium. Quoad emolumenta autem, participes eos faciendos existimaverit emolumentorum proficiscentium ex anniversariis fixis, nisi aliter caverint testatores, denegaverit vero eisdem portionem emolumentorum provenientium ex

funeralibus, et anniversariis incertis, et ex aliis extraordinariis ac incertis pariter functionibus.

30. Reliquum igitur est, ut EE. PP. super consuetudine in casu, cum de statutis mentio nulla fiat, examen instituant. Animadversione autem dignum est, consuetudinem in themate iuxta Capituli relationem consentaneam esse praxi ac disciplinae Sacrae Congregationis. Siquidem nihil ex hac consuetudine contra exemptionem ab onere Missarum conventualium innuitur. Ex proprio insuper facto ius in canonico iubilato probavit Capitulum participandi de emolumentis, quae ab anniversariis fixis proveniunt. Pro exclusione vero a ceteris emolumentis mere adventitiis ac incertis affertur consuetudo ceterarum Lucanae ecclesiae collegiatarum, et ipsius collegiatae Camaiore; quamvis praetereundum non sit, de huiusmodi consuetudine nullam afferri probationem, quae in una capitularium assertione consistit, et praeterea a Gambogio ipso nunquam non contradicta appareat.

Omnibus itaque perpensis, quae hucusque exposita sunt, erit EE. Patrum, dirimere, quae iuxta capitularium petitionem proponuntur.

I. *An et ex qua distributionum quota detrahenda sit eleemosyna pro Missis conventualibus, quarum applicatio canonico iubilato per turnum incumberet in casu?*

II. *An praedicta eleemosyna assignari debeat ad rationem taxae synodalis, seu potius taxae a Capitulo constitutae in casu?*

III. *An canonico iubilato, licet non intervenienti debeatur, portio emolumentorum provenientium ex associatione cadaverum et ex respectivis funeralibus in casu?*

IV. *An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis fixis in casu?*

V. *An debeatur portio emolumentorum provenientium ab anniversariis incertis et extraordinariis in casu?*

VI. *An debeatur portio emolumentorum provenientium ex Missis cantatis adventitiis, quae occasione festorum ad benefactorum petitionem celebrantur a Capitulo in ecclesiis civitatis et territorii in casu?*

Die 30. Ianuarii 1858. Eminentissimi Patres rescripserunt:

Ad 1. Deducta prius integra quota quotidianarum distributionum canonico iubilato debita, ex reliquo detrahendam esse eleemosynam pro Missa conventuali.

Ad 2. Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.
Ad 3. Negative in omnibus.
Ad 4. Affirmative, dummodo non obstet voluntas testatorum.
Ad 5. et 6. Negative.

XXVI.

Folium causae Tranen. Distributionum.

(Ad pag. 319. vol. I.)

Summarium. 1. Proponuntur quaestiones Capituli Tranensis; afferuntur Episcopi sententia eiusdemque Capituli deductiones. – 2. Datur decretum Bonif. VIII. confirmatum a Conc. Trid., ubi statuitur, eos tantum pro praesentibus haberi, qui absunt a choro ob infirmitatem, necessitatem et ecclesiae utilitatem. – 3. Absentes a choro ob causam audiendi confessiones non lucrantur distributiones, quantumvis adesset consuetudo, etiam immemorabilis et sive ante, sive post Concil. Triden. introducta. Excipe Poenitentiarium et eum, qui forte eius vices agat et eum, qui ex lege fundationis vel Episcopi mandato confessiones audiat. – 4. Idipsum dicendum est de iis, qui tempore officii divini Missam privatam celebrant. Et quamvis id negent aliqui, alii affirmant, quibuscum conveniunt declarationes S. Congr. Conc., dummodo tamen id non iusserint Superiores, quos tamen S. C. admoneri voluit, ut ab huiusmodi iussu se abstineant. Aliquando requisita est causa commoditatis populi et necessitas vel utilitas ecclesiae. – 5. 6. Lucrantur distributiones canonici, qui Episcopo assistunt Pontificalia intra, vel extra cathedralem peragenti, vel Missam pontificaliter celebranti. – 7. 8. Canonici Episcopo inservientes iuxta Conc. Trid. praebendarum fructus, non distributiones lucrantur, et si distributiones stant loco praebendae, duas distributionum partes capiunt, amissa tertia. – 9. 10. Idem dic de canonicis Episcopum per dioecesim comitantibus. Aliquando S. C. indultum ob fructuum tenuitatem concessit. – 11. Canonici distributiones lucrantur pro tempore, quo vere absunt ob negotia Capituli; et Episcopus examinet, an isthaec causa vere subsit. – 12. De distributionibus non participant, qui absunt ob praedicationis munus. – 13. Pro examinatoribus synodalibus confessorum vel ordinandorum peritiam explorantibus S. C. indultum concedere constanter consuevit. – 14. 15. Magistri iuris Pontificii et s. theologiae in Universitatibus absentes a choro praebendae fructum faciunt suos, minime vero participant de distributionibus; et si nulli vel exigui sint fructus praebendae, tertiam tantum amittunt. Neque S. C. indulta super hac re concedere consuevit. Haec valent aliquando etiam pro dictis professoribus in seminario. – 16. Rectores seminariorum ad distributiones non admitti, docet Fagnanus. S. C. aliquando iisdem indultum tribuit. – 17. Capitulares, qui actuarii, vel provicarii munus exercent, di-

stributiones non lucrantur, quin prosit consuetudo. – 18. Canonici, qui nullo cum stipendio Cancellarii munere funguntur, lucrantur distributiones pro iis horis, quibus in archivio detinentur pro Capituli negotiis. – 19. Distributiones male perceptae restitui debent; sed, accedente bona fide, eas condonare potest S. Congr. – 20. S. Congr. in dicta *Tranen.* declaravit, canonicos tempore officii divini confessiones audientes, non lucrari distributiones, excepto Poenitentiario; neque canonicos Missam privatam celebrantes, nisi de licentia praefecti chori, et in populi commodum; lucrari canonicos assistentes Episcopo in Pontificalibus aliisque functionibus, minime vero in Missa privata; non lucrari canonicos assistentes Episcopo in dioecesis negotiis agendis, vel ipsum comitantes in dioecesi; lucrari canonicos expendentes rationes Capituli per tempus ab Episcopo praefiniendum; non lucrari canonicos praedicationis munus exercentes, nec examina recipientes confessariorum et ordinandorum, nec rectores, administratores ac professores et examinatores in seminario, nec provicarium generalem, cancellarios et actuarios Curiae episcopalis; lucrari canonicum administratorem rerum capitularium pro diebus et horis, minime vero aliorum negotiorum; cancellarium Capituli in archivio distentum non lucrari, nisi in casu urgentiae; absolutionem et condonationem distributionum male perceptarum concedendam, celebrata Missa cantata universo adstante Capitulo.

1. Inter capitulares cathedralis ecclesiae Tranensis nonnullae difficultates exortae sunt distributiones quotidianas respicientes, quae ut de iure resolverentur, archidiaconus illius ecclesiae supplicem libellum ad Bm̃um Patrem transmisit, in quo varia collecta reperiuntur postulata sequenti ordine distincta:

I. « Omnes capitulares, qui tempore divini officii Sacramentum Poenitentiae administrarunt, vel Missam privatam in ecclesia cathedrali celebrarunt, uti in choro praesentes habiti sunt, idque vi cuiusdam decreti a Rm̃o Archiepiscopo de Torres in S. Visitatione anni 1707. emanati.

II. » Ii, qui Archiepiscopo sive in Missis privatis sive in aliis functionibus extra ecclesiam cathedralem peractis assistentiam praestiterunt, distributiones lucrati sunt, non minus atque illi, qui quacumque de causa apud Archiepiscopum morabantur, sive negotia agentes Curiae episcopalis vel curiae parochialis, sive per diversa dioecesis loca illum comitantes.

III. » Ii, qui in revisione rationum redituum capitularium occupati erant, tali durante occupatione, uti in choro praesentes habiti sunt.

IV. » Ii, qui verbum divinum praedicarunt etiam extra ecclesiam cathedralem, die huius praedicationis distributiones lucrati sunt, ac si choro interfuissent.

V. » Ii, qui occupati erant in recipiendis examinibus annuis sive scholarum seminarii, sive ordinandorum et confessariorum, uti praesentes in choro considerati sunt.

VI. » Professores seminarii diebus, quibus alumnis lectiones faciunt, aeque ac superiores et administratores seminarii, ut in choro praesentes habentur.

VII. » Ii, qui in Curia archiepiscopali cancellarii vel actuarii munus exercent, vel qui Archiepiscopo et Vicario Generali absentibus in qualitate Pro-Vicarii Generalis negotiis curiae pertractandis addicti sunt, distributiones quotidianas lucrati sunt, licet pro cancellariis et actuariis varia obtinuerit praxis, cum ab iis distributiones ut plurimum amissae fuerint.

VIII. » Canonicus administrationem gerens redituum capitularium, ratione huius administrationis gratuitae, a principio administrationis ad tempus usque reddendae rationis, i. e. per annum et dimidium, consideratur ut praesens in choro; quo tempore ipsius relinquitur conscientiae interveniendi, quoties scit se curis non detineri administrationis. Haec praxis, uti exposita est, licet semper ac constanter observata fuerit, quandoque tamen, et praecise propter casus contentos sub nn. 2. 5. 6. et 7., motae sunt querelae a nonnullis contendentibus, tales exceptiones iuri refragari, neque iustificari posse consuetudine vel immemorabili.»

Hinc ipse archidiaconus subiungit: « Ex longissimo abhinc tempore et acquiescentibus Ordinariis pro tempore existentibus dictae consuetudines in disciplina punctaturae observatae sunt, ideoque ad omnium conscientiae tranquillitatem devote ad Sanctitatem Vestram recurrens implorat, ut suum emittat oraculum, declarando, utrum tales consuetudines conservari possint, an revocari debeant; quo in casu sanatoriam efflagitat pro omnibus, qui exemptionibus supra indicatis hucusque gavisi sunt. »

Transmissis a SSmo D. N. ad hanc Sacram Congregationem precibus, et inde ad Archiepiscopum Tranensem ablegatis, ut *pro informatione et voto, atque audito Capitulo in scriptis, referret super enuntiatis titulis exemptionis*, idem Archiepiscopus literis 29. Februarii 1860. ad hanc Sacram Congregationem responsa capitularium exhibens, ita super omnibus mentem suam aperuit:

Salva relicta partibus, ad quas spectat, qualibet quaestione de cura habituali, de qua in statu actuali non constat, opportunum duco, approbari posse, ut distributionibus gaudeant, ac si choro interessent, omnes illi, qui non interveniunt ob sequentes rationes:

1. « Propter administrationem Sacramenti Poenitentiae in ipsa ecclesia cathedrali, vel propter celebrationem Missae privatae, quoties maior fidelium utilitas hoc postulat.

2. » Propter assistentiam Archiepiscopo praestitam in functionibus solemnibus aut privatis in ipsa cathedrali aliisve urbis ecclesiis perficiendis, necnon ratione adiutorii, quod quis eidem praestat in negotiis pertractandis eumque comitando extra residentiam; haec enim praxis ab antecessoribus meis observata et a Capitulo usurpata est.

3. » Propter revisionem rationum pro diversis partibus administrationis capitularis, modo plus quindecim diebus non occupentur.

4. » Propter munus praedicationis, quo quis in aliis urbis ecclesiis fungitur.

5. » Alia ratio est, quod quis ut examinator annuis interest examinibus scholarum seminarii, necnon ordinandorum et confessariorum approbandorum, quippe qui agendi modus a Capitulo semper observatus et approbatus sit, neque alii in clero inveniri possint examinatores, qui servitio chori addicti non sint.

6. » Eadem ratio valet pro iis, qui uti professores in grammatica aliisque docendis scientiis in scholis seminarii occupantur, vel qui morali eius directioni operam navant; haec constans praxis requirebatur ex defectu redituum convictus, eo modo, ut si magistris atque rectori distributiones quotidianae deessent, seminarium aut destitutum prorsus esset professoribus et rectore, aut adaequatam iis praestare deberet compensationem, id quod ob redituum defectum impossibile est.

7. » Propter munus Pro-Vicarii Generalis, quo quis, Archiepiscopo eiusque Vicario Generali absentibus, in Curia archiepiscopali fungitur; ubi non modo agitur de negotiis persolvendis curialibus, verum etiam de ipsa dirigenda dioecesi in precaria absentia Ordinarii. Item extendendum ad occupationes cancellarii, occurrentibus negotiis extraordinariis.

8. » Propter munus complicatum administrandi patrimonii capitularis mensaeque archiepiscopalis, cum utrumque officium,

mere onerosum, nihil referat lucri, et exemptio a punctatura non habeat locum, nisi gravibus occurrentibus negotiis, quae tempore divini officii operam respectivorum oeconomorum requirant. Idem valet de canonico cancellario, quando pro negotiis Capituli in archivio detinetur. »

Quibus habitis Emos Patres Archiepiscopus rogat, ut in suam sententiam concedentes, memoratos articulos iuxta votum ipsius approbare dignentur.

Capitulares vero in eorumdem comitiis diei 1. Dec. 1860. sequentia in scriptis tradiderunt:

Ad 1. « Vera obtinet antiqua consuetudo, vi cuius ut in choro praesentes habentur, quicumque habitu induti chorali ad administrandum Poenitentiae Sacramentum actu attendunt; et ratio est, quia, cum penes Capitulum sit cura habitualis paroeciae, semper persuasio vigebat, in curae exercitio versari, quicunque hoc ministerium exerceret, etiam tempore servitii choralis, et quotiescumque ad id implendum necessario non requireretur; decretum a Rmo D. Andrea de Torres anno 1707. editum concurrit ad talem confirmandam consuetudinem. Porro quod attinet ad capitulares, qui durante officio divino Missam privatam celebrant, concessa fuit exemptio iis, qui non quidem habitualiter, sed cum discretione aut ad satisfaciendum obligationibus capitularibus, quae ab horario determinatae sunt, celebrare vellent.

Ad 2. » Relate dein ad eos, qui Archiepiscopo aut in functionibus solemnibus aut in Missis privatis extra ecclesiam cathedralem celebratis assistunt, Capitulum decorem considerans ac reverentiam episcopali dignitati debitam, ab immemorabili tempore illum agendi modum observavit, ut canonicos ad talem assistentiam deputatos distributionibus non privaret. - Relate porro ad unum illum pluresve canonicos, qui qualicumque de causa, exceptis negotiis parochialibus, apud Archiepiscopum commorentur, existit decretum S. Congr. Conc. pro hac ecclesia 6. Maii 1698. emanatum, quo conformiter cum generalibus iuris dispositionibus declaratur, eos participes fieri non posse distributionum quotidianarum, quotiescunque canonicatui annexa foret praebenda; id, quod in hac ecclesia cathedrali proprie locum habet. Vi huius dispositionis nunquam fuit consuetudo in contrarium, uno alterove excepto facto particulari, quod communi cum displicentia toleratum est. - Pro eo vero, qui per diversa dioeceseos loca aut

alicubi privata de causa, non vero ratione functionum ecclesiasticarum aut negotiorum iurisdictionis Archiepiscopum comitari deberet, nulla existit consuetudo, vi cuius a punctatura eximeretur.

Ad 3. » Pro iis, qui in archivio revisione rationum capitularium detinentur, et quidem illis horis, quibus choro interesse deberent, per consuetudinem immemorabilem viget exemptio a punctatura; et ratio est, quia tales censentur occupati in gravibus negotiis, qualia sunt vigilantia et diligens administratio bonorum ecclesiae, et quia simul Capitulum curam habuit, ut haec dispensatio ab officio locum haberet iis dumtaxat diebus, quibus omnes choro intersunt, ideoque divinum exercitium nullum patitur defectum, exceptis quoque diebus Dominicis et festis occurrentibus. Notandum, quod haec rationum revisio neque alibi neque aliis horis fieri potest.

Ad 4. » Ii, qui sive in ipsa cathedrali sive in ceteris urbis ecclesiis verbum divinum praedicant, cum cura parochialis habitualiter sit penes Capitulum, iis diebus, quibus praedicationis munus exercent, considerantur uti praesentes et ad distributiones admittuntur, modo inter parochiae confinia praedicent; nam si alio pergunt, semper censentur a choro absentes et punctaturae subnoxii.

Ad 5. » Pro iis, qui occupantur in excipiendis examinibus annuis scholarum seminarii, vel quae fiunt ratione approbationis ordinandorum aut confessariorum, vera viget consuetudo, vi cuius ad perceptionem distributionum quotidianarum admittuntur, quum agatur de casibus, qui non frequenter, sed datis occasionibus accidunt.

Ad 6. » Ad seminarii professores quod attinet, ipsi prius solis horis instructionis ut praesentes censeri solebant; postea vero, communibus quidem cum querelis, haec consuetudo ad omnes dies lectionum extendebatur. - Rectores porro et vice-rectores percipiebant distributiones quotidianas, diebus autem, quibus convictores in ecclesia interveniebant, punctaturae erant subiecti. - Administratoribus denique et oeconomis in circumstantiis dumtaxat extraordinariis distributiones quotidianae concedi solebant.

Ad 7. » Pro iis, qui in curia archiepiscopali Pro-Vicarii Generalis, cancellarii vel actuarii munus exercent, nunquam vera obtinebat consuetudo exemptionis a punctatura, cum Capitulum ad ipsos iuris praescriptiones applicaret; qui autem Archiepiscopo

eiusque Vicario Generali absentibus Pro-Vicarii munere actu fungitur, quotidianas distributiones percipere permittebatur, quando actualiter in Curiae negotiis occupatus est. - Notandum, quod ex praecautionibus ab Archiepiscopo... factis habitualiter ad chorum interveniunt.

Ad 8. » Pro administratione tandem redituum capitularium ex antiquissima consuetudine immunitas viget a punctatura, quippe cum agatur de officio gravi, gratuito, quodque spectat ad utilitatem ecclesiae et sua natura incompatibile est cum habituali in chorum interventu. »

2. Antequam de singulis agam, nonnulla in genere praemittam solutioni dubiorum apprime utilia vel necessaria, et in primis celeberrimum referam Bonifacii VIII. decretum *Cap. un. de cler. non resid. in 6.*: « *Consuetudinem,* ait Pontifex, *quae inolevit, qua canonici, seu clerici cathedralium.... distributiones quotidianas (quae alias manualia beneficia seu victualia nuncupantur, et tantum residentibus tribuuntur) qualitercumque in civitatibus seu aliis locis sint praesentes, licet divinis officiis non intersint, ex integro percipiunt, ac si continue ipsis ecclesiis in eisdem officiis deservirent, penitus improbantes, statuimus, ut distributiones ipsae quotidianae, in quibuscumque rebus consistant, canonicis... ecclesiarum ipsarum, qui eisdem officiis in ipsis ecclesiis adfuerint, tribuantur. Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam receperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas excusaret), rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quae contra huiusmodi Nostram Constitutionem receperit, teneatur.* » Quod Bonifacii VIII. decretum in usum revocatum a Conc. Trid. in notissimo *cap. 12. Sess. 24. de Reform.*, et observari mandatum *non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus,* indubiam et indeclinabilem legem firmavit in distributionibus percipiendis. *Distributiones vero,* ita Tridentini Patres, *qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.* Et iis praescriptionibus consona semper exstitit praxis huius Sacrae Congregationis, uti manifestum ex innumeris ipsius resolutionibus, quas inutile prorsus esset, hic singulatim recolere. Ut vero collusiones omnes hac in re removeantur, ab ipsa lege desumendi sunt casus exceptionis; lex enim ipsa a Bonifacio VIII. statuta iam praeivit,

docendo scilicet, pro praesentibus, etsi a choro absentes, haberi tantum, qui ratione *infirmitatis*, aut *necessitatis*, vel *ecclesiae utilitatis* abesse coguntur; *cit. cap. un.* de cler. non resid. *in 6.*, Fagnanus *in cap.* Licet *de praebendis, num. 164. et seq.*, van-Espen *Ius eccl. num. 1. tit. 7. cap. 11.* et communiter omnes doctores.

Iis ergo in genere praehabitis examinandi nunc veniunt singuli casus, qui in supramemoratis articulis iudicio Sacrae Congregationis proponuntur; utque saniori ordine procedam, quemlibet articulum EE. VV. perpendendum exhibebo, prout de unoquoque in literis Archiepiscopi una cum relatione Capituli quaestiones ipsae pertractantur.

3. In I. articulo de iis capitularibus res est, qui divinorum officiorum tempore sacramentales confessiones excipiunt, et quaeritur, utrum hac de causa absentes a choro distributiones lucrentur, praesertim ex consuetudine, quae in Tranensi cathedrali adesse renuntiatur. Quanti facienda foret huiusmodi consuetudo, non immerito dignosci valeret ex Trid. Conc. in cit. *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* Eo enim in capite revocante sacrosancta Synodo quaecumque contraria statuta et consuetudines, quae contra decretum Bonifacii VIII. forte invaluerint, iam planum videtur, non satis esse consuetudinem ad percipiendas distributiones in absentia a choro, nisi exceptionis causa vel *infirmitatis*, vel *necessitatis*, vel *ecclesiae utilitatis* intercedat. Ad rem Fagnanus *lib. III. decret. de Praebend. cap.* Licet *num. 71.* ait: *Ea enim consuetudo non valet, sive introducta fuerit ante Constitutionem Bonifacii VIII., sive post, et saepius respondit Sacra Congregatio, etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam.* Praeterea cum ab eodem Tridentino *Sess. 24. cap. 8. de Reform.* sancitum explicite sit, ut Poenitentiarius, « *dum confessiones in ecclesia audiet, interim praesens in choro censeatur* », et huiusmodi dispositio ad eos tantum canonicos ampliata reperiatur, qui pro muneris necessitate confessiones excipere tenentur, [S. Congregatio in *Nullius Putignani* 6. Martii 1741. *ad IV. dubium*, *in Maceraten.* 20. Dec. 1768., praesertim vero in *Lucana* 8. Martii 1635., in qua censuit, *Oratori ita in locum Poenitentiarii ad audiendas confessiones ex necessitate et legitima causa ab Episcopo deputato, dum tempore deputationis confessiones actu audit, deberi distributiones quotidianas, non secus ac si divinis in choro interesset (lib. 15. decret. pag. 175.)*], minime superesse videtur dubium,

quod, nisi quis ex lege fundationis, aut de mandato Episcopi absit ad Sacramentum Confessionis administrandum, distributionibus carere debeat; quidquid etiam in contrarium decernant vel ipsa statuta capitularia, quibus (nisi Apostolico beneplacito fulciantur) nulla vis a S. C. tribuitur, ut in *Placentina* 6. Martii 1847. §. *Ceterum*. Sane in casu, de quo agitur, allatum est, adesse decretum Archiepiscopi de Torres anni 1707., nihil tamen docet hodiernus Archiepiscopus de vera necessitate, quae per decretum illud statuta sit, ut unus vel alter canonicus praeter Poenitentiarium confessiones audiat; de utilitate vero ecclesiae nonnisi hypothetice loquitur. Merito idcirco concludi posse videtur, nec ullam necessitatem, nec evidentem utilitatem per modum regulae adesse in Tranensi cathedrali, ut canonici loco servitii choralis iure audire valeant confessiones, et ita legitime percipiant distributiones.

4. Haec de canonicis confessiones audientibus, et fere eadem animadvertenda veniunt de iis, qui Missas tempore servitii choralis celebrant. Denegandum haud est, praesupposita etiam consuetudine, doctores adesse, qui eamdem probari posse autumant, cum ea de causa absentes actum divini cultus exercere dici possint: Garzias *de benef. p. 3. c. 2.* §. *1. n. 441.*, Antonelli *de cleric. non resid. l. 3. c. 16. n. 25.*, Moneta *de distribut. pag. 1. qu. 11. 52.*, Scarfantonius ad Ceccoper. *lib. 3. tit. 2. n. 13. ac 14.*, ubi ait: *Posse ex iusta causa consuetudinem introduci, qua canonici tempore divinorum celebrantes lucrentur distributiones: nam totum est divinus cultus.* Non desunt tamen alii doctores, qui huiusmodi consuetudinem omnino reiiciendam esse dicunt, ex quibus Covarruvias *Variar. resol. lib. 4. n. 3. c. 3.*, Gonzalez in *l. 4. decret.* §. *3. n. 18.* Quamplurimi vero docent, canonicos a choro discedentes, ut Sacrum privatim absolvant, distributiones amittere, nisi illa hora ad Sacrum peragendum ab eo, ad quem pertinet, compulsi fuerint; (Fagnanus *lib.3. decret. c.* Licet *n.118.*, Passerinus ad *Cap.* Consuetudinem *de cler. non resid. in 6. reg. 10. n. 163.*, Benedictus XIV. *Instit. eccl. 107. n. 16.*) quam sententiam iamdiu amplexa est S. haec Congregatio. Proposito enim sequenti dubio ann. 1583. *(lib. 3. decret. pag. 51.)*: « Quia quan- » doque in cathedralibus et collegiatis sunt aliqui canonici vel » alii officiales, qui in eisdem habent capellanias, vel in titulum » vel tanquam mercenarii, quaeritur, an eo tempore, quo in di- » ctis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet

» absint a choro; et quid de illis canonicis, qui celebrant in » eadem ecclesia suae devotionis gratia, an et quando hac de » causa a choro absunt, distributiones recipere possint, et dato » quod non, quid, si a Superiore ecclesiae iniungatur, ut eo tem- » pore celebrent? » Re autem ad Sanctissimum delata, responsum fuit: *SSmus D. N. etiam ex sententia S. Congregationis Concilii declaravit, non posse, nisi quando sic iussissent Superiores, quos tamen admoneri voluit, ut ab eiusmodi iussu se abstineant.* Ad cuius declarationis tramites quamplurimae secutae sunt huius sacri Ordinis resolutiones, uti videre est in *Interamnen.* 23. Februarii 1771., et in *Comen.* 23. Novemb. *eod. anno,* in qua proposito dubio: *An sustineatur consuetudo celebrandi Missas a canonico tempore horarum canonicalium?* rescriptum fuit: *Negative, nisi de legitima Superioris licentia.* Quibus ad nostra usque tempora consonant *Spoletana* 28. Feb. 1795., *S. Miniatis* 8. Feb. 1817. et *Anagnina* 20. Novemb. 1819., quarum duae postremae causam etiam innuere videntur illius *utilitatis* vel *necessitatis,* quae in singulis casibus suffragari debet praefecto chori ad licentiam celebrandi concedendam. Emi enim Patres in dicta S. Miniatis proposito dubio: *An et quomodo canonici absentes ad Missam celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas?* respondentes *negative, nisi de praefecti licentia,* addiderunt: *in populi commodum.* In Anagnina vero pro affirmativa Emi Patres steterunt, sed ad formam constitutionum capitularium, quae constitutiones (ab Apostolica Sede approbatae) expresse requirebant causam necessitatis, ut Praepositus licentiam exeundi a choro tribueret. His ergo perpensis Eminentiarum Vestrarum sapientiae erit, iudicium ferre, utrum prorsus reiicienda videatur allata consuetudo Capituli Tranensis, vel, si excipienda, qua limitatione iuverit eamdem cohibere. Porro Archiepiscopus consuetudini faveret, distributionesque concederet canonicis Missam privatim in cathedrali ecclesia tempore divinorum officiorum celebrantibus, quotiescumque maior fidelium utilitas id requireret; Capituli vero votum esset, ut in casu distributionibus minime fruerentur canonici, qui non quidem habitualiter, sed cum discretione aut ad satisfaciendum obligationibus capitularibus, quae ab horario determinatae sunt, celebrare vellent.

5. – II. Quaesitum est in secundo articulo, an frui valeant distributionibus absentes a choro propter adsistentiam Archiepi-

scopo praestitam; et huiusmodi quaestio tum eos respicit canonicos, qui adsistunt Archiepiscopo in solemnibus functionibus et in Missis privatis in ecclesia cathedrali vel extra, tum illos, qui penes Archiepiscopum manent ob quascumque causas, exceptis negotiis curiae parochialis; vel tandem illos, qui Archiepiscopum per diversa dioecesis loca, aut etiam alibi, comitantur.

6. Statutum est a Concilio Tridentino *dict. cap. 12. Sess. 24. de Reform.*, ut canonici *Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire* debeant. Ex quo Fagnanus ad tramites huius S. Congregationis arguit *lib. 3. decret. c.* Licet *n. 168. de Praeb.*, quotidianas distributiones deberi canonicis, qui tenentur assistere et inservire Episcopo celebranti et Pontificalia exercenti tum in cathedrali tum in aliis civitatis locis, atque eius suburbiis. Quod etiam magis declarat Benedictus XIV. *Inst. eccles. 107. §. 9. n. 60.* docens, canonicos, qui operam praebent Episcopo in cathedrali solemniter celebranti, praesto esse debere eidem Episcopo etiam extra cathedralem sive ordinationes obeunti, sive Pontificalia peragenti. Praeiverat enim hac super re S. Congregatio eamdem firmans doctrinam in *Ianuen.* 20. Nov. 1616., ut in *lib. 11. decret. p. 185.*, et in *Foro Cornel.* 20. Martii et 17. Aprilis 1649. *(lib. 18. decret. p. 603. et 664.)*; et praesertim in *Licien.* 17. Augusti 1641., in qua proposito dubio: *An decretum* (Concilii *Cap. 12. Sess. 24. de Reform. vers.* Omnes vero) *locum habeat, quando Episcopus in aliis ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus pontificaliter celebrat, vel paratus assistit cum pluviali et mitra, aut cum cappa divinis officiis, et Missae solemnia vel alia Pontificalia exercet..... si numerus sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia cathedrali remaneat?* respondit: *Habere locum. (lib. 16. decret. p. 582. et 583.* Ferraris *verbo Distributiones art. 1. n. 44.)*. Cum ergo in huiusmodi circumstantiis canonici adsistentes et inservientes Episcopo necessarium munus adimpleant iuxta praescriptum Tridentinorum Patrum, (Benedictus XIV. *loc. cit. num. 6.*), iam ex hinc facile statui posse videtur ratio diversi iuris obtinentis, quando canonici Episcopo inserviant Missam tantum privatam celebranti. Idque praestitit S. C. in una *Pisarum* 25. Ianuarii. 1625. *(lib. 12. decret. p. 253.)*; dubio enim proposito: *An canonici inservientes Episcopo Missam privatam celebranti distributiones quotidianas lucrentur?* censuit: *Non lucrari.* Item in *Amerina* die 3. Februarii ann. 1629. *(lib. 14.*

decret. pag. 17., Fagnanus *lib. 3. decret. c.* Licet *n. 105. de Praeb.*, Pignatelli *Constit. 83. n. 4. et 5.*, Barbosa *de canonic. c. 33. n. 12.)*.

7. Et his praeiactis, si modo de praxi quaeratur, quae in Archiepiscopali ecclesia Tranensi obtinuit quoad canonicos adsistentes Archiepiscopo in Pontificalibus ceterisque functionibus et in privatis Missis, reperiemus, omnes canonicos in omnibus huiusmodi circumstantiis gaudere distributionibus quotidianis, etsi choro non intersint; eamque praxim probari posse censet Archiepiscopus. Capitulum vero monet, quod decorem considerans ac reverentiam episcopali dignitati debitam ab immemorabili tempore illum agendi modum observavit, ut canonicos ad talem assistentiam deputatos distributionibus non privaret. Reliquum ergo est, ut Emi Patres statuant, quid in posterum observari mereatur.

8. Succedunt modo canonici, qui praeter negotia curae parochialis penes Archiepiscopum manent, et ii etiam, qui Archiepiscopum per diversa dioecesis loca, vel alibi comitantur. Tum ex *Cap.* De cetero *de cleric. non resident.*, tum ex *Cap.* Olim *de verb. significat.* docemur, canonicos, quorum opera utuntur Episcopi, huiusmodi durante servitio, tamquam praesentes haberi ad effectum lucrandi fructus suarum praebendarum, non vero victualia, *quae non consueverunt absentibus exhiberi* (*Cap.* De cetero) *vel manualia beneficia*, quae dantur singulis diebus illis tantum, qui intersunt divinis. (Gloss. *in cit. cap.* Olim). Quibus exceptionibus consonat decretum Concilii Tridentini *Sess. 24. cap. 12. vers.* « Distributiones vero », quo statuitur, distributiones quotidianas lucrari ab iis, qui statis horis interfuerint, amitti vero a reliquis; Fagnan. *loc. cit. n. 76.*, qui etiam *num. 105.* monet, huiusmodi canonicos Episcopis familiares etiam fructibus esse privandos, si non resideant, nisi sint ii duo canonici, quorum opera uti potest Episcopus ad praescriptum sacrorum canonum, quique fructus praebendarum percipiunt, amissis tantum distributionibus quotidianis. Nec aliter sensit sacra haec Congregatio, uti prostat in *Sorana* 1587. *(lib. 3. decret. p. 301.)*, in qua censuit, *canonicos inservientes Episcopis lucrari fructus praebendarum, non autem quotidianas distributiones.* Et in *Brixien.* 18. Sept. 1626. *(lib. 13. decret. pag. 3.)*, in qua item censuit, *unum vel duos canonicos Episcopo inservientes iuxta privilegium ad favorem Episcoporum in cap.* De cetero... *lucrari praebendam suorum canonicatuum, non tamen distributiones quotidianas, si vero reditus omnes distri-*

butionibus constent, duas tantum ex illarum tribus partibus lucrari. (Barbosa *de off. et potest. Episc. part. III. all. 53. n. 142.).*

9. Nec aliter statutum est ab hoc sacro Ordine pro iis canonicis, qui Episcopum in visitatione dioecesis comitantur, ita ut, etiam in casu, quo reditus omnes in distributionibus consistant, tertiam partem relinquere debeant, quae inservientibus accrescat, ceu patet in *Sulmonen.* 5. Decemb. 1626. *(Lib. 13. decret. p. 329.,* Bened. XIV. *Inst. eccl. 107. n. 59.,* et Fagnan. *loc. cit. n. 109.).* Imo Fagnanus addit, hanc S. Congregationem, rogante Archiepiscopo Ianuensi, ut duo canonici eum comitantes in visitatione dioecesis pergere possent in percipiendis quotidianis distributionibus iuxta antiquam illius ecclesiae consuetudinem, censuisse, *non esse concedendum.* A qua doctrina minime recessum fuisse videtur in una *S. Miniatis* 8. Februarii 1817., quamvis Emi Patres distributiones, ut apparet, concesserint. Cum enim Episcopus in medium attulisset observantiam favore canonicorum eumdem in sacra visitatione comitantium, vel si observantia satis non fuisset; rogaverit indultum, ex causa tenuitatis redituum canonicalium, proposito dubio: *An et quomodo sit concedendum indultum?* Emi Patres responderunt: *In casu, de quo agitur, attenta tenuitate redituum, affirmative, iuxta votum Episcopi.*

10. In themate vero, de quo agimus, inspectis actis ad S. Congregationem transmissis, ne verbum quidem adest de redituum tenuitate, quae favere aliquatenus posset canonicis Episcopum in dioecesana visitatione comitantibus. Imo Capitulum ipsum aperte renuntiat: *non est consuetudo exemptionis a puntatura;* et reapse, perquisitis libris decretorum, compertum habui, verum esse, quod capitulares (ceu supra) referunt de quodam rescripto diei 10. Maii 1698. *(lib. 48. decret. p. 218.),* quo Sacra Congregatio censuit, *canonicos* (Tranensis ecclesiae) *Episcopo inservientes lucrari debere fructus suarum praebendarum, amissis distributionibus quotidianis:* cui resolutioni capitulares ipsi profitentur nullam contrariam consuetudinem invectam fuisse in eadem ecclesia, uno alterove facto particulari excepto, quod communi cum displicentia toleratum est. Nihilo tamen minus Archiepiscopus propitiam huiusmodi canonicis sibi inservientibus sententiam Emorum Patrum optaret, et receptam esse dicit consuetudinem, qua canonicis Archiepiscopum in visitatione dioecesis comitantibus distributiones conceduntur.

11. – III. Articulus tertius est de canonicis in revisione rationum redituum capitularium occupatis. Tertia inter causas exceptionis in Bonifacii VIII. decreto contentas *utilitas* erat *ecclesiae:* illius nempe in specie ecclesiae, ut explicat Fagnan. *l. c. n. 160.,* de cuius distributionibus lucrandis quaeritur. Cum ergo dubitari non posse videatur, negotium esse Capituli, adeoque et ecclesiae capitularis, ut recte procedat bonorum ipsius administratio, et statutis temporibus rationes peractae administrationis reddantur; non immerito pariter pro negotiis Capituli et ecclesiae illos detentos esse canonicos dicendum videtur, qui rationum revisioni ab ipso Capitulo destinantur; eisque propterea distributiones deberi tempore absentiae, ut S. Congregatio docuit in *Panormitana* an. 1588. *(lib. 5. decret. p. 104.),* aperte declarans, *deberi oratori distributiones quotidianas pro tempore, quo vere abfuit pro negotiis Capituli.* Iis ergo praehabitis, videant EE. VV., utrum probanda sit necne consuetudo ecclesiae Tranensis, qua canonici rationum revisores, licet absentes a choro, quotidianas distributiones percipiunt. Quatenus vero Emi Patres in affirmativam sententiam inclinaverint, illud etiam statuendum erit, quantum nempe temporis pro huiusmodi revisione permittendum esset. Pro meo munere recolam, Sacram hanc Congregationem in causa *Segobien.* anni 1539. *(lib. 5. decret. pag. 287.)* statuisse, officium esse Ordinarii in huiusmodi casibus examinandi, an causa negotiorum vere subsit; ex quo deduci non illegitime posse videtur, eiusdem Ordinarii esse, tempus etiam negotio expediendo praefinire ad quascumque collusiones eliminandas. Archiepiscopus vero Tranensis supramemoratae revisionis negotio quindecim tantum dies satis esse putaret.

12. – IV. Quoad Canonicos praedicationis ministerium exercentes, de quibus in quarto articulo agitur, votum Archiepiscopi foret, ut, quacumque restrictione sublata, ad recipiendas distributiones admittantur pro universis civitatis ecclesiis; Capitulares vero concederent hac de causa canonicas distributiones lucrari, dummodo sive in cathedrali sive in aliis ecclesiis intra parochiae confinia praedicent; nam si alio pergunt, semper censentur a choro absentes atque punctaturae subnoxii. Hac ergo super re tum ex Capituli responsione, tum ex informatione ab Archiepiscopo transmissa eruitur, in primis minime hic agi de ministerio praedicandi verbi Dei ex cura animarum, sed de voluntario hu-

iusmodi munere a canonicis assumpto, vel etiam de speciali aliquo officio ab ipsis suscepto, quod tamen adnexum praebendae non foret. Locus proinde merito fieri videretur doctrinae a Fagnano traditae ex auctoritate huius S. Congreg. in pluries citat. *cap.* Licet *de praeb. num. 114.*, qua statuitur, canonicos legentes vel sermocinantes minime frui debere distributionibus, licet fructus praebendarum consequi non impediantur; nisi potius Eminentiis Vestris visum fuerit, mitiorem in themate amplecti sententiam ex speciali ratione curae animarum, quae in cathedrali adest, licet, ut ait Archiepiscopus, minime constet, eamdem saltem habitualem adnexam esse Capitulo.

13. - V. Ad tuendam consuetudinem in quinto articulo allatam de canonicis examinatoribus synodalibus, qui frui solent distributionibus in Tranensi ecclesia, dum choro absunt ad ordinandos examinandos, novosque confessores approbandos, tum Archiepiscopus, tum Capitulum innituntur necessitati, qua fieri nequit, aiunt, ut alii inter clericos ad munus examinatorum assumantur, nisi qui servitio chori sunt addicti. Equidem refert Barbosa in suo opere *de canonic. et dignit. cap. 24. n. 9.* resolutionem S. Cong. Episc. et Regul. diei 22. Martii 1600., qua declaratum est, examinatores synodales ceu praesentes habendos esse, dum confessorum et ordinandorum peritiam explorant. Ex quo forsan Zachias de *resid. eccles. tit. de beneficiat. n. 13.* docuit, examinatores, qui causa examinis absunt a choro, gaudere distributionibus. Idque insuper pro cathedrali Anagnina admittendum esse iudicavit Sacra haec Congregatio ad formam capitularium constitutionum; *Anagnina* diei 20. Novemb. 1819. *ad IX. dubium;* attamen seclusa huiusmodi peculiari dispositione constitutionum capitularium, quae S. Sedis approbationem in dicta Anagnina prae se ferebant, perceptionem distributionum examinatoribus synodalibus hic sacer Ordo constanter denegare consuevit, ceu videre est in una *Brixien.* 19. Iunii 1638. *(lib. 16. decret. p. 38.),* in alia *Cremonen.* 20. Sept. 1642. *(lib. 17. decret. p. 95.)* et in Fagnan. *loc. cit. n. 100. et 104.*, qui addit, etiam huiusmodi examinatores distributiones non lucrari, etiamsi adsit contraria consuetudo in Synodo dioecesana confirmata. Vestrum ergo erit, Emi Patres, iudicare, utrum necessitas superius per Archiepiscopum adducta tanti momenti sit, ut in casu remittendum aliquatenus esse videatur à consueta huius sacri Ordinis disciplina.

14. Pauca modo addenda sunt tum de iis canonicis, qui *rectoratus* et *professoris* munus in seminario suscipiunt; tum de illis, qui Cancellarii et Pro-vicarii, absente Vicario generali, in curia archiepiscopali provinciam assumunt; tum denique de canonico rerum capitularium et mensae archiepiscopalis administrationem gerente; de quibus res est in VI., VII. et VIII. articulo ab Archipresbytero propositis.

15. Porro magistris iuris Pontificii aut s. Theologiae, ut adnotat Benedictus XIV. *in cit. Instit. 107. num. 12.*, multa privilegia a iure communi tribuuntur, non excepto indulto abessendi a choro, prout statuitur in *cap.* Super specula 5. *de magistris*, quae privilegia ab ipso Tridentino confirmata sunt *cap. 1. Sess. 5. de Reform.* Attamen huiusmodi privilegia fructus tantum praebendarum, minime vero distributiones elargiuntur (Glossa *in cit. cap. 5. de magistris*), nec unquam aliud ab hoc sacro Ordine impetrari potuit, quam praebendae *fructibus non carere*, ceu patet in *Feretrana* 12. Iulii 1817., in *Romana Dubia indultorum* 6. Maii 1820. *ad V. dubium*, et in *Piscien. Indulti* 23. Mar. 1839. Quod si nulli aut exigui valde forent praebendae fructus, tum canonicus privilegio gaudens tertiam partem universi proventus, duabus aliis sibi retentis, amittet, iuxta ea, quae Fagnan. in *cit. cap. n. 127.* docet de absentibus studiorum causa; quibus a Bened. XIV., dicto loco, magistri sacrae Theologiae vel Iuris Pontificii aequiparantur. Idem vero in specie tradit de professoribus in seminario docentibus. S.C. in *Limen.* 18. Dec. 1627. *(lib. 13. decret. p. 366.)*.

16. De rectoribus seminariorum laudatus Fagnanus *l. c. n. 109.* docuit, non lucrari ab ipsis distributiones. Et re quidem vera, ne casum quidem mihi datum est reperire in Thesauro Resolutionum, quo rectores seminariorum distributiones quotidianas exquisierint, quoties a choro causa suscepti muneris abfuerit; idemque fateri debeo de iis canonicis, qui iuvenes in traditis disciplinis vel humanioribus literis examini subiiciunt. Sacra tamen Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, elargiri quandoque solet huiusmodi canonicis indulta pro absentia a choro; quae cohiberi solent clausula *amissis distributionibus*, vel alia etiam *ex gratia in exemplum non adducenda*. In themate vero, ut aiunt capitulares, memorati canonici gratuito eorumdem operam praestant, nec aliunde media seminarium habet, quibus huiusmodi assistentiam remuneret.

17. Ex iis tandem, quae superius adnotata sunt de canonicis, qui ob evidentem utilitatem ecclesiae a choro absunt, prono alveo colligendum esse videretur, quid sentiendum foret de capitularibus, qui actuarii vel Pro–vicarii munere in curia funguntur. Ipsi enim, licet universae dioecesis negotiis pertractandis sint addicti, minime tamen ob utilitatem ecclesiae, cuius distributiones expostulant, a choro abesse dicendi sunt, ut manifestum apparet. Hinc consequens esse videtur, nullam exceptionis causam in eorumdem favorem adduci posse, ut choro non intervenientes distributionibus gaudeant. Ducto praesertim argumento ab ipso Vicario generali, quem, etsi ratione muneris choro non intervenientem, S. Congr. constanter a percipiendis distributionibus repellendum fore rescripsit, postquam in una *Tarentina* 9. Maii 1671. respondisset, *inhaerendo declarationibus alias factis, canonicum inservientem Episcopo in officio Vicarii non lucrari distributiones quotidianas pro illis horis divinis, quibus non intersit.* Hinc Fagnanus in *cit. Cap. n. 12.* ex doctrina pariter S. Congregationis monet, non iuvare in casu consuetudinem vel ab immemorabili tempore invectam. Iudicent ergo Emi Patres, utrum ex hac parte audiri mereatur Archiepiscopus, qui pro memoratis canonicis Actuario et Pro–vicario generali illud orat ex gratia, quod ex iure denegandum videtur.

18. Postremo loco supersunt canonici, qui nullo statuto stipendio rerum capitularium et mensae archiepiscopalis administrationi operam navare dicuntur; et iis addendus etiam est canonicus Cancellarius, cui distributiones concedi consuevit pro iis horis, quibus pro negotiis Capituli in archivio detinetur; sed ne iterum repetam, quae hucusque animadvertenda EE. VV. exposui, ex iam praehabitis facile colligi posse videtur, quid primis et ultimo in themate concedendum, quidve aliis denegandum foret, quod Eminentiarum Vestrarum sapientiae statuendum relinquitur.

19. Quodcumque vero futurum erit iudicium, quod Eminentiis Vestris ferre placuerit super quaestionibus hucusque pertractatis, antequam respectiva dubia vestrae sapientiae resolvenda proponam, animadvertendum adhuc mihi superest, supramemoratum Archidiaconum SSmum Patrem nomine omnium capitularium rogavisse, ut quoties adductae consuetudines ecclesiae Tranensis approbari non mererentur apud hanc S. Congregationem, plenariam absolutionem et condonationem super ille-

gitime perceptis distributionibus concedere dignaretur. Dubitari profecto non licet, male perceptas distributiones fore restituendas. (Ferraris verbo *Distributiones art. 2. n. 45.*, van Espen. *P. III. de tertio canonic. offic. cap.* §. *4.*, S. Congreg. in *Maceraten.* 24. Ian. et 14 Martii 1778.). Viderint tamen Emi Patres, num in themate canonici, qui bona fide, ut videtur, innixi consuetudinibus ecclesiae Tranensis haud debitas distributiones receperunt easdemque consumpserunt, gratiam in super allata hypothesi mereantur. Posita siquidem bona fide ad restitutionem minime teneri viderentur, iuxta tradita per Garziam *de benefic.* part. VII. *cap. 13. n. 12.*, vel saltem non immerentes essent, ut per absolutionem et condonationem, quae in similibus casibus ab hoc sacro Ordine denegari non solet, conscientiae suae prospiciant.

Et iis omnibus hinc inde perpensis sequentia veniunt resolvenda dubia:

I. *An et quomodo canonici tempore divinorum officiorum audientes confessiones censeri debeant praesentes in choro ad effectum lucrandi distributiones in casu?*

II. *An et quomodo iidem canonici Missam celebrantes tempore divinorum officiorum tamquam praesentes haberi debeant in choro ad eumdem effectum in casu?*

III. *An et quomodo canonici assistentes Archiepiscopo in Pontificalibus aliisque functionibus vel Missam privatam celebranti absentes a choro lucrentur distributiones in casu?*

IV. *An et quomodo lucrentur distributiones iidem canonici Archiepiscopo assistentes in pertractandis negotiis dioecesis, vel ipsum in dioecesi extra residentiam comitantes in casu?*

V. *An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro ad expendendas rationes massae capitularis in casu?*

VI. *An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro ministerio praedicationis vacantes in casu?*

VII. *An et quomodo canonici lucrentur distributiones, dum absunt a choro pro examine ordinandorum vel confessariorum in casu?*

VIII. *An et quomodo canonici rectoris, administratoris, professorum et examinatorum munus exercentes in seminario, a choro absentes lucrentur distributiones in casu?*

IX. *An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro ut Pro-vicarii generalis, Cancellarii et Actuarii, aliaque munera in curia archiepiscopali exerceant in casu?*

X. *An et quomodo lucrentur distributiones canonici absentes a choro rerum capitularium vel mensae archiepiscopalis administrationi vacantes in casu?*

XI. *An et quomodo canonicus Cancellarius Capituli lucretur distributiones pro negotiis capitularibus in archivio distentus in casu?*

Et quatenus negative,

XII. *An consulendum SSmo pro absolutione et condonatione perceptarum distributionum in casu?*

Emi Patres die 20. Dec. 1862. rescripserunt:

Ad 1. Negative in omnibus, excepto Poenitentiario.

Ad 2. Negative, nisi de praefecti chori licentia et in populi commodum.

Ad 3. Affirmative ad primam partem, prout in Lycien. 27 Augusti 1641., ad secundam partem negative.

Ad 4. Negative in omnibus.

Ad 5. Affirmative per tempus ab Episcopo praefiniendum.

Ad 6. 7. 8. 9. Negative in omnibus.

Ad 10. Quoad canonicum administratorem rerum capitularium affirmative pro diebus et horis, quibus reapse incumbat in administrationem; in reliquis negative.

Ad 11. Negative, nisi in casu urgentiae.

Ad 12. Affirmative, celebrata una Missa cum cantu, adstante universo Capitulo.

XXVII.

Folium causae *Velitern. Participationis.*

(Ad pag. 319. vol. I.)

Summarium. 1. Factum narratur. – 2. Frequentissimae sunt controversiae inter canonicos primae erectionis, et eos, qui secundae erectionis sunt. – 3. 4. 5. Peculiares in facto circumstantiae referuntur. – 6. 7. Deductiones hinc inde expositae. – 8. Capitulum in admissione novorum canonicorum conditiones sibi bene visas adiicere potest, quales sunt, ne participent de legatis, aliisque bonis ad antiquum Capitulum pertinentibus, itemque de voce activa ac passiva in negotiis eiusdem Capituli propriis. – 9. Dubitatur, an idem valeat, cum admissio absolute et sine ulla conditione peracta fuit. Affirmant nonnulli. – 10. Distingunt alii inter canonicos honorarios et canonicos vere de gremio factos, quos ultimos omnium honorum et onerum participes fieri contendunt. – 11. Quae

sententiae conciliantur, ut haec secunda valeat, cum novi canonici substantiam a fundatore traditam in massam communem conferunt, si secus, alteri sententiae locus fiat. – 12. Hinc fluit alia distinctio, ut novi canonici admissi dicendi sint ad iura Capitulo postmodum obventura, minime vero ad iampridem obventa. – 13. Circa distributiones extraordinarias a funeribus aliisque functionibus profectas distinguit de Luca inter casum, quo capitularibus singulis certa quota dividatur, sive maior, sive minor sit capitularium numerus, et casum, quo certa pensitatio inalterabilis penditur, quicumque demum sit capitularium numerus. – 14. Ad praxim quod attinet Sacrae Congregationis in *Narnien.* Emi Patres rescripserunt, canonicos secundae erectionis non participare de emolumentis, quae proveniebant ex dispositionibus relictis Capitulo ante secundo erectos canonicatos, bene vero de relictis post eosdem erectos, ac de manualibus in dies elargiendis. Idem fere resolverunt in aliis causis. – 15. In *Verulana* edixerunt, novellum beneficiatum iuxta legem fundationis teneri interesse choro, ac inservire in Missis cantatis et functionibus ex voluntate benefactorum, dummodo admittatur ad participationem. – 16. In *Sabinen.* eadem fere stabilita sunt. – 17. Circa vocem activam et passivam receptum reperitur, ut novi admissi ea non gaudeant in rebus, quae interesse et iura particularia primaevi Capituli respiciunt. – 18. Eadem S. C. in *Veliterna* edixit, canonicos secundae ac tertiae erectionis non participare de emolumentis, quae fluebant ex dispositionibus relictis ante erectionem canonicatuum, et ab exercitio curae, bene vero in reliquis; item non participare de piis legatis Capitulo relictis ante erectionem. Item habere vocem activam et passivam in rebus Capituli, iis exceptis, quae interesse et iura primi Capituli tangunt. Turnum servandum esse ab omnibus canonicis quoad functiones capitulares, et eas, pro quibus ad participationem admittuntur: Et scribatur Capitulo, ut intra sex menses statuta capitularia conficiat.

1. Quatuor olim constabat canonicis, comprehenso archipresbytero animarum curam gerente, Capitulum collegiale terrae Norbarum, quod est iurispatronatus nobilissimae gentis Burghesiae oppidi dynastae. At superiori saeculo labente, nimirum anno 1788. bini canonicatus adiecti fuerunt ex pia dispositione archipresbyteri Ioannis Baptistae Tuschi singulis assignata de suis bonis praebenda; et bini demum alii canonicatus nuper anno 1848. accessere ex haereditate Angeli Mattocci Norbani, ita ut in praesentiarum ex octo canonicis, ex triplici distincta erectione, Capitulum praedictum constet.

2. Porro singulare et novum pene fuisset, si, quae contentiones inter antiquos et recentioris erectionis canonicos oriri

solent, in hoc Capitulo locum non habuissent. Iugis namque experientia docet, et S. huius Congregationis Resolutionum Thesaurus abundat exemplis, in id plerumque antiquos canonicos conari, ut a plena iurium canonicalium participatione novos excludant; et quandoque ad unam stalli et insignium in choralibus functionibus aequalitatem horum iura coercenda esse putent: ceterum a capitularibus conventibus eorumque negotiis cognoscendis, et quod gravius est, a distributionum, anniversariorum, funerum, legatorum, aliarumve obventionum emolumentis ieiunos prorsus abire laetentur. Quod quam grave ac molestum accidat iis, qui in hanc conditionem sese coniectos vident, testantur continuae, ut iam innui, ea super re concertationes. Quapropter, quum etiam qui Norbani collegii antiquam massam repraesentant, vel ipso respectivae novae canonicatuum erectionis exordio pleraque iura ac emolumenta privative sibi addixerint, factum tandem est, ut novi canonici suas ad S. hunc Ordinem detulerint querelas, atque ad laesa sibi resarcienda iura enixe hodierna die rogant Emos Patres, ut definiant: « 1. Utrum omnia incerta, certa et adventitia pertineant ad solos primae erectionis canonicos, an vero simul ad secundae et tertiae? 2. An omnes canonici conventibus capitularibus intervenire et turnum in functionibus servare debeant? 3. Cuinam una cum respectivis oneribus cedere debeant testatorum relicta, quae Capitulo fiunt? »

3. Ad rem summopere praestat, inquirere in facto, utrum et quaenam sint antiquae massae leges ac statuta, quibus ea oneribus devinciatur, cuiusve indolis sint legata, anniversaria, aliaeque obventiones, quas canonici eiusdem massae sibi hucusque condixere; insuper quaenam fuerint leges fundationis et erectionis canonicatuum Tuschi et Mattocii, quibusque conditionibus fuerint a Norbano Capitulo recepti. Quae ut comperta haberentur, Emum Veliternum Antistitem suam informationem et votum, audito Capitulo, de more rogavi. Iam vero ex iis, quae ab eodem Emo Viro accepta sunt, colligitur, nullo statuto seu constitutione collegium illud primae erectionis moderari, eiusque fundationis monumentum inter antiquitatis tenebras incassum quaeri: praeter archipresbyterum animarum moderatorem, tertio inesse canonico onus ipsum in parochiali munere coadiuvandi, et sic etiam reliquis duobus canonicis, quoties tertius legitimo impedimento detineatur, prout decreto anni 1801. ab Episcopo Card. Albani

cautum reperitur: omnes autem eiusdem erectionis canonicos teneri diebus festis Missae conventuali interesse, quae ab ipsis per orbem canitur; necnon Vesperis, quae praecedunt dies festos primae classis, Dominicae aliorumque festorum: inter onera quoque recenseri celebrationem ultimae Missae per turnum diebus festis ad populi commoditatem, ad quod onus, solo licet Adventus et Quadragesimae tempore, etiam archipresbyter adstringitur. Ex reditibus praedialibus, detractis vectigalibus ac expensis pro cultu, obtingere quotannis cuique canonico scutata triginta quatuor, et obulos sexdecim cum dimidio, quae aliis scutatis octodecim, pariter pro unoquoque augentur ex partitione fructuum censuum, quos difficillimae exactionis dicunt, promanantibus; onere tamen praegravati ex variis piis relictis, duodecim Missarum cum cantu, et quindecim lectarum. Incerta vero, quae certa dicuntur, sunt septem anniversaria cum emolumento scutati unius inter quatuor canonicos dividendi; eademque ratione dividuntur scutata septem a communitate rependenda pro celebratione quatuor festivitatum; necnon iulii quindecim pro aliis festivitatibus, si quandoque ex fidelium devotione celebrari contingat. Incerti proventus ex funerum associatione pro adultis suppeditant archipresbytero obul. 56. cum dimidio, et singulis canonicis primae erectionis obul. 34. cum dimidio, comprehensa Missae applicatione: pro pueris vero quoad primum coercentur ad obulos novemdecim, quoad alios ad obulos novem cum dimidio, eademque proportione candelarum distributio perficitur.

4. De Tuschianis canonicalibus una testamenti particula profertur, in qua legitur « Volo et iubeo, ut in ecclesia collegiata Norbana duo erigantur canonicatus iurispatronatus cum praebenda scutatorum quinquaginta pro utroque etc.» Nullum namque eorumdem erectionis monumentum in tabulario episcopali reperire datum fuit. Attamen de iis mentio occurrit in literis erectionis canonicatus Mattocci, in quibus, postquam de hisce edixerit Emus Episcopus: « *duos canonicatus et praebendas pro duobus presbyteris aut clericis... qui stallum in choro habeant nec non in ea ecclesia divinis officiis ceterisque actibus publicis se conformare... auctoritate nostra ordinaria... cum honoribus et oneribus universis erigimus etc... eisdem canonicatibus ac ipsi ecclesiae collegiatae secundum statuta et laudabiles consuetudines deservietis etc.,* » easdem literas concludit: « *Quocirca mandamus*

dignitati et canonicis collegiatae illius ecclesiae, ut vos in fratres et canonicos recipiant, et stallum in choro locumque in Capitulo assignent, prout cum canonicis secundae erectionis factum est.

5. Nullas in receptione conditiones ab antiquae massae canonicis neque quoad Tuschianos, neque quoad Mattoccios canonicatus adiectas fuisse colligi posse videtur ex eo, quod nullum de iis documentum exhibeatur, vel verbum fiat. Praeter commune cum canonicis antiquae erectionis chorale pensum, onerantur recentiores ex fundatione nonnullis piacularibus sacrificiis pro anima respective fundatoris, et Mattoccianis adiicitur lex sacrum turnatim litandi diebus festis post conventualem. Horum canonicatuum quanti sint reditus, specifice non traditur: eos tamen profluere ex integra fundatoris haereditate, et prae ceteris pinguiorem praebendam constituere, compertum est. Nullam demum de utriusque erectionis canonicis asseri posse consuetudinem, refert Emus Episcopus, cui concinunt canonici primae erectionis adfirmantes, nunquam eos partem habuisse, neque in distributionibus, neque aliis proventibus, qui incerti dici solent. Et de iure assistendi capitularibus sessionibus subiungunt: « Haec est recens novorum praetensio, quoniam antecessores similem praetensionem nunquam mente foverunt. » Haec in facto.

6. Contendunt canonici primae erectionis, utraque incerta proprie dicta stolae albae et nigrae, et incerta, quae certa dicuntur inter ipsos exclusive partienda. Primo, attenta canonicatuum indole, utpote quibus animarum cura est adnexa, merces hinc sua ut operario debeatur, iustitiae debitum exigit. Secundo ex aequitate, cum canonicales proventus sint adeo tenues, ut archipresbytero congrua etiam necessaria deficiat. Tertio, quia novi canonici, praeterquam pinguiori censu ditantur, levioraque sustinent onera, de Capituli gremio non sunt, et admitti ea unice mente potuerunt in tanta rerum angustia citra ullum antiquorum praeiudicium; ita ut reapse de tempore admissionis nunquam de incertis participes facti fuerint, neque in functionibus a Capitulo explendis sese immiscuerint. Illudque proinde plane confici putant, iure suffragii ipsos minime donandos in Capitulis, saltem quoad ea, quae respiciunt redituum administrationem, aut officialium electionem, cum devium a iure sit, ut quis in aliena negotia se intrudat.

7. Contra canonici noviter recepti pari iure se pollere arbitrantur ad universa incerta, quae Capitulo obveniunt, tum ex fun-

datorum voluntate, saltem praesumpta, tum ex erectionis lege, qua factum est, ut canonicatus cum *honoribus et oneribus universis* antiquis competentibus erigerentur; et correspectivorum ratio exigit, ut eadem ferenti onera idem tribuatur emolumentum; tum maxime ex indole receptionis. Capitulum enim nullis adiectis conditionibus, sed pure ac simpliciter canonicatuum erectioni assensum praebuisse propugnant; ita ut ex hoc ipso plenum canoniae ius adepti, unum morale corpus constituant, et uti in honoribus ac oneribus, ita in emolumentis ceteris peraequati habeantur. Nec ullo modo obstare putant praebendarum diversitatem, cum ea non circa universitatem et genus iurium canonicalium, sed solum quoad particularia et speciem proventuum versetur. Quoad capitulares conventus ad literas confugiunt erectionis anni 1848. superius relatas.

8. In iure haud ambigitur, quod Capitulum novae canonicatuum erectioni consentiens, conditiones sibi bene visas possit adiicere, quae iustitiae consonae appareant, easque Sac. Congregatio iugiter approbavit. Iustam, praeter alias, censuit conditionem, quod novi canonici non participent de legatis, anniversariis, bonis, aliisque iuribus iam antiquo Capitulo quaesitis; vel quod nec activam nec passivam habeant vocem in negotiis ad interesse pertinentibus antiquorum dumtaxat canonicorum; uti prostant exempla in *Aretina Erectionis canonicatuum 5. Maii 1703. in Alatrina* 8. Februarii 1727. *et in Toletana Archipresbyteratus* 1. Februarii 1766.

9. At dubium est, si forte, nullis adiectis conditionibus, sed pure et libere novae erectionis canonici admissi fuerint: in qua ad amussim versari conditione Capitulum Norbanum videtur. Non eadem siquidem hoc in casu est canonistarum opinio, num ad omnia iura, emolumenta et legata Capitulo relicta indistincte sint admittendi. Negant aliqui ob legalem iuris praesumptionem, quod admissio facta censeatur sine ulla proprii iuris diminutione ac detrimento, ideoque magis aequitati congruum, ut novi canonici ea non lucrentur, quam ut antiqui ea perdant; (Tondut. *Quaest. benef. cap. 68. n. 15.*, Scarfanton. ad Ceccoper. *Lib. 1. tit. 14. n. 59. et seq.*) praesertim si res sit de novis canonicis, qui propriam praebendam distinctosque fructus habeant. (Card. de Luca *de canonic. disc. 6. num. 3.* et Piton. *de controv. part. alleg. 64. n. 5.*).

10. Alii vero distinguentes speciem canonicorum supranumerariorum, qui sola honorifica denominatione fruuntur, et numerum antiquorum haud frangunt, ab iis, qui vere et proprie aggregantur ad Capitulum, et de eius corpore fiunt cum omnibus privilegiis et honoribus, et per quorum admissionem numerus augetur, censent, hos nihil differre ab antiquis, ita ut tam novi, quam antiqui in omnibus uniformes sint active et passive tam in oneribus, quam in honoribus, singulisque semper aequalis debeatur omnium emolumentorum participatio, nisi aliud in novorum admissione cautum expresse fuerit. Haec tenet idem Card. de Luca *eod. tit. disc. 37. n. 2.* et Panimoll. *decis. 98. annot. 1. n. 6.* Sed prae omnibus eminet Pignatell. *tom. 6. consult. 48. per tot.*, qui articulis formiter discussis, tam quoad vocem in Capitulo, quam quoad participationem omnium emolumentorum, ad utraque admittendos esse canonicos noviter receptos pure et simpliciter tuetur, innixus auctoritatibus, quas plena manu refert. Quin immo, quoad vocem in Capitulo, eo usque suam urget sententiam, ut putet, eam competere novis canonicis, etsi numquam ad Capitulum fuerint admissi, et in literis receptionis legeretur clausula « *sine praeiudicio,* » quam intelligendam putat de omni alio praeiudicio, praeter illud, quod venit in necessariam consequentiam pleni iuris canoniae.

11. Verumtamen haec sententiarum discrepantia, verba auctoris mox relati penitius perpendendo, conciliari posse videtur. Supponit enim ipse casum, quo ex fundatorum voluntate ceteris in omnibus peraequandi forent novi canonicatus, et quod relicta ab iis substantia in communem fuerit massam collata; quibus positis, quum per hanc collationem onerum peraequatio supponatur, planum est, antiquorum consensum absque conditione praestitum id operari, ut communis emolumentorum ex massa retrahendorum participatio esse debeat, quum hoc in casu verificetur, ad amussim antiquorum praeiudicium evanescere, quod profecto est fundamentum contrariae sententiae. Ceterum citra huiusmodi peculiaria rerum adiuncta primam sententiam, ex maiori saltem canonistarum suffragio, praevalere, congruum apparet.

12. Quapropter veluti eiusdem sententiae consectaria est distinctio, quam circa legata et emolumenta alia tenendam monent Castren. *Consil. 170.* §. *Super secundo,* Card. de Luca *de cano-*

nic. discur. 6. num. 12., Piton. *de controv. Patron. alleg. 65. n. 27.* et Scarfanton. *Lib. 1. tit. 14. n. 60.*, ab illis nimirum novos canonicos excludendos esse, quae ante eorum erectionem ac receptionem iam Capitulo quaesita fuerant; ad ea vero esse admittendos, quae post erectionem obvenere: obtinet enim hoc in casu, quod, quidquid Capitulo relictum est, aeque inter omnes dividi debet.

13. Quoad participationem distributionum incertarum resultantium a funeralibus, seu mortuariis ac anniversariis, aliisque ecclesiasticis functionibus a populi devotione obvenientibus, eam *summa ratione* deberi novis canonicis, respondit Card. de Luca *cit. disc. 6. num. 14.* « *quoniam participatio noviter additorum non praeiudicat antiquis, sed solum auget praeiudicium seu impensam populi volentis illas functiones ecclesiasticas facere.* » Limitat nihilominus responsum ad casum distributionum, seu emolumentorum, quae certam taxam non habent in singulis; idque exemplis explanat. « Si enim ex. gr. singulis canonicis in » funere intervenientibus quaedam certa portio pecuniarum, vel » candelarum dari soleat non alterabilis, sive maior, sive minor » sit canonicorum numerus, tunc recte id procedit, quoniam nihil » interest singulorum, maiorem vel minorem esse numerum par- » ticipantium, dum cesset ius accrescendi. Secus autem ubi pro » illa functione ex consuetudine datur quaedam summa Capitulo » indistincte, sive maior sive minor numerus canonicorum in- » terveniat, quoniam in exsequiis seu funeralibus ordinariis, vel » minus solemnibus, ad quae pro libito partium canonici ca- » thedralis, vel omnes, vel in parte invitantur, datur certa » portio pecuniaria inalterabilis, unde interessentium nihil in- » terest, an maior, vel minor numerus interveniat. Ubi vero » agitur de funere solemni, quod dicitur capitulare, datur certa » summa in universum distribuenda cum iure accrescendi intes- » essentibus, quibus maior numerus capitularium praeiudicat, » quoniam ita antiquiores non obtinerent illam maiorem distri- » butionem, quam prius habebant. »

14. Ad praxim quod attinet S. huius Congregationis, eam ab exemplis proxime recensendis ne pigeat haurire. In una *Narnien. Servitii et punctaturarum* 14. Aprilis 1714., in qua agebatur de novis canonicis pure Capitulo aggregatis, ac contendentibus aequalem cum antiquis emolumentorum participationem,

proposito dubio: « An canonici secundae erectionis debeant ad-
» mitti ad participationem omnium emolumentorum extra massam,
» consistentium sive in eleemosynis communitatis, societatum
» Rosarii, et SSmi Sacramenti pro Missis cantatis et processio-
» nibus, sive in relictis benefactorum favore Capituli, seu pro
» funeribus, anniversariis et Missis cantatis etiam de requie ex
» pietate fidelium provenientium? » respondit: « Negative quoad
» provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem
» canonicatuum recentiorum et affirmative quoad relicta Capi-
» tulo post dictam erectionem et quoad emolumenta manualia
» eidem Capitulo in dies largienda. »

Item *in Nullius seu Terrae Pontiani Praecedentiae et distributionum* 26. Martii 1735., in qua canonici pure et libere noviter admissi petierant participationem legatorum ac emolumentorum, quae ante novam erectionem canonicis antiquis relicta fuerant, proposito dubio II. *An et cui debeantur distributiones et emolumenta, de quibus agitur?* responsum est: *distributiones et emolumenta provenientia ab exercitio curae animarum, et a legatis relictis ante erectionem novorum canonicorum deberi canonicis antiquis.* Idipsum responsum dedit in *Viterbien.* 15. Dec. 1742. *et Tusculana Participationis* 9. Maii 1744., in quibus disceptatum insuper fuit sub. III. et VI. respective dubiis quoad interessentiam et implementum antiquorum onerum faciendum etiam a novis canonicis, et utrisque *affirmative* responsum est.

15. At in *Verulana* 3. Feb. 1776. beneficiati noviter erecti, qui, licet iuxta legem fundationis tenebatur in singulis functionibus tam pro vivis, quam pro defunctis choro cum Abbate et canonicis interesse, eisque in diaconi et subdiaconi munere deservire, quum post triennium detrectarent eorum operam illis praestare in functionibus Missisque solemnibus, pro quibus ex piorum benefactorum largitate certum annuum emolumentum Capitulo fuerat constitutum, prout etiam in adventitiis anniversariis pro quibus certum itidem emolumentum solvebatur Capitulo, quia Abbas et canonici destiterant eadem emolumenta partiri cum beneficiatis, quos antea de hisce participes reddere non dubitaverant, proposito dubio: *An beneficiati Bisleti teneantur interesse choro ac inservire Missis cantatis, et sacris functionibus provenientibus ex voluntate piorum fundatorum?* responsum est: *affirmative, dummodo admittantur ad participationem.*

16. In *Sabinen. Participationis* 2. Maii 1770. agebatur de novo canonicatu ex probabili fundatricis mente ceteris coaequando. Agebatur quod ipsa fundatrix in ceteris suis bonis haeredem ex asse instituerat ecclesiam ipsam collegiatam, ad hoc, ut reditus ab archipresbytero et canonicis, comprehenso etiam novo erigendo, aequaliter lucrarentur. Haud constabat, num conditionate, vel simpliciter fuerit facta admissio: asserebatur nihilominus, primum canonicatus possessorem aeque ac ceteros de omnibus legatis, distributionibus quotidianis aliisque emolumentis, de quibus antiqui, participes fuisse. Cum inde haec omnia denegarentur noviter proviso, quaesitum est: *An possessor canonicatus nuncup. Filippi participare valeat de legatis, distributionibus quotidianis, aliisque emolumentis, de quibus participant alii canonici?* datumque responsum: *affirmative, dummodo resideat et inserviat in omnibus ad formam aliorum canonicorum, et conferat tertiam partem pro distributionibus.* Re tamen iterum perpensa, cum ex documentis resultasset, antecessores haud participasse de dictis massae emolumentis, quia de gremio Capituli canonicatus non reputabantur, atque reditus praebendae detrimentum subiisse, rogationi: *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?* redditum fuit responsum: *Quoad emolumenta superventa post aggregationem novi canonici, in decisis. Quoad collationem tertiae partis pro distributionibus, recedendum a decisis. Quoad emolumenta existentia ante aggregationem, iterum proponatur.* Subinde quis fuerit huius causae exitus, ex Thesauro colligere datum non est.

17. Quoad ius vocem activam et passivam in Capitulis exercendi, videnda *Eugubina Erectionis canonicatuum* 26. Martii 1763. *ad quartum dub. et Tolentinaten. Archipresbyteratus* 1. Feb. 1766. *ad tertium dub.*, in quibus iugiter statutum reperitur, quod novi canonici gaudeant *voce activa et passiva, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum.*

18. Hisce pro munere expositis dantur dubia:

I. *An canonici secundae et tertiae erectionis admittendi sint ad participationem omnium emolumentorum Capitulo obvenientium tam pro Missis aliisve functionibus adventitiis, et a communitate seu pietate fidelium obvenientibus, quam ex funeribus in casu?*

II. *An supradicti canonici participare debeant de piis legatis ac anniversariis Capitulo relictis in casu?*

III. *An, et in quibus negotiis iidem canonici ius habeant capitularibus sessionibus interessendi, et gaudeant voce activa et passiva in casu?*

IV. *An, et in quibus functionibus sit turnus ab omnibus canonicis servandus in casu?*

Die superius dicta, nempe 20. Dec. 1851. Emi Patres rescripserunt:

Ad 1. et 2. Negative quoad emolumenta provenientia ex dispositionibus relictis Capitulo ante erectionem canonicatuum et ab exercitio curae animarum; in reliquis affirmative.

Ad 3. Affirmative in omnibus, exceptis iis, quae respiciunt interesse et iura particularia veterum canonicorum.

Ad 4. Affirmative quoad functiones capitulares, et eas, pro quibus ad participationem admittuntur; et scribatur Emo Episcopo, qui moneat Capitulum, ut infra sex menses nova conficiat statuta ad tramites Conc. Rom. lib. 2. cap. 4. et 5.

XXVIII.

Bened. XIV. Literae Apostolicae Cum illud *de forma in concursibus observanda.*

(Ad pag. 364. vol. I.)

Summarium. 1. Quae sit Ecclesiae, Conc. Trid. et Sedis Apostolicae mens circa electionem dignioris ad animarum curam. Ecclesiae parochiales per concursum conferendae sunt. – 2. Appellatio ab irrationabili iudicio Episcopi in devolutivo a S. Pio V. permissa. – 3. Abusus huiusmodi appellationum. – 4. Perniciosi quandoque iudiciorum exitus. – 5. Votum a Bened. XIV. olim Secretario S. Congr. Conc. prolatum et publicatum. – 6. Quod a Congr., ac proinde a Clem. XI. probatum fuit. – 7. Epistola S. Congr. nomine scripta pro disciplina servanda in provisionibus per concursum ecclesiarum parochialium. Non eadem ubique erat examinis peragendi forma. Decretum anni 1603. pro novo examine concedendo absque praevia probatione gravaminis. Sed alia deinde requisita praeter doctrinam exponenda sunt. Dubia super admissione appellationis in casibus particularibus et ulterioribus instantiis. Praescribitur Ordinariis uniformitas in concursibus et examinibus. Quid singillatim servandum in ecclesiarum provisionibus per concursum. Hisce servatis, appellatio post decem dies interposita non admittitur. Quae forma sequenda sit in transmittendis actis concursus coram iudice, *ad quem*. Gravamine quoad doctrinam ex actis non probato, novum examen mi-

nime concedendum est. Neque admittenda prosecutio appellationis, nisi gravamen quoad alia saltem extraiudicialiter probetur. Praemissis non servatis, admittitur appellatio et provocatio ad novum examen, etiam non probato gravamine. – 8. Pontificis experientia de praemissarum legum utilitate. – 9. Aliqua tamen addenda supersunt. – 10. De concurrentium idoneitate non ex doctrina tantum, sed ex aliis etiam qualitatibus iudicanda. – 11. Super quibus expedit examinatorum quoque sententias exquirere. – 12. Et iudicium appellationis agnoscere. – 13. Atque in iudicio ferendo legitimis probationibus et documentis inniti. – 14. Habenda quoque ratio episcopalis iudicii ex informata conscientia prolati. – 15. Appellatio saltem devolutiva denegari nequit ex Concilio Tridentino. – 16. Series actorum servandorum in parochiarum provisionibus per concursum. Indictio concursus cum praefixione termini ad exhibenda in actis requisita. Summarium meritorum tam Ordinarii, quam examinatorum iudicio subiiciendum. Forma concursus et examinis tum circa doctrinam, tum circa reliquas qualitates requisitas. Suppressa requisitorum notula, dignior ab examine eligendus et in possessionem inducendus; appellatione interposita, iudex *ad quem* non pronuntiat nisi secundum acta. Si Ordinarius processerit ex informata conscientia, causam sibi notam per literas familiares indicabit iudici superiori. Qui nec relevare poterit, nec iuridice probari postulabit. Ordinarius suspectum habens iudicem *ad quem*, iudicii sui causas aperiet Praefecto S. Congr. Conc. – 17. Duae sententiae conformes in utramque partem iudicio finem imponent; quapropter nequaquam datur quartum adire iurisdictionis gradum. – 18. Praemissorum exsecutio Ordinariis commendatur. – 19. Pro collatione ecclesiae a Sede Apostolica providendae liceat semper Ordinariis concursum indicere et complere. – 20. Item digniorem eligere, non transmissis actis, pro collatione ecclesiae, quae Sedi Apostolicae reservata sit ratione mensis. – 21. Secus si ecclesia ex alia causa reservationi fuerit obnoxia. Pontifex Ordinariorum iudicio multum deferet.

1. Cum illud semper plurimum formidaverit Ecclesia catholica, ne indignis quibusque, et extra sacerdotale meritum constituti cura animarum et Dominici gregis custodia crederetur, quia totius familiae status et ordo nutat, si, quod requiritur in corpore, non invenitur in capite: hinc canonicis sanctionibus, ac praesertim sanctae Tridentinae Synodi decretis provide consultum est, regimen ecclesiarum parochialium iis esse committendum, quorum omnis aetas a puerilibus exordiis ad perfectiores annos per disciplinae ecclesiasticae stipendia ita cucurrisset, ut de illorum supra alios provectione, ac potiori doctrinae, morum, ac diuturni laboris suffragio nefas esset dubitare. Quia vero per-

niciosa apud plurimos opinio sensim invaluit, Tridentini decretis non praescriptam esse dignioris electionem, sed caveri tantummodo, ne indignis ecclesiae parochiales, aliaque beneficia, quibus cura imminet animarum, conferrentur, s. m. Innocentius XI., Praedecessor Noster, erroneam doctrinam a vera et sincera Patrum mente longius deflectentem damnavit, et edocuit, quam prudens ac diligens esse debeat pastoralis officii dispensatio.

Ad tramites idcirco eiusdem sanctae Synodi usu receptum est, occurrente parochialis ecclesiae vacatione, quae libere ab Ordinario conferenda sit, concursum institui, ut habita in eo de cuiuslibet aetate, moribus, doctrina et sufficientia, sollerti inquisitione, Episcopus eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.

2. At quia contingere quandoque potest, quod favore vel gratia, vel minus aequo iudicio minus digni dignioribus praeponantur, s. m. Pius V., Noster Praedecessor, ne quid in huiusmodi electione esset inordinatum atque praeposterum, edita saluberrima Constitutione licere voluit iniuste in concursu reiectis, interposita ad Metropolitanum vel Episcopum viciniorem vel Sedem quandoque Apostolicam appellatione, praeelectum ad novum examen provocare, et ecclesiam alteri non rite collatam, novo facto meritorum periculo, si ita ius esset, vindicare. Et ne frivolae appellationis diffugio locus esset, provide ibidem cautum est, dictae appellationi in devolutivo tantum deferri oportere, non suspensa aut quoquo modo retardata praeelecto ab Ordinario parochialis ecclesiae possessione.

3. Consultissimae huiusmodi leges cum in finem institutae, ne in tanti momenti re imperiti magistris, novi antiquis, rudes praeferantur emeritis, violatae sunt hominum fraude et malitia ipsa medela vulnus exasperantium. Saepissime enim reiecti ab Ordinario dictae Constitutionis obtentu, in vocem appellationis facile prorumpere, et minus legitima concurrente causa electos ab Episcopo ad novum examen provocare consueverant; illosque praeterea, relicta gregis et ecclesiae custodia, longum iter arripere, et diuturni laboris, temporis et pecuniae impensa exhaustos, litem in secunda, tertia et ulteriori quandoque instantia sustinere cogebant.

4. Quin etiam experientia compertum est, magno iustitiae detrimento litem ipsam absolvi; quandoquidem ii, qui examini

se subiecerant, atque in primaevo concursu utpote legitimarum institutionum nescii reiecti fuerant, longa postmodum decurrente lite, sedulam literis ex industria navantes operam, praeferri aliis merebantur, et acerbe succensebant Episcopo, iudici quidem adeptae, non autem adipiscendae peritiae, per iniuriam se fuisse reiectos.

5. Hinc apud bene moratos homines et iustitiae vindices, frequens querelarum occasio, quibus sedandis cum Congregatio Concilii Tridentini Interpres omne studium diligentiamque conferret: Nobis, qui Secretarii munere fungebamur, mandatum est, ut sermone, typis postea vulgato, rem sedulo expendere, ingruentis mali originem, et apta eidem avertendo remedia investigare pro viribus niteremur. Sensus hac de re Nostros explicantes, vitio potissimum laborare comperuimus praxim examinis oretenus habiti, nec scriptis consignati: electi siquidem ad curam animarum ab Ordinario collatore, et ad iteratum examen coram alio iudice provocati, ius legitimae collationis tueri non poterant certo ac permanenti testimonio iam probatae idoneitatis; sed a novi examinis alea, subeunda coram iudice appellationis gestarum rerum prorsus ignaro, tota res pendere videbatur. Quocirca gravi iustitiae detrimento recepta in foro erat opinio, provocari posse ad alium iudicem, nullo exhibito indebitae reiectionis documento. Quod quidem cum a sacrorum canonum censura longius aberraret, facile huic corruptelae occurri posse censuimus, si certa primum et apte disposita habendi examinis forma praescriberetur; si quaestiones examinatis propositae et consentaneae illorum responsiones, totaque rei gestae series in scriptis redigeretur; et sic acta demum totius concursus ad iudicem appellationis integra asportarentur.

6. Inita a Nobis consilii ratio non solum arrisit Congregationi, illam die 16. Novembris 1720. ratam habenti, sed etiam Pontificii iudicii accessione roborata fuit a Clemente XI. ecclesiasticae disciplinae vindice et assertore eximio. Utque locorum Ordinarii ea omnia filiali, quo par erat, obsequio et diligentia exsequerentur, iis datae sunt die 10. Ianuarii 1721. opportunae literae Nostro calamo exaratae, eiusdemque Pontificis sensu et oraculo comprobatae, quarum tenorem etsi alias praelo commissum et insertum in Bullario dicti Clementis Praedecessoris Nostri, congrue hic duximus referendum.

Reverendissime Domine uti frater

7. « Quo parochiales ecclesiae dignioribus personis gubernandae traderentur, statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina » Synodus *Sess. 24. cap. 18.* ut, vacante ecclesia parochiali, indiceretur et fieret concursus, ac, postquam concurrentes ab » Episcopo, vel eius Vicario generali, atque ab examinatoribus » synodalibus saltem tribus, examinati et approbati essent, Episcopus eum eligeret, quem aetate, moribus, doctrina, prudentia, » aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis et opportunis, digniorem ceteris, magisque idoneum iudicaret. Adiecitque ad hanc Concilii sanctionem validius confirmandam re et nomine Sanctissimus Pontifex Pius V., quod, » si unquam Episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, » elegisset, possent ii, qui reiecti essent, a mala eiusdem electione ad Metropolitanum, vel, si ipse eligens Metropolitanus, » aut exemptus foret, ad viciniorem Ordinarium, ut Sedis Apostolicae Delegatum, vel alias ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice et eius examinatoribus provocare; ea tamen » cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo » esse deberet: quemadmodum in eius Constitutione, quae trigesima tertia est, latius cavetur; concludendo, quod, constito » de prioris eligentis irrationabili iudicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

» Cum autem neque Concilii decreto, neque Pontificis Bulla » examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa » ac peculiaris servanda proponatur, difficile dictu est, quanta » examinum aliorum alibi diversitas exstiterit, atque hinc occasio » querelarum. Nam alicubi, cum non eaedem omnibus quaestiones, non iidem casus propositi fuissent, erant identidem, qui, » vel in iudicio vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, praeelecto autem faciliores ad solvendum quaestiones obtigisse. Alibi vero eaedem quidem omnibus quaestiones » propositae fuerunt, sed neque hae, neque datae a concurrentibus responsiones scripto seu literis consignabantur. Cumque » postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam » iure Bullae supradictae novum ad examen coram iudice ap-

» pellationis, eiusque examinatoribus electum provocaret, Sacra
» Congregatio usque ab anno 1603. ,considerans gravamen non
» alia ratione, quam novo examine probari posse, provocationem
» ad novum examen censuit admittendam, gravamine necdum
» probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti
» iudicio, in quo, probato per novum examen appellantis gravami-
» ne quoad doctrinam, probanda superest eiusdem prae iam electo
» in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis praestantia, ut de
» maiori alterutrius ad parochialis ecclesiae gubernium idoneitate
» sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior,
» is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur,
» vel etiam habendus sit. Quam S. Congregationis sententiam
» scriptores et tribunalia laudarunt. Aliis demum in dioecesibus
» laudabilis invaluit consuetudo, ut eaedem omnibus quaestiones,
» iidemque casus proponantur, ac (ne qua detur ansa cancel-
» lario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut
» ipsimet concurrentes, quae interrogati fuerint, quaeque respon-
» derint, sua manu perscribant. Atque Ordinarii, qui morem hunc
» longe optimum in examinando tenuere, Sacrae deinde Congre-
» gationi etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his, qui
» sic examinati essent atque postpositi, in posterum, ut solent,
» appellantibus, indulgenda nec ne statim electi novum ad exa-
» men provocatio, nulla gravaminis praerequisita probatione,
» videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinae
» facile alioquin probare possent; quod alii aliter nimirum exa-
» minati probare, nisi secundo, seu novo examine non poterant.
» Nec defuere alii probitatis ac peritiae in administrandis diu
» ecclesiis laude praestantes, qui monerent, frenum aliquod hu-
» iusmodi appellantium licentiae tandem iniiciendum, eorumque
» iam nimis crebras novum ad examen provocationes esse repri-
» mendas; quippe quae vix unquam sine magno ecclesiarum
» damno contingunt. Nam cum novum examen coram iudice ap-
» pellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus
» ab Episcopo, qui provocatur, parochiam, quam possidet, co-
» gitur interea temporis deserere, eamque oeconomo vel vicario
» cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus relinquere, sponso
» non parumper, sed diu sane abfuturo, dum nempe, implicita,
» ut fit, lite, terna etiam vel quaterna, alia ex aliis examina
» super praestantia primum doctrinae, tum deinde aliorum, quae

» ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multi-
» plicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam
» deliberari possit, utri concurrentium parochia sit adiudicanda.

» Ad tollendam eiusmodi non minus querelarum quam in-
» commodorum occasionem, Sacra Congregatio Concilii Tridentini
» Interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina
» Sessione 1. Oct. et 16. Nov. 1720. summo studio recognovit,
» tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per prae-
» sentes Literas encyclicas exsequitur), omnes et singulos Episco-
» pos, aliosque Praelatos, penes quos sit ius et auctoritas fa-
» ciendi concursum, hortari, ut examen eiusmodi instituere non
» graventur, quale iam et multae dioeceses, et Urbs ipsa obser-
» vat, atque Apostolica etiam Dataria postulat, sive cum sede
» vacante, vacat ecclesia aliqua parochialis, cuius collatio ad
» Sedem Apostolicam pertineat, sive cum vacat parochialis ali-
» qua, ut dicitur, iuxta decretum, sive demum, cum, vacante in
» collegiatis aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua maiori,
» annexam habente curam animarum faciendus est concursus,
» atque ad Apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est,
» atque in literis, quae de ordine Sanctissimi tunc e Dataria
» prodeunt, clare praescribitur.

» Vacante itaque ecclesia parochiali, quae conferenda sit per
» concursum, atque hoc solitis formulis indicto, haec, quae se-
» quuntur, ex Sacrae Congregationis sententia, consilio, suasione,
» servanda proponuntur:

» Primum nempe, ut assignentur eaedem omnibus concurren-
» tibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii, super
» quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro
» concione facultatem.

» Alterum, ut casus et quaestiones resolvendae dicteutur
» omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore
» textus Evangelii tradatur.

» Tertium, ut certum idemque omnibus spatium temporis con-
» stituatur, intra quod casus resolvant, quaestionibus respondeant,
» conciunculam componant.

Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudan-
» tur, unde, quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi
» copia), nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi
» possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

» Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum » sermonem scribant subscribantque.

» Sextum, ut responsa quidem latine, sermo autem ea, qua » ad populum haberi solet, lingua scribatur.

» Postremum, ut unumquodque responsum, et unusquisque » sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non » solum ab eo, qui scripsit, atque a cancellario concursus, ve- » rum etiam ab examinatoribus, et ab Ordinario, vel eius Vicario, » qui concursui interfuerint, subscribatur.

» Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei, » qui magis idoneus ac dignior iudicatus fuerit, ecclesia paro- » chiali, non admittatur appellatio aut a mala relatione exami- » natorum, aut ab irrationabili iudicio Episcopi, nisi intra decem » dies a die collationis interponatur.

» Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque con- » cursus petat ad iudicem appellationis transferenda, mittantur » vel acta ipsa originalia concursus clausa et obsignata, vel certe » unum aliquod authenticum eorum exemplum, a cancellario » concursus, atque altero notario collatum et auscultatum coram » Vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem » eligat Ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adiungendi » electio pertinebit, necnon ab examinatoribus synodalibus, qui » concursui interfuerunt, subscriptum.

» Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo nisi gra- » vamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut praemittitur, » examinatus, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irra- » tionabili iudicio Episcopi appellaverit, novum ad examen pro- » vocandi facultatem a Sacra Congregatione frustra postulabit.

» Quemadmodum et in iudicio appellationis persequi ius suum » frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, » nisi interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irratio- » nabili iudicio Episcopi, gravamen quoad illa ostenderit vel ex » actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus et docu- » mentis extraiudicialibus etiam, sed non levibus.

» Atque ita quidem sensit Sacra Congregatio, et Sanctissimus » assensit. At si quis tamen Ordinariorum aliter, ac supra de- » scriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, » perget et Sacra ipsa Congregatio more pristino appellantibus, » qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen,

» nulla gravaminis praevia probatione, indulgere. Interim tamen, » ne harum literarum memoria dilabatur, vult eadem Sacra Con- » gregatio, eas in uniuscuiusque Ordinarii cancellaria perpetuo » conservari. Cuius interea consilium, tum voluntatem dum ego » omnibus significo, Amplitudini Tuae fausta omnia e coelo pre- » cor. Romae hac die 10. Ianuarii 1721. Amplitudinis Tuae. – » Uti frater – P. M. Card. Corradinus, Praefectus. – P. Lamberti- » tinus, Secretarius. »

8. Quantum recte dispensandis ecclesiasticis muneribus, administrandae iustitiae, componendis dissidiis, continendisque in officio clericis proficeret saluberrima praemissarum legum institutio, satis superque experientia comperuimus, cum Anconitanam primum ecclesiam, ac deinde Bononiensem sponsam nostram paterna charitate cominus amplecteremur; freti siquidem dictarum legum praesidio digniores parochiis et curae animarum praefecimus: tantaque, benedicente Domino, id accidit animorum consensione, ut nemo questus sit, traditum minus digno celsioris loci praemium, vel minus iuste alteri credita vacantis ecclesiae gubernacula.

9. At quia certis admonemur indiciis, non ita id aliis Episcopis contigisse, imo non deesse, qui privatis abrepti studiis, saepe declinare ac redarguere iudicium episcopale praesumant: Nos propterea solliciti de implendis, prout decet, muneris Nostri partibus, nonnulla praefatis literis addenda, nonnulla vero tacite breviterque ibidem tradita, clarius explicanda censuimus, ut recte omnia atque ex ordine peragantur.

10. Mocrentes igitur audivimus, quod in plerisque dioecesibus, etsi recepta sit laudabilis, firmiterque custodienda consuetudo in scriptis redigendi examen concurrentium, nihilominus examinatorum suffragia in sola literarum peritia versantur, nec illorum exquiritur sententia de clericorum aetate, institutione, gravitate et honestate morum, prudentia, muniis antea exercitis, et an tales demum sint, qui oves suas verbo et exemplo iuvare possint. Quam devia sit huiusmodi praxis a Tridentini semita, is plane intelliget, qui expendet verba relata *cap. 18. Sess. 24. de Reform.: Peracto deinde examine renuntientur quotcumque ab his idonei iudicati fuerint moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis.* Idque probe noscens Congregatio eiusdem Concilii interpres pluries edixit,

examinatores suo deesse muneri, si doctrinae tantum iudices essent, nec inquirerent, qui prae aliis probitate morum, laboribus, praestito antea ecclesiae obsequio, ceterisque dotibus ad officium parochi cumulate obeundum necessariis essent idonei et commendabiles.

11. Absoluto examine, ut cuique satis compertum est, sit tantummodo potestas examinatoribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, quemadmodum sancitum est a Tridentino illis verbis: *Ex hisque Episcopus eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit.* At si quem clericorum forte contigerit appellare a mala relatione examinatorum, quorum cura unice versata fuerit in exquirenda doctrina, non facta uno eodemque tempore sollerti etiam investigatione aliarum qualitatum, quae pastoris congruant officio: ordo iudicii secum feret, ut etiam iudex, ad quem provocatum fuit, in sola doctrinae indagine immoretur, nec sine gravi animarum detrimento et disciplinae iniuria praeficiatur ecclesiae, qui literis magis pollet, licet ad cetera minus aptus, et quandoque indignus; contra vero arceatur ille, qui, licet impar doctrinae merito, attamen moribus, gravitate, prudentia, probato nomine, diuturno ecclesiae famulatu, ac multiplici virtutum laude praecellit.

12. Factum praeterea satis exstirpandis abusibus non videtur, si tam Episcopus, quam examinatores coniunctis studiis, industriae nervos omnes intenderint in conferenda concordi iudicio ecclesia personae, quae licet scientia et literis alteri concedat, maiori tamen ceterarum qualitatum eminet ornamento; siquidem postpositus, suae nimium fidens doctrinae, ab irrationabili iudicio Episcopi non raro appellat; causaque ad iudicem appellationis delata, idem totus est in perquirenda maiori doctrina, ac reparando gravamine literato homini irrogato, nusquam librato aliarum virtutum pondere, quae in appellante desiderantur: lugentque, ut plurimum, vigiles ecclesiarum Antistites exitum huiusmodi appellationis, intimeque dolent, parochias doctis, non aptis pastoribus, ut dictum est, regendas committi.

13. At si iudex etiam appellationis (quod raro evenit) tantum tribuens scientiae, quantum satis, maiori et accuratiori examine inquirat, qui mores hominum sint, quae gravitas, prudentia, qui suscepti antea labores, quae virtutum specimina, quae demum

totius anteactae vitae ratio, pascendo gregi consentanea; tot iudici exhibentur attestationes ab appellante ex industria collectae, ut, revocato episcopali iudicio tamquam irrationabili, non vereatur iudex succurrere eidem appellanti, quem tam copiosa tamque conspicua probitatis adiuvant documenta.

14. Demum cum praecipue Episcopis, tamquam in specula constitutis, pateant subditorum excessus, contingere solet, ut in concursu tam inspecta scientia, quam moribus ille idoneus ab examinatoribus renuntietur, cui foeda aliqua vitii labes, ac criminis macula inusta sit, omnibus, praeterquam Episcopo, occulta. Si Episcopus iusta suadente causa crimine non revelato, eundem criminosum tacitus praeterierit, aliumque immunem a sorde praeelegerit, illico postpositus simulato gravamine provocat ad superiorem iudicem criminis ignarum, et consueto diffugio appellationis evehitur ad pastorale fastigium, qui non potest consulere populo, sed nocere, nec praestare regimen, sed augere discrimen.

15. Ne igitur improbi ingenii homines remedium appellationis ad iustitiae praesidium institutum callide traducant ad iniquitatis defensionem, optimum factu aliquibus fortasse videretur, si appellatione quavis sublata, cura praeficiendi rectores animarum prorsus relinqueretur Episcopis, rationem villicationis suae Christo iudici tantum reddituris. Verum nullo pacto probare id possumus, quod adversaretur menti Concilii Tridentini, tacite permittentis appellationem in devolutivo a mala relatione examinatorum, quemadmodum innuere videntur verba illa: *Nec praedictorum examinatorum relationem, quominus exsecutionem habeat, ulla devolutio et appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive eiusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat;* cui sanctioni respondet etiam Constitutio Piana, admittens appellationem in devolutivo ab irrationabili iudicio Episcopi.

16. Qua de re, ut in huiusmodi negotio apte omnia atque composite peragantur, officii Nostri esse duximus, eum vobis, Ven. Fratres, gerendarum rerum ordinem praescribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi praeesse et prodesse possint.

I. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiae, statim, ad praescriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium cum

congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur.

II. Publico evulgetur edicto notitia concursus, congruo et ab Episcopo praefinito tempore celebrandi: eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato, coram cancellario episcopali, vel altero ab Episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent, exhibeant: alioquin dicto termino elapso documenta huiusmodi, quaecumque et qualiacumque ea sint, nullatenus recipientur.

III. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita (ut vocant) incorrupta fide deprompta a iuribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur; porro copia epitomes tradetur non solum Episcopo, vel Vicario Generali vices illius obeunti, sed singillatim omnibus examinatoribus ad concursum adscitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque regendae ecclesiae necessariis dotibus ferant iudicium.

IV. Die praestituta ab Episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis literis anno 1721. editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores ad assequendam certam et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a SS. Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis; et postquam demum deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata: parem, ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda; hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuntient.

V. Absoluto concursu ab Episcopo, vel, eo impedito, a Vicario Generali una cum examinatoribus synodalibus non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreto custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato Episcopi, vel eius Vicarii Generalis. Subinde vero Ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem, nec illi possessio ullo appellationis, vel inhibitionis obtentu retardetur.

VI. Si quem clericorum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi, coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producat; et iudex nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronuntiet. Praeterea in ferenda sententia ac reparando gravamine idem iudex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum. Quia vero a publica indictione usque ad diem habiti concursus tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessariis iuribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quaevis via fraudibus praecidatur, volumus, ac districte mandamus, ne dictae attestationes, fides tam iudiciales, quam extraiudiciales, et documenta quaecumque studiose conquisita, et post concursum, ut aiunt, expiscata ullo modo recipiantur: non obstantibus supra memoratis literis, a Congregatione Concilii Tridentini interprete anno 1721. editis, quibus ad praemissorum effectum in hac parte derogamus, illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

VII. Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis, ad detergendam iniustae fortasse praeelectionis notam: familiaribus literis iudicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim Nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat a Tridentini decretis. *Sessione* etenim *24. cap. 20. de Reform.* ita disponitur: *Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit, aut de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu alias ob lapsum biennii, de quo supra, ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, eodem ta-*

men Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.

Et quamvis iure Nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit, et a foro recesserit, attamen Episcopus (ut dictum est), si ex causa sibi tantum, et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit, illam iudici appellationis, datis secreto literis, denuntiet et aperiat. Sciant porro iudices, delatas ab Episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio, oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, quod Episcopi, suae non minus, quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii, odio vel favore moveantur, et in sacrorum canonum singularem iniuriam, *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.*

Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta: illa significet secretis literis S. R. E. Card. Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur.

17. Praeterea quia aequitati etiam convenit, causas appellationum, quae magno litigantium dispendio, et Ecclesiae pernicie immortales quandoque existunt, quanta fieri potest brevitate terminari: idcirco, ubi a iudice appellationis lata sit sententia, quae praeelectioni factae ab Episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novae appellationi aditus, sed auctoritate rei iudicatae controversiae finis imponatur. Sin vero iudex appellationis aliter, quam Ordinarius pronuntiaverit, liceat praeelecto ab Episcopo, qui causa cecidit, ad alium iudicem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiae possessione. Tandem postquam tertius quoque iudex sententiam dixerit, ne partes ultra modum graventur laboribus et expensis, praesertim, quia agitur de cura animarum, cui damnosum est, certi pastoris destitui solatio, is legitimum regendae ecclesiae ius obtineat, cui duae conformes assistunt sententiae, nec ullum novae appellationis remedium succumbenti suffragetur.

18. His sane regulis, quamvis appellatio sublata non sit, satis

tamen praesidii comparatum esse arbitramur ecclesiasticae disciplinae, ac recte gerendarum rerum ordini. Unum superest, ut proposita hactenus media debitae exsecutioni mandentur; eumque in scopum locorum Ordinarii vigilantiam suam desiderari non patiantur. Ferendum quippe non esset, ad Nostri Apostolatus auditum novas in diem deferri querelas, ac summovendis abusibus novas implorari leges ab iis, qui iam praestitutas negligunt et contemnunt.

19. Demum cum non raro contingat, ecclesias parochiales, dignitates, canonicatus aliaque beneficia, curam animarum habentia, a Sede Apostolica esse conferenda; vel quia vacaverint in mensibus reservatis, vel quia ex alio capite dictae Sedi reservata sint: Nos Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes praecipimus et mandamus, ut uno vel altero eveniente casu, concursus ab Episcopo sine ullo discrimine indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam Nostris hisce Literis sibi tributam Episcopi intelligant.

20. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis, *quae tantum ratione mensium reservata sint*, Episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria, cum id opportunum duxerit, requirantur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite, quam mensium Apostolicorum*, S. Sedi reservata sint, eo sane casu, veteri non immutato more, abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, et acta concursus ultro Datariae exhibeat.

21. Licebit tamen Ordinariis, pro suo arbitrio, familiaribus literis Datario scriptis eidem denuntiare personam, quam censent regendae ecclesiae magis idoneam, eumdemque commonere, an occulta aliqua, et in actis iuste reticita subsit causa, quae cuipiam obstet ad beneficium curatum obtinendum. Nos ipsi postmodum ab hac Sede omnium principe et magistra, luculento edocebimus exemplo, quanti faciendum sit episcopale iudicium, quantoque vos honore prosequamur, Ven. Fratres, in partem Nostrae sollicitudinis evocatos, quibus interim Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. - Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 14. Decemb. 1742. Pontificatus Nostri anno tertio.

XXIX.

Folium causae *Casalen. Praebendae theologalis* (1).

(Ad pag. 372. vol. I.)

Summarium. 1. Facti-species enarratur. – 2. Praebendae theologalis institutio unde habuerit originem. – 3. Eam uti legem induxit in omnes cathedrales et collegiatas Conc. Trid. – 4. Pro Italia et insulis adiacentibus Bened. XIII. Constitutionem edidit incip. *Pastoralis officii.* Etiam Gregorius XVI. de eadem agit Literis encyclicis incip. *Inter praecipuas,* quibus societates biblicas condemnat. (Vide documentum XXX.). – 5. In monachorum coenobiis primas partes Scripturae deferendas esse ita ut sacrae theologiae lectio non excludatur, statutum fuit in Tridentina Synodo. – 6. Ex doctrina Bened. XIV. Tridentinae legi satisfit, sive Sacra Scriptura explanetur, sive sacra theologia tradatur, dummodo haec talis sit, qualem describit Melchior Canus. – 7. Idem confirmatur auctoritate Card. Petra. – 8. Necnon ex declarationibus S. C. Conc., et Synodorum dioecesanarum sanctione. – 9. Praedicatio verbi divini a parochis tradenda diversi generis est ab ea, quae a theologo tradi debet. – 10. Quod confirmatur ex declaratione S. Congr. Conc. in *Fulginaten.* – 11. Theologo in Scripturis explanandis chartula uti licet ad memoriam excitandam. – 12. Numerum lectionum quotannis habendarum proprie non praestituit ius commune, sed Concilium Romanum quadraginta lectiones determinavit. – 13. Extra provinciam Romanam standum est prudenti arbitrio Episcopi et consuetudini. – 14. Theologo licet vacationes sumere aliorum more lectorum. – 15. Quin etiam aliquanto longius producere, si ita mos ferat. – 16. Tertia praebendae proventuum pars in distributiones applicanda est, quas theologus amittit, accedente negligentia. – 17. In casu infirmitatis sanabilis theologus non tenetur substitutum adsciscere; bene vere, si infirmitas sit insanabilis. – 18. In theologi negligentiam potest Episcopus animadvertere iuxta *cap. 12. Sess. 24. de Reform.* – 19. In dicta *Casalen.* S. Cong. declaravit, circa lectiones biblicas instar concionum habendas standum esse Conc. Trident. *Sess. 5. cap. 1. de Reform.* iuxta Conc. Romani expositiones; non teneri theologum Episcopo obedire prohibenti, ne chartula utatur. Circa argumentum lectionum servandam consuetudinem; in casu inobedientiae et ulterioris contumaciae servandum Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*, et Constit. *Pastoralis officii* Bened. XIII.

1. Cum in ecclesia cathedrali Casalensi noviter canonicus N. N. theologale officium assecutus esset et aliqua contra consuetudinem in ea ecclesia receptam invehere voluisset, quae

(1) Cfr. Sentis, *die Praebenda theologalis und poenitentialis in den Capiteln,* Mainz 1867.

dubiorum formulas inferius positas respiciunt, adversum et oblu-ctantem offendit Episcopum suum, qui eidem opportuna mandata iniunxit, quibus parere iubebatur. Quibus ille cum acquiescere detrectaret, res ad iudicium S. Congregationis Concilii delata est. Itaque sacer Ordo peractis omnibus, quae de more peragi solent, antequam causa quaelibet in folio disceptanda proponatur, ad earum, quae inter Episcopum ac theologum gliscebant, quaestionum capita obtruncanda opportunum duxit ea, quae sequuntur, iura ad rem facientia praemittere, videlicet:

2. Primus Alexander III. in Concilio Lateranensi III. anni 1179. *can. 18.* providentissime praescripsit, ut in unaquaque cathedrali ecclesia magister institueretur, *qui clericos eiusdem ecclesiae et scholares pauperes gratis doceret.* Hanc dispositionem pene neglectam innovavit ampliavitque Innoc. III. in Conc. Lateranensi IV. anni 1215. decernens, ut singulae cathedrales, ceteraeque ecclesiae congruis instructae reditibus magistrum constituerent, qui grammaticam traderet; metropolitanae vero theologum, *qui sacerdotes et alios in sacra pagina doceret,* prout videre est in *Cap.* Quia nonnullis *de magistris.* Theologi institutionem ad omnes cathedrales extendit Leo X. in Concilio Lateran. V. anni 1516. *Sess. 16.*

3. Plurimum vero ad huius officii propagationem contulit Tridentina Synodus, quae *Sess. 5. cap. 1.* illud institui providenter admodum mandavit, *ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret* ea praesertim tempestate, qua ob novatorum errores ac amentiam Scripturae interpretatio privatorum arbitrio relinquebatur.

4. Quamvis autem ubique fere huiusmodi decretum de theologalis officii institutione vires suas nactum fuisset, nihilominus cum multae adhuc essent ecclesiae, quae tanto bono carerent, celebrata s. m. Benedicti XIII. Constit. *Pastoralis* pro Italia insulisque adiacentibus ad ampliorem Tridentinae sanctioni observantiam comparandam edita est. Id ipsum inculcare non destitit s. m. Gregor. XVI. suis encyclicis Literis anni 1844. incipient. *Inter praecipuas* (1).

5. Ad singula modo controversiae capita gradum faciens ante omnia super lectionis a theologo habendae materia recolendum

(1) Quas dabimus mox pag. 270. et seq.

arbitror, iam in ipsis Tridentinorum Patrum conventibus disputatum fuisse, num in monachorum coenobiis lectio sacrae Scripturae, seu potius theologiae scholasticae institui deberet (teste Pallavicino *lib. 7. num. 33. ad 90.*); ac rem ita fuisse compositam, ut, quamvis primae partes Scripturae lectioni tribui deberent, non ideo tamen theologiae sacrae lectio excluderetur. Et in *Sess. 5. cap. 1. Tridentini Concilii* theologalis praebenda instituta dicitur: *ad ipsius sacrae Scripturae expositionem et interpretationem.*

6. Sed rem doctissime suo more ad trutinam revocavit Benedictus XIV. *de Synod. dioec. lib. 13. cap. 9. num. 17.*, cuius verba praestat exscribere: « Iuxta praesentem ecclesiasticorum studio- » rum methodum negari non potest, eos in varias classes esse » distinctos: altera enim est eorum, qui sacras Scripturas inter- » pretantur: altera eorum, qui theologicas disciplinas sive scho- » lastice, sive dogmatice exponunt: altera moralistarum, qui de » agendis et vitandis in praxi disputant: altera demum eorum, » qui sacros canones profitentur. » Hanc vero diversarum classium distinctionem occasionem praebuisse addit Episcopis, ut aliquando in suis relationibus repraesentarent, ad maiorem cleri utilitatem conducere, si sacrarum Scripturarum loco theologiam moralem theologus edoceret. At vero in suo discursu relato *Thes. resolut.* die 5. Iunii 1723. probatum fuisse ait, « decretum illud » Tridentini Concilii, sive eius verba considerentur, sive ratio ha- » beatur praxis et consuetudinis sequentium temporum, aeque » comprehendere Scripturarum sacrarum expositionem ac theo- » logiae scholasticae disciplinam, et a canonico theologo non ma- » gis suo muneri satisfieri, si sacros Scripturae libros explicet et » declaret, quam si in theologia scholastica clerum erudiat: dum- » modo *(ut ipse pergit)* haec talis sit, qualem Melchior Canus » tradendam addiscendamque suadet in suo *lib. 8. de locis theo-* » *logicis*, et quidem Nos etiam indicavimus in Nostra *Instit. 42.*, » quae scilicet circa quaestiones gravis momenti et utilitatis ver- » satur, easque pertractet, allatis Scripturae divinae testimoniis, » Conciliorum decretis et Patrum auctoritatibus. Ulterius adnota- » vimus, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum » esse, ut per canonicum theologum ea traderetur theologia, quae » est de conscientia et moribus dirigendis: id unum vero minime » decisum fuisse, num iuxta Concilii mentem canonicus theologus

» suum munus satis adimpleat, si explicando iuri canonico ope-
» ram praestet. »

7. Idem senserat ante Benedictum XIV. Card. Petra in *Comm. ad Constit. 2. Innoc. VI. num. 46.*, ubi ait, Episcopum pro sua prudentia statuere debere, quid a theologo agendum sit: hinc si agnoverit, auditores capaces, et praesertim laicos, eo casu tenetur adigere theologum, ut e suggestu sacras Scripturas doceat; sed si populus non adsit, et clerus rudis fuerit, melius tunc erit, si in theologia morali eos instrui iubeat.

8. Id etiam S. C. sancivit in *Hispalen.* diei 5. Apr. 1576., in *Pharen.* 6. Apr. 1569., in *Vigilien.* 27. Sept. 1681. et alibi passim; et hanc doctrinam amplexae sunt fere omnes provinciales et dioecesanae Synodi et nominatim Conc. Rom. anni 1725. *tit.1. cap.8.*, quod monet canonicos theologos hanc praecipue sequi debere methodum, nempe « quatenus, literali in unaquaque lectione
» praemissa enarratione, duas minimum ex eisdem sacrae Scri-
» pturae locis proponant solvantque quaestiones, historialem
» unam, moralem alteram, vel de Nostrae fidei articulis ac Sa-
» cramentis, vel de catholicae Ecclesiae ritibus, eorumque myste-
» riis, vel aliis ad sanam doctrinam et christianam institutionem
» spectantibus, quae humanae nedum eruditioni, sed spirituali
» etiam valeant prodesse interessentium saluti. » Itemque Synodus Montisfalisci anni 1710., quam laudat saepissime Bened. XIV.

9. Quibus praemissis, erit Emarum Vestrarum, diiudicare, num recte inde hoc inferat Casalensis theologus, nimirum, Episcopi quidem arbitrio relinqui materiam a theologo pertractandam, id autem semper esse accipiendum intra limites doctrinae hactenus praestitutae: cum praesertim praedicatio verbi Dei parochis iniuncta prorsus diversa sit a theologali lectione, ut ex Conc. Trident. *Sess. 24. cap. 4. et alibi.*

10. Hinc cum Episcopus Fulginatensis in sua quadam relatione exposuisset, a theologo doctrinam christianam loco sacrae Scripturae in modum catecheseos explicari, iuxta id, quod a pluribus retro annis obtinuerat volentibus Episcopis decessoribus, et S. O. rescripsisset, hoc a se minime probari, *quippe munus id parochi est et esse debet, cum theologus non tam ad populi quam ad cleri institutionem destinatus sit;* canonici autem apud S. C. supplices institissent, ne quid innovaretur, proposito dubio: « An
» canonicus theologus loco explicationis sacrae Scripturae posset

» explicare catechesim et docere lectiones theologiae moralis in » casu? etc.» S. C. contra votum Episcopi canonicis propitium rescripsit die 3. Iulii 1784.: « Scribatur Episcopo iuxta mentem: » mens est, ut omnino servetur *cap. 7. Sess. 24.*, per eos, qui » curam animarum gerunt quod vero ad canonicum theologum, » suas lectiones peragere debere iuxta tradita a Bened. XIV. *de* » *Synod. dioec. lib. 13. cap. 9. num. 17.* »

11. Quod ad modum habendae lectionis, num scilicet uti scripto liceat necne, perpendendum est sacras sanctiones, quibus theologi officium est constitutum, adhibere vocabula *docere, ut in cap.* Qui nonnullis *de magistris*, atque etiam *legere*, ut in Conc. Lateran. V. sub Leone X. Quibus verbis utatur Synodus Casalensis, colligere non datur ex actis. *Crisp. Visit. past. Part. II.* §. *2. n. 2.* quandam resolutionem S. C. refert in causa Casalensi editam super canonico theologo, in qua adhibetur verbum *legere*. Sic enim citatus auctor testatur, Episcopo Casalensi 5. Novemb. 1618. scriptum fuisse: « Si ecclesiae theologus sacram Scripturam ad praesens » non legit, eo quod idoneus non sit ad ipsius sacrae Scripturae » expositionem et interpretationem, per idoneum substitutum ab » A. T. eligendum etiam per subtractionem fructuum cogi, et » compelli debet.» *(Ex tom. 4. lit. SS. LL. pag. 9.)*. Ceterum quae sit S. C. mens super hoc quaestionis capite, patet ex *Amerina* iam ante ab Episcopo Casalensi citata, quam quidem resolutionem enucleans Card. Petra *loc. cit. num. 51.* in fin. sic scribit: « Et quidem nonnisi prudens Episcopi arbitrium consulere potest, » ut theologus non abutatur, legendo modo puerili materiam, » quam defert, ita ut sit causa derisionis contra mentem S. C. » volentis, quod a theologo populus et clerus edoceatur, an po- » tius chartula utatur ad fovendam memoriam eorum, quae docet, » quod non esset improbandum, cum theologus non debeat con- » cionari, sed more doctoris docere. »

12. Nunc ad tertium dubium, super quo, licet nihil praefiniverit Conc. Later. in *Cap. Quia nonnullis, de magistr.*, neque Conc. Trid. *Sess. 5. c. 1.*, neque tandem Constit. *Pastoralis* Bened. XIII., attamen C. Later. V. sub Leone X. constituit, ut theologus « bis, aut semel » ad minus per singulas hebdomadas impedimento cessante legiti- » mo legere debeat.» C. Rom. anni 1725. 40. saltem lectiones per » annum haberi voluit, neque sine speciali indulgentia minuendo earum numero annuit S. C. in *Balneor. VV. SS. LL.* 9. Maii 1840.

13. At vero ubi Concilio Romano morem geri nolis, lectionum numerus Episcopi arbitrio relictus videtur, quo tamen ipse abuti non debet, ut perpendit Petra *loc. cit. num. 48.;* quapropter in *Patavina* 15. Iulii 1645. S. C. « censuit, tempus et quantitatem lectionum habendarum ab obtinente in cathedrali praebendam theologalem praefiniendum esse ab Episcopo pro eius arbitrio, quod » tamen regulari potest a consuetudine ipsius ecclesiae, et aliarum » ecclesiarum Italiae.» Quin imo si in fundatione lectionum quantitas praesignata fuerit, illius dispositioni standum esse declaravit S. C. in *Ripana* 12. Ian. 1692., quam citat Petra *l. c. num. 49.*

14. Quantum vero ad consuetudinem, Crispinus *loc. cit. num. 9.* scribit, ita in *Asten. (lib. 8. dec. pag. 19.)* postulatum fuisse: « An » lector sacrae Scripturae possit omnibus illis mensibus vacare » a lectionibus more aliorum lectorum, qui similiter per idem » tempus in Universitatibus solent feriari? Congregatio Concilii respondit: « Lectorem sacrae Scripturae posse a lectionibus va» care, ut mos est aliis lectoribus publicarum Universitatum. » Ceterum non propterea ipsi licere eodem tempore abesse a » servitio chori et ecclesiae, quin imo hac in parte lectorem » censeri eodem iure cum aliis eiusdem ecclesiae canonicis. » Et « in *Anagnina* 16. Dec. 1645. S. C. censuit, Canonicum theolo» gum cogi debere ad legendum tempore Adventus Domini, et » prout Episcopus iudicaverit, cuius arbitrio relinquitur, excep» tis tamen mensibus Iulii, Augusti et Septembris. »

15. Quod si vero mos ferat, ut feriae longius protrahi debeant, videtur id posse tolerari ad tradita per Petram *loc. cit. num. 59.;* quamvis, si Synodus consuetudini adversetur, Synodum potius sustinendam esse rescripsit S. C. in *Milevitana, Synodus* 2. Iulii. 1707. apud eumdem auctorem. Porro in memoriam revocandum, ex Casalensis ecclesiae more vacationes ad quatuor menses extendi; quid vero Synodus Casalensis praescribat, non liquet ex actis. Constat dumtaxat ex Syn. Mediolan. XI. sub S. Carolo (Monita de exsec. decret.) sacrarum Literarum interpretationem omni die festo iussam fuisse; in feriis autem hebdomadae, aut quotidie, aut saltem ter in hebdomada, ubi cleri numerus est, aut Scripturae, aut alterius sacrae disciplinae expositionem fuisse praescriptam. Quamvis igitur theologo Casalensi quatuor mensium vacatio relinqui velit, attamen adhuc definiri debere, num una lectio in qualibet hebdomada satis sit, ut suo muneri satisfacere dici queat.

16. De quarto et quinto dubio pauca dicenda sunt: siquidem Bened. XIII. in Constit. *Pastoralis* decernit, « tertiam partem » proventuum dictae praebendae theologalis ab Episcopo distribui, » et proportionabiliter applicari singulis lectionibus s. Scripturae, » quae a praebendato praescriptis diebus et horis totius anni » habendae erunt, ita ut (sequitur ipse), si praebendatus uni- » versas lectiones habuerit assignatas, distributiones integras abs- » que ulla prorsus diminutione consequatur. Si vero in aliqua, » vel pluribus lectionibus defecerit, distributiones neglectis le- » ctionibus respondentes amittat, quae in sacristiae ecclesiae » beneficium cedant ac erogentur. In casu autem gravioris con- » tumaciae praebendati liceat Episcopo deputare alium theologum » sacerdotem saecularem, qui iugiter supplendo eiusdem prae- » bendati vices praefatis distributionibus potiatur. » Quin officiat distributiones stare loco totius praebendae, ut in ecclesia Casalensi; illud enim adhuc habere locum docet Fagnan. ad *Cap. 5. de magist. num. 2. et 3.*, et S. C. *in Suaden. Praeb. theol.* 24. Ian. 1801. §. *posita in fine.*

17. Superest illud inquirere, quid iuris, si impedimentum sit legitimum: super quo articulo scribit Crispinus *l. c. num. 5.* « Non tenetur canonicus legere, quando infirmitas est sanabilis. » *Asten.* – Congregatio Concilii censuit, non posse compelli lecto- » rem theologum ad ponendum substitutum, quando ex causa » infirmitatis sanabilis impeditur per seipsum legere. – Unde, si » infirmitas incurabilis foret, videtur teneri sibi adsciscere sub- » stitutum. » Ratio differentiae colligi potest ex Petra *loc. cit. num. 42.*, ubi tradit, in primo casu rationem publicae utilitatis exigere, ne salutari pabulo fideles fraudentur; in secundo vero, theologum inferioris conditionis esse non debere, quam canonicos, qui ex legitima causa a residentia excusantur ex textu *Cap. un. de cler. non res. in 6.* Quod autem de infirmitate in specie dicitur, de quocumque alio legitimo impedimento in universum dici debere videtur, ut colligitur ex superius allatis verbis Concilii Lateranensis V. sub Leone X. Super eadem hac re recolendae sunt in facto exceptiones, quas profert canonicus theologus in determinando annuo suae praebendae reditu contra ea, quae statuit Episcopus.

18. Quod reliquum est, an Episcopo liceat theologum praebenda privare in casu, quo in sua negligentia contumax ipse

perstiterit, videant Emae Vestrae, quid decidendum sit, posito hac in parte silentio tum Tridentini Concilii, tum Constit. *Pastoralis*. Utcumque vero se res habeat, certum est, Episcopum, si accedat personalis absentiae culpa, procedere posse ad praescriptum in *cap. 12. Sess. 24.* Ita enim intelligendum esse Petram, qui *l. c. num. 41.* docet, Episcopum censuras adhibere atque etiam ad privationem beneficii in contumacem theologum devenire posse, colligi videtur ex *Placentina* (quam exscribit *l. c.*) 29. Martii 1607. his concepta verbis: « Theologalem praeben» dam obtinens potest compelli, ut per se, non per substitutum » muneri suo satisfaciat, qui si in residendo se praebuerit con» tumacem, debet Episcopus adversus eum procedere ad prae» scriptum *cap. 12. Sess. 21.* et pro tempore, quo cessante le» gitima causa et iusto impedimento abfuerit, idem Episcopus » debet alium eiusdem canonici sumptibus substituere. (Lib. 10. » decr. pag. 162.). »

Post haec sapientissimo Emarum Vestrarum iudicio dirimenda proponuntur dubia:

19. 1. *An et quomodo theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones Sacrae Scripturae instar concionis habendas, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis in casu?*

2. *An et quomodo parere debeat mandatis Episcopi circa easdem, non adhibita cartula, sed memoriter recitandas in casu?*

3. *An et quomodo parere debeat mandatis Episcopi circa augmentum earumdem lectionum in casu?*

4. *An et quomodo in casu inobedientiae sit locus remedio subtractionis fructuum ab Episcopo propositae in casu?*

5. *An et quomodo in casu ulterioris contumaciae Episcopus procedere possit ad privationem praebendae in casu?*

S. C. die 26. Iunii 1847. respondit:

Ad. 1. *Negative, et servetur lectio biblica ad tramites Conc. Trid. Sess. 5. c. 1. de Reform. et prout exponitur in Concilio Romano an. 1725. tit. 1. cap. 8.*

Ad 2. *Negative.*

Ad 3. *Servetur consuetudo.*

Ad 4. et 5. *Servetur dispositio Conc. Trid. Sess. 22. cap. 12. de Reform. et Constit. Bened. XIII.* Pastoralis officii.

—

XXX.

Greg. XVI. Epistola encyclica Inter praecipuas *contra societates biblicas, ubi de necessitate praebendae theologalis.*

(Ad pag. 372. vol. I.)

Summarium. 1. De societatibus biblicis, quarum institutum est sacras Scripturas vulgari lingua vertere, et ubique disseminare. – 2. Nihil difficilius ad intelligendum, nihilque periculosius ad errores imbibendos, et Ecclesiae auctoritatem contemnendam, quam Scripturarum privata interpretatio: idcirco novatores scripturas vulgares ubique disseminant. – 3. Et Sanctae Sedis morem insimulant, quasi Scripturae cognitionem prohibeat, quae tamen e contra eam promovit. Huc enim pertinet Conc. Trid. lex super institutione praebendae theologalis, quam magis ac magis inculcarunt Concilia provincialia, ac praesertim Conc. Romanum et Constit. Bened. XIII., neque inculcare hodie desinit S. C. Conc. in responsis ad Episcoporum relationes de statu dioeceseon. – 4. Cautiones, ne vulgares bibliarum versiones lectitarentur ac propagarentur, adhibitae ab Innoc. III., Pio IV., Bened. XIV. – 5. Hanc Ecclesiae oeconomiam perperam reprehendunt Ianseniani, quorum audaciam contudit Clemens XI. et Pius VI. – 6. Biblicas societates iam damnaverat Pius VII., aliique subsequi Pontifices tum ope Sacrae Congregationis Propagandae Fidei tum suis Literis encyclicis. – 7. Pontifex Antistitibus gratulatur, quod iuxta Pontificum mandata suas de fraude societatum illarum oviculas, et non paucas ab errore detraxerant. – 8. Sectarii per suos missionarios biblia vulgaria inter infideles disseminantes nihil profecerunt, nisi quod impedimenta aliquando pararunt missionariis catholicis in fidei propagatione. – 9. Sectarii hac via frustrati Neo-Eboraci in America societatem instituerunt a foedere christiano dictam aliis societatibus amplificandam, cuius consilium est libertatem religiosam disseminare, ac per eam libertati politicae viam sternere. Ad hanc rem adsciverunt Italos ubique gentium dispalatos, qui biblia vulgari idiomate versa in Italiam introducerent una cum aliis pravis libris. – 10. Quibus cognitis Summus Pontifex contristatur pro ea, quam gerit, catholicae fidei sollicitudine. – 11. Itaque cum consilio peculiaris Congregationis dictam foederis christiani societatem damnat, eique nomen dari gravissime prohibet. Innovat insuper suorum Decessorum dispositiones contra biblia vulgari idiomate conversa. – 12. Subinde mandat Episcopis, ut fideles a nomine societati praedictae aliisque dando arcere studeant, necnon ut invigilent et adnitantur, ut biblia diligenter ab iis explanentur, quibus hoc munus inhaeret. – 13. In hanc rem ante omnia revocat vigilantiam Antistitum Italorum. – 14. Nec-

non et civilium Italiae principum, quorum potentiam ab huiusmodi societatibus oppugnari praenuntiat. – 15. Denique divinam opem implorat. – 16. Et Episcopis suam impertit benedictionem.

1. Inter praecipuas machinationes, quibus Nostra hac aetate acatholici diversorum nominum insidiari cultoribus catholicae veritatis, eorumque animos à sanctitate fidei avertere connituntur, haud ultimum tenent locum societates biblicae, quas in Anglia primum institutas, ac longe hinc lateque diffusas, facto veluti agmine in id conspirare conspicimus, ut divinarum Scripturarum libros vulgaribus quibusque linguis interpretatos permagno edant exemplarium numero, eosque inter christianos iuxta atque infideles nullo delectu disseminent, et horum quemlibet ad illos nullo duce legendos alliciant. Ita igitur, quod suo iam tempore lamentabatur Hieronymus (1), et *garrulae anui*, et *deliro seni*, et *sophistae verboso*, et *universis*, si modo legere norint, cuiusque conditionis hominibus communem faciunt artem Scripturarum sine magistro intelligendarum: imo quod longe absurdissimum, peneque inauditum est, ne ipsas quidem infidelium plebes ab eiusmodi intelligentiae communione excludunt.

2. Sed vos quidem minime latet, venerabiles Fratres, quorsum haec societatum earum molimina pertineant. Probe enim nostis consignatum in sacris ipsis Literis monitum Petri Apostolorum Principis, qui post laudatas Pauli Epistolas, esse ait in illis « quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles » depravant, sicut et ceteras Scripturas, ad suam ipsorum per» ditionem: statimque adiicit: vos igitur fratres, praescientes » custodite; ne insipientium errore traducti excidatis a propria » firmitate » (2). Hinc et perspectum vobis est, vel a prima christiani nominis aetate hanc fuisse propriam haereticorum artem, ut repudiato verbo Dei tradito, et Ecclesiae catholicae auctoritate reiecta, Scripturas aut *manu* interpolarent, aut *sensus expositionem* interverterent (3). Nec denique ignoratis, quanta vel diligentia, vel sapientia opus sit ad transferenda fideliter in aliam linguam eloquia Domini; ut nihil proinde facilius contingat, quam

(1) Epist. ad Paulinum §. 7., quae est epistola LIII. tom. I. op. S. Hieron. edit. Vallarsii.

(2) 2. Petri III. 16., 17.

(3) Tertullianus lib. *de Praescriptionibus* adversus haereticos cap. 37. 38.

ut in eorumdem versionibus per societates biblicas multiplicatis gravissimi ex tot interpretum vel imprudentia, vel fraude inserantur errores; quos ipsa porro illarum multitudo et varietas diu occultat in perniciem multorum. Ipsarum tamen societatum parum aut nihil omnino interest, si homines biblia illa vulgaribus sermonibus interpretata lecturi in alios potius quam alios errores dilabantur; dummodo assuescant paullatim ad liberum de Scripturarum sensu iudicium sibimetipsis vindicandum, atque ad contemnendas traditiones divinas ex Patrum doctrina in Ecclesia catholica custoditas, ipsumque Ecclesiae magisterium repudiandum.

3. Hunc in finem biblici iidem socii Ecclesiam sanctamque hanc Petri Sedem calumniari non cessant, quasi a pluribus iam saeculis fidelem populum a sacrarum Scripturarum cognitione arcere conetur; quum tamen plurima exstent eademque luculentissima documenta singularis studii, quo recentioribus ipsis temporibus Summi Pontifices, ceterique illorum ductu catholici Antistites usi sunt, ut catholicorum gentes ad Dei eloquia scripta et tradita impensius erudirentur. Quo in primis pertinent decreta Tridentinae Synodi, quibus nedum Episcopis mandatum est, ut *sacras Scripturas divinamque legem* frequentius per dioecesim annuntiandam curarent (1), sed ampliata insuper Lateranensis Concilii (2) institutione provisum, ut in singulis ecclesiis seu cathedralibus seu collegiatis urbium insigniorumque oppidorum non deesset theologalis praebenda, eademque conferretur omnino personis idoneis sacrae Scripturae exponendae et interpretandae (3). De ipsa postmodum theologali praebenda ad Tridentinae illius sanctionis normam constituenda, et de lectionibus a canonico theologo ad clerum atque etiam ad populum publice habendis actum est in plurimis Synodis provincialibus (4), necnon in Romano Concilio anni 1725., (5) in quod Benedi-

(1) Sess. 24. c. 4. de ref.

(2) Conc. Later. anni 1215. sub Innocentio III. cap. XI., quod in corpus iuris relatum est cap. 4. *de Magistris.*

(3) Trid. sess. 5. c. 1. de ref.

(4) In Conc. Mediol. an. 1565. part. I. tit. 5. *de Praeb. theol.*, Mediol. V. an. 1579. part. III. tit. 5. *quae ad beneficior. collat. attin.*, Aquensi an. 1585. tit. *De canonicis*, et aliis plurib.

(5) Tit. I. cap. 6. seqq,

ctus XIII. fel. rec. Praedecessor Noster nedum sacros Antistites Romanae provinciae, sed plures etiam ex Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis sanctae huic Sedi nullo medio subditis convocaverat (1). Idem praeterea Summus Pontifex eumdem in finem nonnulla constituit in Apostolicis Literis, quas pro Italia nominatim insulisque adiacentibus dedit (2). Vobis denique, venerabiles Fratres, qui de conditione sacrarum rerum in cuiusque dioecesi ad Sedem Apostolicam statis temporibus referre (3) consuevistis, ex responsis per Nostram Congregationem Concilii ad decessores vestros, aut ad vos ipsos iterum iterumque datis, perspectum est, quemadmodum sancta eadem Sedes et gratulari Episcopis soleat, si praebendatos theologos haheant in publicis sacrarum Literarum lectionibus munere suo bene fungentes, et nunquam inquam intermittat excitare atque adiuvare pastorales illorum curas, si alicubi res adhuc ex sententia non successerit.

4. Ceterum ad translata in vulgares linguas biblia quod attinet, multis abhinc saeculis contigerat, ut diversis in locis sacri Antistites maiore interdum vigilantia uti debuerint, ubi versiones huiusmodi aut in occultis lectitari conventiculis, aut per haereticos impensius diffundi animadverterent. Atque huc spectant monita et cautiones adhibitae ab Innoc. III. glor. mem. Decessore Nostro circa laicorum mulierumque coetus sub pietatis obtentu et legendarum Scripturarum causa secreto habitos in Metensi dioecesi (4): necnon et peculiares vulgarium bibiliorum interdictiones, quas sive in Galliis paulo post (5), sive in Hispaniis ante saeculum XVI. (6) latas invenimus. Sed ampliori postmodum providentia opus fuit, cum Lutherani Calvinianique acatholici incommutabilem fidei doctrinam incredibili prope er-

---

(1) In literis indictionis Conc. 24. Decembris 1724.

(2) Const. *Pastoralis officii* XIV. kal. Iunii an. 1725.

(3) Ex Constit. Sixti V. *Romanus Pontifex* XIII. kal. Ian. an. 1585. et Const. Bened. XIV. *Quod sancta Sardicensis Synodus* IX. kal. Dec. 1740. tom. I. Bullar. eiusdem Pont., et ex Instructione, quae exstat in Append. ad dict. tom. I.

(4) In tribus literis datis ad Metenses, atque ad illorum Episcopum et Capitulum, necnon ad Abbates Cisterciensem, Morimundensem, et de Crista, quae sunt epist. 141. 142. lib. 2., et epist. 235. lib. III. in edit. Baluzii.

(5) In Conc. Tolosano anni 1229. can. 14.

(6) Ex testimonio Cardinalis Pacecco in Conc. Tridentino (apud Pallavicinum, *Storia del Concilio di Trento*, lib. 6. cap. 12.).

rorum varietate oppugnare ausi, nihil intentatum relinquebant, ut fidelium mentes deciperent perversis explicationibus sacrarum Literarum, editisque per suos asseclas novis illarum in popularem sermonem interpretationibus, quarum quidem exemplis multiplicandis et citissime divulgandis inventae nuper typographicae artis praesidio iuvabantur. Itaque iis regulis, quae a Patribus a Tridentina Synodo delectis conscriptae, et a Pio IV. fel. memor. Praedecessore Nostro (1) approbatae, indicique librorum prohibitorum praemissae sunt, generali sanctione statutum legitur, ut Biblia vulgari sermone edita non aliis permitterentur, nisi quibus illorum lectio ad *fidei atque pietatis augmentum* profutura iudicaretur (2). Huic eidem regulae, nova subinde propter perseverantes haereticorum fraudes cautione constrictae, ea demum auctoritate Benedicti XIV. adiecta declaratio est, ut permissa porro habeatur lectio vulgarium versionum, quae *ab Apostolica Sede approbatae*, aut *cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiae Patribus vel ex doctis catholicisque viris* editae fuerint (3).

5. Non defuere interim novi ex Iansenii schola sectarii, qui hanc Ecclesiae Sedisque Apostolicae prudentissimam oeconomiam mutuato a Lutheranis Calvinianisque stilo reprehendere non sunt veriti, quasi Scripturarum lectio unicuique fidelium generi omni tempore, atque ubique locorum utilis et necessaria esse, atque ideo nemini posset auctoritate ulla interdici. Hanc vero Iansenianorum audaciam graviori censura reprehensam habemus in solemnibus iudiciis, quae toto plaudente catholico orbe contra illorum doctrinas tulerunt bini rec. mem. Summi Pontifices, nimirum Clemens XI. in Constit. *Unigenitus* anni 1713. (4), et Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei* anni 1794. (5).

6. Ita igitur antequam instituerentur societates biblicae, iamdudum in commemoratis Ecclesiae decretis fideles praemuniti fuerant adversus haereticorum fraudem in specioso illo divinas Literas ad communem usum diffundendi studio latentem. Pius autem VI. glor. rec. Praecessor Noster, qui societates ipsas suo tempore ortas magnis invalescere auctibus comperit, haud sane

(1) In Constit. *Dominici gregis* 24. Martii 1564.
(2) In regulis indicis III. et IV.
(3) In addition. ad dictam regul. IV. ex decreto Congr. Indicis 17. Iunii 1757.
(4) In proscriptione propositionum Quesnelli a num. 79. ad 85.
(5) In damnatione propos. Pseudo-Synodi Pistoriensis num. 67.

abstinuit opponere se illarum conatibus tum per Apostolicos suos Nuntios, tum per Epistolas et per decreta a diversis Cardin. S. R. E. Congregationibus edita (1), tum suis duabus Pontificiis Literis, quas ad Gnesnensem (2), atque ad Mohiloviensem (3) Archiepiscopos dedit. Subinde Leo XII. fel. mem. Decessor Noster ipsa illa biblicorum sociorum molimina persecutus est in encyclicis Literis ad omnes catholici orbis Antistites datis 5. Maii an. 1824., idque ipsum denuo fecit novissimus fel. item record. Praecessor Noster Pius VIII. in encyclica Epistola edita die 24. Maii an. 1829. Nos tandem, qui meritis longe imparibus in huius locum successimus, haud sane praetermisimus eumdem in finem Apostolicam sollicitudinem Nostram impendere, atque inter alia curavimus, ut sancitae olim de vulgaribus Scripturarum translationibus regulae in fidelium memoriam revocarentur (4).

7. Est autem, cur vobis summopere gratulemur, venerabiles Fratres, quod excitati pietate prudentiaque vestra, et supradictis Decessorum Nostrorum Literis confirmati haudquaquam neglexistis commonere, ubi opus fuit, catholicas oves, ut ab insidiis caverent, quae sibi a biblicis sociis struebantur. Ex hisce autem Episcoporum studiis cum Supremae huius Petri Sedis sollicitudine conspirantibus, benedicente Domino factum est, ut incauti quidam catholici homines, qui biblicis societatibus imprudenter favebant, perspecta subinde fraude, ab eisdem recesserint, et reliquus fidelium populus immunis ferme a contagione permanserit, quae inde illi imminebat.

8. Ea interim spe tenebantur sectarii biblici, ut magnam se consequuturos laudem non ambigerent ex infidelibus ad christiani nominis professionem utcumque inducendis per lectionem sacrorum Codicum vulgari ipsorum lingua editorum, quos ingenti plane exemplarium copia missionariis, seu excursoribus a se destinatis per illorum regiones distribui, ac vel nolentibus obtrudi curabant. Sed hominibus christianum nomen praeter regulas a

---

(1) Imprimis per epistolam Congregationis Propagandae Fidei ad Vicarios Apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum datam 3. Augusti 1816. et per decretum de omnibus huiusmodi versionibus editum a Congregatione Indicis 23. Iunii 1817.

(2) Die 1. Iunii 1816.

(3) Die 4. Septembris 1816.

(4) In monito adiecto ad decretum Congregationis Indicis, 7. Ian. 1836.

Christo ipso institutas propagare conantibus nihil pene ex sententia contigit, nisi quod potuere interdum nova creare impedimenta catholicis sacerdotibus, qui ad gentes ipsas ex sanctae huius Sedis missione pergentes nullis parcebant laboribus, ut praedicatione verbi Dei Sacramentorumque administratione novos Ecclesiae filios parerent, parati etiam pro illorum salute atque in testimonium fidei sanguinem suum inter exquisita quaeque tormenta profundere.

9. Iam vero inter sectarios illos sua ita exspectatione frustratos, et perdolenti recogitantes animo ingentem pecuniae vim hactenus erogatam suis bibliis edendis nulloque fructu divulgandis, inventi nuper aliqui sunt, qui machinationes suas novo quodam ordine disposuerunt ad Italorum potissimum, nostraeque ipsius Urbis civium animos prima veluti aggressione appetendos. Scilicet ex acceptis modo nuntiis documentisque compertum habemus, plures homines diversarum sectarum Neo-Eboraci in America proximo anno convenisse, pridieque idus Iunias inivisse novam societatem *Foederis christiani* nomine nuncupatam, et aliis porro atque aliis ex omni gente sodalibus, seu constitutis in eiusdem auxilium sodalitiis amplificandam, quorum commune cum ipsis consilium sit, ut religiosam libertatem, seu potius vesanum indifferentiae super religione studium Romanis Italisque ceteris infundant. Fatentur enimvero a pluribus retro saeculis tantum ubique ponderis habuisse Romanae Italaeque gentis instituta, ut nil magnum in orbe processerit, quin factum fuerit ab Alma hac Urbe principium; quod quidem non ex constituta heic, disponente Domino, suprema Petri Sede, sed ex quibusdam antiquae Romanorum dominationis reliquiis, in usurpata, ut dictitant, a Decessoribus Nostris potestate permanentibus, derivatum volunt. Quare cum statutum illis sit, populos universos conscientiae seu potius erroris libertate donare, ex qua, veluti e suo fonte politica etiam libertas cum publicae ad ipsorum sensum prosperitatis incremento dimanet; nihil tamen sibi posse videntur, nisi primum apud Italos Romanosque cives aliquid profecerint, eorum deinceps auctoritate atque studiis penes reliquas gentes magnopere usuri. Atque id facile se assecuturos confidunt, cum tot ubique terrarum Itali sint diversis in locis degentes, indeque in patriam haud levi numero remeantes; quorum non paucos vel novarum rerum studio sua iam sponte in-

censos, vel corruptos moribus, aut inopia afflictos nullo fere negotio ad nomen societati dandum, vel saltem ad suam operam pretio illi vendendam alliciant. Eo igitur curas suas converterunt, ut horum manibus undique conquisitis vulgaria corruptaque Biblia huc advehantur et in manus fidelium clanculum ingerantur: itemque ut distribuantur una simul pessimi alii libri libellique, ad mentem legentium ab Ecclesiae sanctaeque huius Sedis obsequio abalienandam, Italorum eorumdem ope compositi, aut in patrium sermonem translati ex aliis auctoribus, inter quos *Historiam reformationis* a Merle d'Aubigné conscriptam, et *Memorabilia super reformatione apud Italos* Ioannis Cric praecipue designant. Ceterum de toto hoc librorum genere, quale futurum sit, vel ex eo intelligi potest, quod societatis statuto praescriptum fertur circa peculiares sodalium quorumdam coetus librorum delectui destinatos, videlicet ut nunquam in hos ne duo quidem unius eiusdem religiosae sectae viri conveniant.

10. Haec ut primum relata ad nos sunt, non potuimus equidem non contristari graviter in consideratione periculi, quod nedum per remota ab Urbe loca, sed prope ipsum catholicae unitatis centrum, incolumitati Religionis sanctissimae a sectariis parari cognovimus. Quamvis enim timendum minime sit, ne deficiat unquam Petri Sedes, in qua inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum a Christo Domino positum est, non ideo tamen cessare nos licet ab illius auctoritate tuenda; et ipso insuper supremi Apostolatus officio admonemur severissimae rationis, quam reposcet a Nobis divinus pastorum Princeps ob succrescentia in Dominico agro zizania, si quae ab inimico homine Nobis dormientibus superseminata fuerint, atque ob creditarum ovium sanguinem, quae Nostra hinc culpa perierint.

11. Itaque nonnullis S.R.E.Cardinalibus in consilium adhibitis, ac tota rei causa graviter matureque perpensa, ex eorum quoque sententia deliberavimus hanc ad vos omnes dare Epistolam, venerabiles Fratres, qua et cunctas supradictas societates biblicas dudum a Nostris Decessor. reprobatas Apostolica rursus auctoritate condemnamus, et Nostri pariter supremi Apostolatus iudicio reprobamus nominatim, et condemnamus memoratam novam societatem *christiani foederis* superiore anno Neo-Eboraci constitutam, et alia eiusdem generis sodalitia, si quae iam ei accesserint, aut in posterum accedent. Hinc notum omnibus sit, gravissimi coram Deo et Ecclesia

criminis reos fore illos omnes, qui alicui earumdem societatum dare nomen, aut operam suam commodare seu quomodocumque favere praesumpserint. Confirmamus insuper et innovamus auctoritate Apostolica supra memoratas praescriptiones iamdiu editas super editione, divulgatione, lectione et retentione librorum sacrae Scripturae in vulgares linguas translatorum: de aliis vero cuiusque scriptoris operibus in communem notitiam revocatum volumus, standum esse generalibus regulis et Decessorum Nostrorum decretis, quae indici prohibitorum librorum praeposita habentur; atque adeo non ab iis tantum libris cavendum esse, qui nominatim in eumdem indicem relati sunt, sed ab aliis etiam, de quibus in commemoratis generalibus praescriptionibus agitur.

12. Vobis autem, venerabiles Fratres, utpote in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, commendamus in Domino vehementer, ut Apostolicum iudicium, et mandata haec Nostra concreditis pastorali procurationi vestrae populis annuntietis et explicetis pro loco et tempore, fidelesque oves a praedicta societate *Foederis christiani*, ceterisque eidem auxiliantibus, necnon ab aliis biblicis societatibus, atque ab omni cum illis communicatione avertere connitamini. Iuxta haec vestrum quoque erit, tum Biblia in vulgarem linguam conversa, quae contra supradictas Romanorum Pontificum sanctiones edita fuerint, tum alios quoscumque proscriptos damnatosve libros e fidelium manibus evellere, atque adeo providere, ut fideles ipsi monitis et auctoritate vestra *edoceantur, quod pabuli genus sibi salutare, quod noxium ac mortiferum ducere debeant* (1). Interim instate quotidie magis, venerabiles Fratres, praedicationi verbi Dei tum per vos ipsos, tum per singulos in cuiusque dioecesi animarum curatores, aliosque viros ecclesiasticos ei muneri idoneos; atque advigilate impensius super illos praesertim, qui destinati sunt lectionibus sacrae Scripturae publice habendis, ut officio suo ad audientium captum diligenter fungantur, et sub nullo unquam obtentu divinas ipsas Literas contra Patrum traditionem aut praeter Ecclesiae catholicae sensum interpretari et explicare audeant. Denique sicut boni pastoris proprium est, non modo tueri atque enutrire adhaerentes sibi oves, sed eas etiam, quae in longinqua recesserint, quaerere

(1) Ex mandato Leonis XII. edito una cum decreto Congregationis Indicis 26. Martii 1825.

ac revocare ad ovile; ita et vestri Nostrique muneris erit omnes pastoralis studii nervos eo item intendere, ut quicumque ab huiusmodi sectariis, noxiorumque librorum propagatoribus seduci se passi sint, gravitatem peccati sui per Dei gratiam agnoscant, et salutaris poenitentiae remediis expiare satagant: nec vero abiiciendi sunt ab eodem sacerdotalis sollicitudinis studio seductores illorum, praecipuique ipsi impietatis magistri; quorum etsi maior iniquitas sit, non tamen abstinere debemus ab eorum salute, quibus poterimus viis et modis, impensius procuranda.

13. Ceterum, venerabiles Fratres, contra insidias et molimina sociorum *Foederis christiani* peculiarem et acriorem in primis vigilantiam exposcimus ab iis ex vestro ordine, qui ecclesias regunt in Italia sitas, aut aliis in locis, ubi Itali saepius versantur, maxime autem in Italiae confiniis, aut ubicumque emporia portusque exstant, unde frequentior in Italiam commeatus est. Cum enim sectariis ipsis propositum sit inibi ad effectum adducere consilia sua, hinc et Episcopos potissimum eorumdem locorum alacri constantique studio Nobiscum allaborare oportet illorum machinationibus, adiuvante Domino, dissipandis.

14. Has autem Nostras vestrasque curas adiutum iri non dubitamus praesidio civilium potestatum, imprimis potentissimorum Italiae Principum tum pro singulari suo studio religionis catholicae conservandae, tum quod ipsorum prudentiam minime fugit publicae etiam rei interesse plurimum, ut supradicta sectariorum molimina in irritum cadant. Constat enim, diuturnoque superiorum temporum experimento comprobatum est, populis a fidelitate atque obedientia erga suos principes retrahendis non aliam esse planiorem viam, quam indifferentiam in religionis negotio a sectariis sub religiosae libertatis nomine propagatam. Atque id ne dissimulant quidem novi illi sodales *Foederis christiani:* qui, licet sese alienos profiteantur a civilibus seditionibus concitandis; ex vindicato tamen unicuique de plebe bibliorum interpretandorum arbitrio, diffusaque ita in Italorum gentem omnimoda, quam vocant, libertate conscientiae politicam pariter Italiae libertatem sua veluti sponte consequuturam fatentur.

15. Quod vero primum et maximum est, levemus una simul manus Nostras ad Deum, venerabiles Fratres, eique Nostram, totiusque gregis et Ecclesiae suae causam omni, qua possumus, fervidarum precum humilitate commendemus; invocata etiam

deprecatione piissima Petri Apostolorum Principis, aliorumque Sanctorum ac praesertim Beatissimae Virginis Mariae, cui datum est cunctas haereses interimere in universo mundo.

16. Ad extremum, Nostrae pignus ardentissimae caritatis Apostolicam benedictionem vobis omnibus, venerabiles Fratres, et concreditis curae vestrae clericis laicisque fidelibus effuso cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum postridie nonas Maii 1844. Pontificatus Nostri anno decimo quarto.

XXXI.

Innocentii XIII. Constit. Apostolici ministerii *de restauranda ecclesiastica disciplina.*

(Ad pag. 383. et 472. vol. I.)

Summarium. 1. Tonsura non conferatur, nisi iis, qui beneficium statim consecuturi sunt, vel in via versantur ad superiores Ordines suscipiendos, vel alicuius ecclesiae ministerio deputandi sint. – 2. Nullus in posterum ordinetur, qui suae ecclesiae utilis vel necessarius non sit, et eidem, vel alii loco pio non adscribatur. Episcopi adscriptionem hanc omissam suppleant quoad ordinatos in sacris Ordinibus et clericos ac minoristas beneficiatos. Quoad hos, si beneficiati non sint, adscriptio non suppleatur, nisi utiles aut necessarii ecclesiae iudicentur. Quoad legitime absentes, possit congrue eadem differri. – 3. Seminariorum alumni diebus tantum festis cathedrali, aliive loci ecclesiae inserviant, et publicis processionibus interveniant, sublata quacumque maioris servitii consuetudine etiam immemorabili. Si ex lege fundationis, dotationis, aut alicuius acceptae largitionis titulo aliter cautum fuerit, S. Sedes pro opportuna provisione adeatur. – 4. Ut quis e clero saeculari vel Regulari ad sacros Ordines admittatur, satis non est, ut linguam latinam, catechismum et quaestiones circa ordinationem propositas intelligat, sed necesse est, ut scientiam, aliasque qualitates eo gradu dignas per diligentem inquisitionem sese habere comprobet. Ad sacerdotium obtinendum requiritur, ut quis Sacramenta administrare, populumque de rebus ad salutem necessariis edocere calleat, ac theologiam moralem competenter agnoscat. – 5. Episcopus domicilii ordinandum ab Episcopo beneficii diligenter examinet; deque examine in testimonialibus fidem faciat: secus poenae incurrantur. Titulus ordinationis qua ratione computandus sit. – 6. Clerici non incedentes in veste clericali, vel alicui ecclesiae non inservientes, nulla etiam praemissa monitione, fori privilegio priventur, et adscriptio deleatur, et, si nihilominus sese minime corrigant, aliis clericalibus privilegiis spolien-

tur. Qui si beneficio aucti sint, et vitam a canonica disciplina absonam degant, praemissis monitionibus, aliisque servatis puniantur, et beneficio etiam privari possint. – 7. Consuetudo laudatur, qua ecclesiastici viri, etiam beneficio carentes Missae conventuali, aliisque functionibus cum superpelliceo alicubi intersunt. Curandum est, ut ubi eadem non viget, inducatur; et insuper, ut sacerdotibus de re morali ac liturgica convenientibus iidem interveniant. – 8. Beneficia sine praebenda supprimantur. Beneficia, quorum praebenda tertiam congruae sustentationis partem non exaequet, ad tonsuram assequendam ius minime tribuant. Ad ea beneficia nominare tamquam legata pia, satisfactis oneribus, liceat patronis tam ecclesiasticis quam laicis. – 9. Parochi minime sese excusare possunt a divino verbo explicando, et christiana doctrina tradenda diebus festis ullo praetextu sive consuetudinis immemorabilis, vel utriusque illius muneris alibi suppleti. – 10. Declaratur Const. S. Pii V. super congrua assignatione non maiori, quam centum, non minori, quam quinquaginta scutatorum pertinere ad vicarios perpetuos ecclesiarum, quae aliis ecclesiis vel pio loco unitae sunt: eademque assignatio intelligatur de scutis argenteis iuliorum decem monetae Romanae. – 11. Circa alios vicarios parochorum etiam temporarios, congrua ex prudenti Episcoporum iudicio et conscientia assignetur. Si parochi hosce vicarios, ubi opus est, deputare negligant, supplendi ius esto Episcopis. Si vero a parochis nominentur, sed approbationem Episcopi non obtineant, alii a parochis nominentur; qui si id non faciant, supplebunt Episcopi. – 12. Possunt Episcopi vicarios coadiutores penes ecclesias in ambitu parochiae sitas pro utilitate parochianorum constituere, atque etiam novas parochias erigere, servatis servandis. – 13. Episcoporum praeeminentia, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas sarta tectaque servanda est. – 14. Ad religiosum habitum non admittantur plures, quam religiosae domus vires sufferant. – 15. Regulares nonnisi ab Episcopo loci ordinentur, modo privilegio Apostolico praediti non sint. Qui si absit, vel ante mensem sese ordinationem per seipsum non habiturum publice denuntiaverit, ad quemcumque catholicum Antistitem Regulares ordinandi dimitti possunt. – 16. Episcopi in mulierum monasteriis sive subiectis, sive exemptis, clausuram invigilent, ac servandam curent. – 17. Confessarii, sive saeculares, sive Regulares limitatam licentiam assecuti confessiones excipere nequeunt ultra limites constitutos, neque etiam ex vi Bullae Cruciatae. Confessarii sine approbatione localis Ordinarii actualis confessiones neque ex indulto Bullae Cruciatae excipere possunt. Sufficit licentia Ordinarii, qui cessaverit, etiam tacita, si non fuerit revocata. – 18. Confessarii monasteriorum exemptorum ultra licentiam suorum Praelatorum ab Episcopo approbationem assequantur. – 19. Episcopi confessarium extraordinarium in monasteriis exemptis deputare possint, si Praelati regulares

eum deputare negligant, vel si saltem quotannis confessarium diversi Ordinis non nominent. – 20. Episcopi removeant quoslibet abusus in ecclesiis tam saecularibus, quam Regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum, Ritualis Romani, vel Rubricas Missalis et Breviarii Romani, non attenta quacumque consuetudine, etiam immemorabili, quando sit irrationabilis. – 21. Item removeant abusus contra decretum Conc. Trident. de celebratione Missarum, et procedant, reservata appellatione in devolutivo dumtaxat. – 22. Decretum Clementis XI. 15. Decemb. 1703. circa oratoria et altare portatile publicari et observari mandent. Si Episcopi in laicorum domibus hospitio excipiantur, sive occasione S. Visitationis, sive itineris etiam extra dioecesim, tum in casibus a iure permissis, vel ex Apostolica venia moram faciant, possint erigere altare portatile, ibique celebrare. – 23. Accurate servari curent decreta omnia *Sess.* 25. *Conc. Trid. de Regul.*, non obstantibus privilegiis iuxta *Cap.* 25. *eiusdem Sessionis* ad singula capita superiora extensum. – 24. De appellationibus in causis criminalibus. – 25. Confirmantur quaelibet Pontificum dispositiones circa appellationes et inhibitiones. – 26. Item omnia decreta, quae ad iudices conservatores, et modum ac facultatem procedendi referuntur. – 27. Accurate omnium decretorum Conc. Trident. observantia inculcatur. Ab eorum exsecutione non datur appellatio in suspensivo, nisi adsit privilegium Apostolicum post Conc. Trid. confirmatum, aut de novo concessum. Item nisi adsit statutum, vel concordia specialiter a S. Sede approbata. Item consuetudo centenaria, vel immemorabilis probata per tres sententias conformes, aut unam, quae in rem iudicatam abiverit. Ab exsecutione eorumdem decretorum datur appellatio in devolutivo. S. Congregationi Conc. datur auctoritas huius Constitutionis exsecutionem curandi, eiusdemque decreta et ordinationes interpretandi ac declarandi. Quae auctoritas privativa sit. Excipiuntur ea, quae ad Caeremoniale, Rituale ac Rubricas pertinent. Datur solummodo recursus ad Summum Pontificem contra ea, quae a Sacra Congr. disposita fuerint.

Apostolici ministerii, quod Nobis, licet immerentibus, imposuit superni dispositio consilii, ratio praecipue exigit, ut ecclesiasticae disciplinae in iis, qui in sortem Domini vocati sunt, aut servandae, aut ubi opus fuerit, restaurandae, iuxta sacrorum canonum instituta, et sanctissimas Ecclesiae leges et ordinationes omni studio advigilemus; post enim primi parentis lapsum semper ad inferiora nos deprimit humanae mortalitatis infirmitas, et carnis fragilitate observantiae vigor paulatim relaxatur; unde et de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere, et in ipso agro Domini spinas ac tribulos identidem germinare, quo-

tidiana experientia edocemur: quod si noxia inde evellantur et utilia plantentur, dubitandum non est, quin uberior, benedicente Domino, electi sanctorum operum frumenti messis exsurgat, omnisque populus in via Domini, praelucente clero, feliciter progrediatur. Cum itaque dilectus Filius Noster Ludovicus S. R. E. Cardinalis Belluga et Moncada nuncupatus, ecclesiae Carthaginen. ex concessione et dispensatione Apostolica Praesul, in ipsius Pontificatus Nostri primordiis, Nobis exposuisset, nonnulla ecclesiasticae disciplinae rationibus ac saluberrimis sacri oecumenici Tridentini decretis haud quaquam consentanea sensim in diversis inclytae nationis Hispanicae locis obrepsisse, iisque ut opportunum remedium adhiberetur a Nobis, quibus est commissa plenitudo sollicitudinis, nedum ipse Ludovicus Cardinalis et Praesul, sed et alii venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi regnorum Hispaniarum humiliter postulassent: eorumque enixis precibus sua etiam studia ac vota carissimus in Christo Filius Philippus Hispaniarum rex Catholicus, pro eius singulari pietate et eximio christianae religionis zelo, datis hac de re ad Nos pluribus literis, coniunxisset: Nos Congregationi particulari nonnullorum ex venerabilibus Fratribus Nostris eiusdem S. R. E. Cardinalibus Concilii Tridentini Interpretibus, a Nobis deputatorum, rem omnem sedulo examinandam demandavimus. Id autem cum ab ipsa Congregatione Cardinalium, ea, qua par erat, maturitate praestitum, illiusque sententia ad Nos per eiusdem Congregationis Secretarium relata fuerit; de memoratorum Cardinalium consilio, congruum et opportunum duximus ea, quae infra sequuntur, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, veteris disciplinae instaurationem et spiritualem regnorum Hispaniarum aedificationem, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuere, decernere et declarare:

1. « Primum igitur, cum a Patribus memorati Concilii Tridentini, divino afflante Spiritu, sapientissime animadversum fuerit, quantum christianae reipublicae intersit, accuratum haberi delectum circa eos, quibus sacra ministeria committenda sunt, et in quorum vitam ceteri fideles iugiter oculos coniicientes, sumpturi inde sunt exemplum, quod imitentur, propterea que provide ab iisdem Patribus cautum fuerit, ecclesiasticae militiae per primam tonsuram adscribendos nonnisi illos esse, qui probabilem praebeant coniecturam, se non saecularis iudicii declinandi con-

silio, sed sincero animo praestandi fidelem cultum ac servitium Deo, hoc vitae genus elegisse, volumus, ut pro tutiori ipsius conciliaris sanctionis exsecutione, ab omnibus regnorum Hispaniarum huiusmodi Archiepiscopis et Episcopis non alii ad primam tonsuram in posterum admittantur, quam quibus ecclesiasticum aliquod beneficium statim conferendum sit; aut quos constiterit literarum studio operam sic dare, ut quasi in via ad Ordines, tum minores, tum etiam deinde maiores suscipiendos versari videantur; vel demum quos viderint expedire alicuius ecclesiae servitio vel ministerio deputari.

2. » Et tam in his, qui ad primam tonsuram, quam in aliis, qui promoveri ad Ordines etiam minores optaverint, omnino servetur pariter regula ab eodem Concilio Tridentino tradita; nimirum, ut nullus ordinetur, qui iudicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis ecclesiis, quique illi ecclesiae, aut pio loco, pro cuius utilitate aut necessitate assumitur, non adscribatur, ubi re ipsa functiones muneri suo consentaneas exerceat. Quod si qui modo reperiantur, vel clericali tonsura iam initiati, vel ad Ordines sive minores sive maiores iam promoti, qui nulli certae ecclesiae vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi adscriptionem huiusmodi, vel a seipsis vel a praedecessoribus suis omissam, statim suppleant, non minus quoad omnes in maioribus Ordinibus etiam presbyteratus constitutos, quam quoad eos, qui vel sola prima tonsura vel minoribus Ordinibus initiati, beneficium tamen ecclesiasticum possident, ex reliquis autem, ut praefertur, vel sola prima tonsura insignitis vel in minoribus Ordinibus constitutis, sed beneficio carentibus, nonnisi eos adscribant, quos ecclesiis suis utiles vel necessarios esse iudicaverint. Ceterum antedictae adscriptionis exsecutionem differri posse per aliquod temporis spatium, quod ipsis Episcopis conveniens videbitur, permittimus quoad eos, qui a dioecesi, in qua tonsuram vel Ordines susceperunt, causa ediscendi literarum scientias in aliqua publica universitate vel gymnasio, sive ex alia rationabili causa a suo Episcopo approbata vel approbanda, absentes reperiantur.

3. » Cum autem clerici, qui in episcopalibus seminariis educantur, ut commodius ad literarum sacrarumque rerum studia operam conferre aliisque a Concilio Tridentino praescriptis addiscendis magis assidue incumbere possint, teneantur iuxta eiusdem Concilii decretum diebus tantum festis cathedrali aliisve loci

ecclesiis inservire: hanc quidem servitii per eos obeundi rationem servari in omnibus Hispaniarum dioecesibus, necnon ipsos generalibus dumtaxat totius cleri supplicationibus sive processionibus interesse volumus et mandamus; sublata quacumque maioris servitii consuetudine, etiam immemorabili, postpositaque etiam quacumque appellatione aut inhibitione. Quod si aut seminarium reperiatur, cuius fundatione aliter cautum esset ob adiectam gravioris servitii legem ab illo, qui seminarium ipsum fundaverit seu dotaverit, vel ei piam aliquam largitionem contulerit, Episcopi ad Nos et pro tempore existentem Romanum Pontificem id referant, ut desuper opportune provideri valeat.

4. » Praeterea, cum maxime deceat eos, qui propius ad sacratissima mysteria accessuri sunt, ultra cetera requisita, congruenti etiam pollere scientia, qua praediti viam salutis indicare aliis Christifidelibus possint, Episcopi nonnisi eos ex clero tam saeculari, quam regulari ad sacros Ordines admittant, quos ob scientiam aliasque qualitates eo gradu vere dignos per diligentem inquisitionem compererint; adeo ut satis non sit illos, qui promoveri ad Ordines praedictos optant, linguam latinam intelligere, catechismo instructos esse, atque apte respondere quaesitis circa Ordinem suscipiendum sibi in examine propositis. Qui vero ad presbyteratum erunt assumendi, idonei prius per accuratum similiter examen comprobentur ad ministranda Sacramenta, et ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem: quod quidem ut recte praestari possit, eosdem Episcopos in Domino hortamur, ut quantum fieri potest, eos tantum ad sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint.

5. » Quod si domicilium in una dioecesi habentes, beneficium vero in altera, ordinari ad eiusdem beneficii titulum optaverint ab Episcopo, in cuius dioecesi beneficium huiusmodi situm est, Episcopus domicilii debeat eos, si in suam dioecesim reversuri sunt, super scientia vel idoneitate examinare ante concessionem literarum testimonialium super eorum natalibus, aetate, moribus et vita, iuxta Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae XII. Praedecessoris Nostri, quae incip. *Speculatores*, obtinendarum; addito quoque compertae idoneitatis testimonio in iisdem literis: haeque concedi nullatenus debeant, si antedicto examine tamquam habiles approbati non fuerint, iisque iuxta praemissam

formam non impetratis, minime possint ab aliquo Episcopo, cui etiam ratione obtenti beneficii subiecti sint, ad Ordines promoveri: sique secus fiat, ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, ordinatus vero a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus poenis, pro modo culpae Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subiaceat. Cumque etiam, iuxta memoratam Innocentii Praedecessoris Constitutionem, ratione ac titulo beneficii in aliena dioecesi obtenti, non aliter liceat Ordines ab Episcopo eiusdem dioecesis suscipere, quam si beneficium praedictum sit eius reditus, ut ad congruam vitae sustentationem, detractis oneribus, per se sufficiat, declaramus, sufficientiam huiusmodi praefiniendam esse, non iuxta taxam synodalem sive morem pro promovendis ad sacros Ordines vigentem in loco praedicti beneficii (nisi tamen illud continuam et praecisam residentiam requirat), sed iuxta taxam, vel ea deficiente, iuxta morem, in alio loco domicilii vigentem.

6. » Porro ad sartam tectamque servandam ecclesiasticam disciplinam non minus momenti habet, quod clericali militiae nomen dare non permittatur iis, qui haud satis idonei sint, quam quod, eidem militiae iam adscripti, laudabilem vivendi rationem sectentur, eamque morum exhibeant innocentiam, quae sanctitati suscepti instituti respondeat, multoque magis quod abstineant ab iis, quae a sacris canonibus iure meritoque vetita sunt, uti prorsus indigna hominibus tabernaculum Domini inhabitantibus, et venerando altaris ministerio dedicatis. Statuimus propterea atque decernimus, quod, si qui sunt clerici, aut prima tonsura, aut Ordinibus minoribus initiati, nullumque ecclesiasticum beneficium possidentes, qui, neglectis Concilii Tridentini decretis, habitum clericalem ac tonsuram non deferant, vel si etiam deferant, non tamen certae ecclesiae aut loco pio, cui ex mandato Episcopi adscripti fuerint, inserviant, sive in seminario ecclesiastico vel in aliqua schola aut universitate de licentia sui Ordinarii non versentur, Episcopi, nulla etiam praemissa monitione, eos privilegio fori privatos declarent, eorumque adscriptionem servitio certae ecclesiae antea factam deleri iubeant. Si qui meliorem vitae rationem non inierint, aut etiam si alii sint, quos ex propria culpa efficiendos idoneos promotioni ad sacros Ordines sperari

nequeat, iidem Episcopi servata forma a sacris canonibus tradita, ad privationem aliorum clericalium privilegiorum contra ipsos procedant. Ubi vero reperiantur clerici capellanias vel beneficia cuiuscumque etiam tenuis reditus obtinentes, quorum improbata vita, aliis offensionem praebens, destruat potius quam aedificet, vel concubinarii, aut foeneratores, vel ebrietati, ludisve alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel clericalem habitum tonsuramque non deferentes, vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum et vectigalium, a laicis non exemptis solvendorum, temere abutentes, vel qui demum similia aut maiora crimina patrantes, numero magis quam merito ad ecclesiam pertinere visi fuerint, Episcopi, praemissis tamen necessariis monitionibus, servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos ad poenas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris et a sacris Conciliis impositas, et etiam ad privationem beneficiorum et capellaniarum et ecclesiasticorum officiorum, in omnibus illis casibus, in quibus praedicta privatio a sacris canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus posthabitis, procedant, memores, seipsos neglectae subditorum emendationis condignas, Deo vindice, poenas persoluturos.

7. » Sed et cum personae ecclesiasticae nunquam satis in obsequiis supremo Numini exhibendis, iisque praestandis, quae eorum statui consentanea sunt, exerceri valeant; plurimum in Domino commendamus pium morem in plerisque Hispaniarum dioecesibus vigentem, ut clerici tam in minoribus quam in maioribus Ordinibus constituti, atque etiam presbyteri, tametsi beneficia vel officia ecclesiastica non habentes, superpelliceo induti in ecclesiis, quibus adscripti fuerint, Missae conventuali cum cantu celebratae, necnon primis et secundis Vesperis officii, diebus Dominicis, aliisque festis assistant. Quin imo enixe hortamur, ut Episcopi aliarum dioecesum, in quibus mos ille institutus hactenus non fuerit, id in posterum servari curent in omnibus, ac insuper satagant, ut omnes ecclesiastici praedicti etiam collationibus habendis coram parochis suis vel aliis ab Episcopo deputatis, super casibus conscientiae forum concernentibus et super ritibus ac caeremoniis sacris intersint.

8. » Et quoniam in praedictis Hispaniarum regnis reperiri intelleximus beneficia et capellanias, etiam de iurepatronatus, vel

ecclesiasticorum, vel laicorum, nullo tamen certo proventu instructas, vel adeo tenui, ut nec ad dimidiam, nec ad tertiam partem congruae, pro clericis ad sacros Ordines promovendis necessariae, ascendat, malis haud quidem levibus inde erumpentibus occurrere cupientes, statuimus et mandamus, quod Episcopi ad beneficiorum et capellaniarum, quae nullum certum reditum habent, suppressionem statim deveniant. De aliis vero beneficiis et capellaniis, quarum certus annuus fructus ad memoratam saltem tertiam congruae partem non ascendit, decernimus, nulli in posterum conferendam esse primam tonsuram ratione iuris assequendi aliquod ex dictis beneficiis et capellaniis. Utque patronatuum iura, quantum fieri possit, salva remaneant, liceat patronis tam ecclesiasticis, quam laicis ad dicta beneficia et capellanias nominare, non tamen veluti ad beneficia ecclesiastica, requirentia in nominandis primam tonsuram, sed tamquam ad legata pia; et nominati, tametsi primam tonsuram non habentes, ea retinere possint uti pia legata, cum onere adimplendi omnia onera a fundatoribus iniuncta.

9. » Non sine gravi animi Nostri dolore etiam accepimus, quod, quamquam Tridentina Synodus decreverit, omnes, qui parochiales vel alias curam animarum annexam habentes ecclesias quocumque modo obtinent, debere diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua et earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quae Christifideles ad salutem scire oportet, ac explicando divinae legis praecepta fideique dogmata, puerosque eiusdem fidei rudimentis imbuendo, et brevi facilique sermone vitia denuntiando, quae declinare, et virtutes, quas sectari oporteat; nihilominus nonnulli parochialium ecclesiarum rectores, haec, quae suarum partium adeo sunt, praetermittunt, culpam huiusmodi a se amoliri nitentes, vel praetextu immemorabilis, sed quidem pravae consuetudinis, vel quia haec ab ipsis praestari necesse non videatur, suppetente nimirum copia aliorum habentium sacras conciones in aliis ecclesiis, itemque imbuentium pueros mysteriis fidei, vel in scholis, vel in compitis. Ne itaque sub inani istarum aliarumque similium excusationum praetextu tanta christianae reipublicae pernicies struatur, districte praecipimus singulis Hispaniarum Archiepiscopis et Episcopis, ut omnino efficiant, quod omnes ii, qui animarum curam gerunt, munia praedicta per seipsos, vel,

si legitime impediti fuerint, per alios idoneos diligenter exsequantur. Si vero aliqui non satis habiles ad illa obeunda reperiantur, iidem Archiepiscopi et Episcopi per alios, a se deputandos, sumptibus parochorum minus idoneorum, opportune suppleri curent: et in posterum beneficia, quibus animarum cura imminet, nonnisi vere idoneis ad memorata officia per se ipsos adimplenda conferantur.

10. » Praeterea, ne Constitutionis sancti Pii V., etiam Praedecessoris Nostri, in qua taxatur congrua fructuum portio, vicariis perpetuis animarum curam exercentibus assignanda, interpretationem ab eius sententia alienam fieri contingat, declaramus, Constitutionem illam pertinere dumtaxat ad vicarios perpetuos illarum ecclesiarum parochialium, quae aliis ecclesiis, monasteriis, collegiis, beneficiis et locis piis unitae sint: necnon, portionem annuam fructuum, quae ibidem statuitur assignanda ipsis vicariis in summa non maiori, quam centum, nec minori, quam quinquaginta scutorum, intelligi debere de scutis argenteis iuliorum decem monetae Romanae pro quolibet scuto.

11. » Quoties itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quae, ut praefertur, unitae non sint, oportuerit ex aliqua iusta causa provideri per coadiutores parochorum, aut per vicarios temporarios, curae erit Episcopis, pro data sibi a Tridentina Synodo potestate partem fructuum praedictis coadiutoribus aut vicariis assignandam, determinare in ea quantitate, quae pro suo prudenti arbitrio et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita redituum et emolumentorum ecclesiae parochialis, in qua deputati fuerint, necnon inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laboris et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit. Quod si parochi ab Episcopis moniti, congruo iisdem termino praefixo, coadiutores, sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare cum assignatione antedictae portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam praedicti coadiutores, aut vicarii temporarii a parochis nominati, vel assumpti fuerint, eorum de idoneitate Episcopis constare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus, ad curam animarum recte exercendam opportunis, praediti no-

scantur. Quibus si careant, nec parochi deinde intra alium similem terminum, ab Episcopis praefigendum, alios vere idoneos nominaverint: tunc pariter ad ipsos Episcopos libere spectet deputatio cum dicta congruae assignatione; nec ulla parochorum contradictio, aut exemptio, aut appellatio, aut cuiuscumque iudicis inhibitio exsecutionem deputationis et assignationis certae partis fructuum in casibus praemissis suspendere possit, itemque non obstante qualibet contraria consuetudine, etiam immemorabili.

12. » Verum quia non satis animarum curae et necessitatibus quandoque consultum est per hoc, quod ad obeunda parochialia munia alii sacerdotes parochis adiungantur, sed maiora remedia adhiberi oportet, quoties nempe ob locorum distantiam, sive itineris difficultatem parochiani sine magno incommodo pro Sacramentis percipiendis, divinisque officiis audiendis accedere ad ecclesiam parochialem nequeant, tunc quidem meminerint Episcopi, licere sibi pro suo arbitrio, invitis etiam rectoribus, vel intra easdem parochias destinare alias ecclesias, in quibus sacerdotes parochorum coadiutores Sacramenta ministrent, et divinum cultum exhibeant, vel novas parochias novasque parochiales ecclesias a veteribus distinctas constituere, iisque novos parochos praeficere, assignata ex reditibus, ad veterem parochialem ecclesiam quomodocumque pertinentibus, convenienti portione ad victum eorum, qui vel tamquam coadiutores in dictis aliis ecclesiis deputati, vel tamquam distincti et independentes parochi curam animarum exercuerint, nulla ad praemissa impedienda suffragante appellatione aut inhibitione.

13. » Cum ex praescripto quoque Tridentinae Synodi Episcopis is honor tribuendus sit, qui eorum dignitati convenit, eisque in choro et in Capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis primus locus esse debeat, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas, mandamus id religiose ac perpetuo observari in omnibus actibus, adeo iustae huiusmodi praeeminentiae et auctoritati consentaneis, non obstantibus privilegiis etiam ex fundatione competentibus, consuetudinibus etiam immemorabilibus, sententiis, iuramentis et concordiis, quae suos tantum obligent auctores.

14. » Praeterea, ut claustralis disciplinae vigor illibatus permaneat, Pontificiae Nostrae sollicitudinis partes etiam duximus interponendas. Cum itaque experientia compertum fuerit, quan-

tum detrimenti illi afferatur, ex quo plures ad religiosum habitum admittantur, quam vires redituum patiantur: moderno, pro tempore existenti Nostro et Apostolicae Sedis in iisdem Hispaniarum regnis Nuntio per praesentes committimus et mandamus, ut curet et vigilantiam adhibeat, ne contra praescriptum memorati Concilii Tridentini in monasteria, conventus et domos, tam virorum, quam mulierum, sive bona immobilia possideant, sive non possideant, maior numerus recipiatur, quam qui vel ex proventibus propriis ipsorum monasteriorum, conventuum aut domorum, vel ex consuetis eleemosynis, aliisque quibuscumque obventionibus, in commune tamen conferendis, commode possit sustentari.

15. » Quoties vero Regulares ad Ordines erunt promovendi, servetur omnino decretum Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, a piae memoriae Clemente Papa VIII., Praedecessore etiam Nostro, confirmatum die 15. Martii 1596., quo sancitur, non ad alium, quam ad Episcopum dioecesanum literas dimissorias pro eorumdem Ordinum susceptione a suis Superioribus esse dirigendas, praeterquam in casu, quo Dioecesanus a dioecesi abesset, vel ordinationes non esset habiturus; quo etiam casu in literis dimissoriis ad alium Episcopum dirigendis expressa fieri debeat mentio vel de praedicta Episcopi dioecesani absentia, vel de illa alia causa, videlicet, quod ordinationes non sit habiturus: exceptis tamen, quoad praedicta, Regularibus illis, quibus per speciale privilegium a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum fuerit concessum, ut a quolibet catholico Antistite Ordines suscipere possint, super quo indulto nihil per praesentes innovare intendimus. Noverint autem Episcopi, se debere per semetipsos, secluso aegrotationis casu, Ordines conferre, et sacrorum Ordinum collationem statutis a iure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis et adstantibus canonicis, publice habendam esse: vel si in alio dioecesis loco, semper tamen in ecclesia, quantum fieri poterit digniori, et praesente clero eiusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri, nimis grave afferat incommodum promovendis, varia dioecesis loca inhabitantibus, per mensem ante singulis vicibus publico edicto ab iisdem Episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio huiusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant Regulares, Episcopum dioecesanum ordinationes ea vice mi-

nime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum, Ordines ab alio Episcopo suscipere cum literis dimissoriis suorum Superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa.

16. » Episcopi in omnibus mulierum monasteriis sibi subiectis ordinaria, in aliis vero exemptis auctoritate Sedis Apostolicae inconcusse observari curent, quae circa sanctimonialium clausuram, vetitumque in dicta monasteria ingressum tam in decretis Tridentinae Synodi, quam in Constitutione similis memoriae Gregorii Papae XIII., etiam Praedecessoris Nostri edita Idibus Ianuarii anni 1575. provide ordinata sunt.

17. » Perpendentes etiam christianae reipublicae in primis expedire, ut ministerium ac potestas clavium in remittendis retinendisque peccatis recte exerceatur, declaramus, sacerdotes, tam saeculares quam Regulares, qui ab Episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus, non posse Poenitentiae Sacramentum administrare extra tempus, vel locum, vel genus personarum, ab ipsis Episcopis praescriptum, quocumque privilegio, etiam in vim Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, competente, nullatenus suffragaturo. Cumque idem Innocentius Praedecessor per suas die decima nona Aprilis anni millesimi septingentesimi expeditas Literas decreverit, sacerdotibus tam saecularibus quam Regularibus non licere confessiones eorum, a quibus ex indulto praedictae Bullae Cruciatae ad id electi fuerint, audire absque praecedenti approbatione Ordinarii illius loci, in quo ipsi poenitentes degunt, et confessores eligunt, etiamsi ab Ordinariis illis, qui confessores electos approbassent, subditi essent; necnon confessiones aliter factas ac respective exceptas nullas fore, irritas et invalidas, et confessores ipso iure suspensos esse: Nos eamdem Constitutionem approbantes, confirmantes et innovantes, declaramus insuper, praedictis sacerdotibus, tam saecularibus quam Regularibus ad confessiones excipiendas, vel ex vi praedictae Bullae Cruciatae, vel ex quocumque alio privilegio electis, suffragari minime etiam posse, quod approbati alias fuerint ab Episcopo illo, qui aliquando fuerit Ordinarius loci, in quo confessiones audiendae sint, sed talis tunc temporis amplius non existat, vel quia ab humanis excesserit, aut episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam ecclesiam auctoritate Apostolica translatus reperiatur; sed necessariam omnino esse illius, qui actualiter

et pro tempore ordinariam iurisdictionem in ea dioecesi exerceat, approbationem. Haec tamen suffragetur, etiam tacita, eaque adesse censeatur, quousque praecedens licentia sive approbatio duret et revocata ab eo non fuerit; in quo casu nova et expressa impetranda erit, si illa praecedenter obtenta, vel per temporis adscripti lapsum exspiraverit, vel per posteriorem revocationem sublata fuisset.

18. » Meminerint quoque Regulares, se excipere non posse confessiones monialium, tametsi eorum regimini et gubernio subiectae sint, nisi ultra licentiam suorum Praelatorum regularium, praecedat examen coram Episcopo dioecesano faciendum, eiusque specialis quoad confessiones dictarum monialium approbatio; remota quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili.

19. » Cumque ex eodem Concilio Tridentino confessor extraordinarius bis aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui omnium confessiones audiat, si in posterum Superiores regulares, quoad monasteria ipsis subiecta, toties praedictum extraordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam ex proprio eodem Ordine semper deputaverint, nec saltem semel in anno ad id munus elegerint sacerdotem, aut saecularem, aut regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his casibus Episcopi pro suo arbitrio et conscientia deputationem huiusmodi facere possint, nec illa, quovis titulo, aut praetextu, a Superioribus regularibus valeat impediri.

20. » Episcopi insuper abusus omnes, qui in ecclesiis, aut saecularibus, aut regularibus contra praescriptum Caeremonialis Episcoporum et Ritualis Romani, vel rubricas Missalis et Breviarii irrepserint, studeant omnino removere. Et, si adversus ea, quae in dicto Caeremoniali statuta sunt, consuetudinem etiam immemorabilem allegari contingat, postquam recognoverint, aut eam non satis probari, aut etiam probatam suffragari, utpote irrationabilem, de iure non posse, exsecutioni eorum, quae in dicto Caeremoniali constituta sunt, diligenter incumbant, nec ulla suspensiva appellatio admittatur.

21. » Sedulo pariter curent iidem Episcopi, ut eliminentur abusus, si qui forsan, tam quoad ecclesiasticos saeculares, quam quoad Regulares inducti fuerint adversus Conc. Tridentini decretum de observandis et evitandis in celebratione Missarum *Ses-*

sion. 22., et contra Regulares, si opus fuerit, procedant ex Apostolica delegatione in eo decreto ipsis indulta, postposita quacumque appellatione suspensiva, sed solum reservata in devolutivo super quocumque dubio, quod excitari contingeret, declaratione Congregationis pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium memorati Concilii Interpretum.

22. » Cumque circa Missarum celebrationem in privatis oratoriis, necnon circa usum altaris gestatorii a recol. mem. Clemente Papa XI., Praedecessore etiam Nostro, opportunum decretum promulgatum fuerit die 15. Decembris anni 1703., Episcopi dent operam, ut omnia ibidem statuta, etiam in regnis Hispaniarum serventur, idemque decretum in suis respective dioecesibus, ut facilius omnibus innotescat, publicari faciant; addita etiam prohibitione, ne in privatis Regularium cellis, sive cubiculis erigatur altare pro re sacra ibidem facienda, et contra quoscumque contravenientes censuris etiam ecclesiasticis procedant, adhibita quoad Regulares auctoritate Sedis Apostolicae, in memorato decreto ipsis delegata, remotaque quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili. Declaramus tamen, quod cum in praedicto decreto statuatur, non licere Episcopis extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere altare, ibique sacrosanctum Missae sacrificium celebrare, sive celebrari facere, huiusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a iure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis: his enim casibus licita iis erit erectio altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus, ac in domo propriae ordinariae habitationis.

23. » Praecipimus quoque accurate attendi ac adimpleri, quaecumque alia praescribuntur in eiusdem generalis Synodi *Sess. 25.* de Regularibus et monialibus. Cumque in *cap. 25.* amplissime derogetur omnibus contrariis privilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, necnon constitutionibus et regulis etiam iuratis, atque etiam consuetudinibus vel praescriptionibus, etiam immemorabilibus, sciant omnes, derogationem huiusmodi non ad ea tantum referri, quae in praedicto capite continentur, sed etiam

ad alia, quae in singulis superioribus capitibus eiusdem Sessionis constituta sunt.

24. » Ad haec, ut recta in iudiciis ratio servetur, praecipimus, quod, ubi in causis criminalibus Ordinarii locorum in regnis Hispaniarum processerint ex officio, hoc est, non ad ullius querelam sive accusationem, si ab eorumdem Ordinariorum sententiis appellatio vel ad Sedis Apostolicae Nuntium, vel ad Metropolitanos interposita fuerit, tunc (ne alioquin, si nullus actoris partes gerat, delinquentes poenam suis criminibus debitam effugiant), Procuratores fiscales tribunalis Nuntiaturae Apostolicae, et respective etiam Curiae Metropolitanae instantias aliosque actus desuper necessarios peragant et prosequantur, ut praedictae Ordinariorum sententiae iustam confirmationem et exsecutionem obtineant. Quod si dictis Procuratoribus fiscalibus non citatis et inauditis contrarias sententias in gradu appellationis proferri contigerit, istae prorsus nullae sint ac irritae cum omnibus actis gestis, nullumque sortiri debeant effectum: quin immo praecedentes Ordinariorum sententiae exsecutioni mandentur, perinde, ac si appellatio ab iis interposita nullatenus fuisset.

25. » Ceterum, cum generaliter circa appellationes et inhibitiones satis provisum fuerit per Constitutionem piae mem. Innocentii Papae IV., Praedecessoris etiam Nostri, in cap. *Romana*, ac etiam per decreta Concilii Tridentini, itemque alia edita die 16. Octobris 1600. a Congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, et a praefato Clementis VIII. Praedecessore, confirmata, ac denique etiam alia promulgata tempore Pontificatus similis mem. Urbani Papae VIII., Praedecessoris itidem Nostri, die videlicet 5. Septembris 1626. volumus et mandamus, quod quidquid in omnibus memoratis Constitutionibus et decretis statuitur, diligentissime per omnes iis comprehensos observetur in causis ad curias ecclesiasticas pertinentibus in regnis Hispaniarum; quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio aut stylo concedendi etiam quasdam inhibitiones nuncupatas temporarias, penitus excluso.

26. » Quo vero ad iudices conservatores et modum ac facultatem procedendi in causis civilibus, quae ad eorum cognitionem pertinere possint, inviolate custodienda erit norma praescripta in Constitutionibus fel. rec. Innocentii IV., Alexandri IV., Bonifa-

cii VIII., Gregorii XV. aliorumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, hac de re editis, necnon in decretis Concilii Tridentini, sub poenis ibidem contentis, quas praesenti Nostra Constitutione innovamus et confirmamus; hoc etiam addito, ut iidem iudices conservatores et mandatorum suorum exsecutores exhibere debeant Episcopis aliisque locorum Ordinariis literas suae deputationis, quarum vigore procedere intendant.

27. » Enixe denique et ex intimo paterni cordis Nostri sensu omnes e religiosissima Hispanica natione monemus, ut memores sint, teneri se exacte, firmiter et cum effectu observare etiam omnia et singula in ceteris omnibus eiusdem Tridentini Concilii decretis sancita. Et ne eorum exsecutio posthac ullo modo impediatur, declaramus, nullum pro impedienda aut suspendenda exsecutione conciliarium sanctionum eiusmodi aut decretorum, quae ab Ordinariis edita fuerint, pro exsecutione pariter eorum, quae in ipso Concilio statuta sunt, suffragari posse, ac debere contrarium privilegium, quod ante praedicti Concilii promulgationem a Sede Apostolica obtentum fuerit, nisi etiam post ipsum Concilium fuerit in forma specifica ab eadem Apostolica Sede confirmatum, vel noviter concessum; itemque obstare non posse ullum statutum vel concordiam, quae a praedicta Apostolica Sede specialiter confirmata non sit, neque quemcumque longaevum non usum aut contrariam consuetudinem vel praescriptionem, etiam centenariam vel immemorabilem, nisi forsan praefatae consuetudinis aut praescriptionis materia capax sit, et insuper consuetudo, aut praescriptio immemorabilis probata iam sit et admissa a competenti iudice per tres sententias conformes, vel per unam, quae in iudicatum transierit, nec demum quamcumque appellationem sive inhibitionem, etiam temporariam; reservato dumtaxat recursu in devolutivo ad memoratam Congregationem Cardinalium eiusdem Concilii Interpretum; quibus etiam tamquam exsequutoribus praesentium Nostrarum Literarum, non solum committimus et mandamus, ut eas ipsarumque decreta et ordinationes omnes perpetuo et inviolabiliter observari faciant cum eadem potestate, quae iisdem Cardinalibus a Sede Apostolica tributa est pro exsequutione decretorum memorati Concilii, sed etiam privative facultatem impertimur, quandocumque opus fuerit, interpretandi, explicandi ac declarandi eamdem Nostram Constitutionem, omnesque et singulas ordinationes in ea conten-

tas (exceptis his, quae ad Caeremoniale Episcoporum, Rituale Romanum, et rubricas Missalis et Breviarii pertinent), quatenus illis dubietas aliqua aut difficultas emerserit, non retardata tamen interim illarum executione, adeo ut ante huiusmodi executionem nec ullus recursus ad eamdem Congregationem Cardinalium, nec ulla super quovis dubio consultatio promoveri possit. Decretis vero et declarationibus a praedicta Congregatione faciendis, postquam Nostra, aut Romani Pontificis pro tempore existentis approbatio accesserit, statim quaecumque reclamatio, aut consultatio omnino cessare, perpetuumque silentium desuper impositum censeri debeat.

» Decernentes, pariter easdem, etc.

» Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, etc.

» Volumus autem, etc.

» Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 13. Maii 1723. Pontificatus Nostri anno secundo.»

XXXII.

Bened. XIII. Constit. In supremo *de restauranda ecclesiastica disciplina.*

(Ad pag. 384. vol. I.)

Summarium. Summus Pontifex innovat Constit. Innoc. XIII. incipien. *Apostolici ministerii* de restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum, unde quilibet catholici orbis Episcopus ex S. Sedis disciplina normam arripere debet, ut ecclesiasticam disciplinam in propria dioecesi forte collapsam erigere et redintegrare valeat.

In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, ea, quae a Romanis Pontificibus, Praedecessoribus Nostris, ad ecclesiasticam disciplinam sartam tectamque tuendam, et, ubi collapsa est, instaurandam provide disposita esse noscuntur, Apostolici muniminis Nostri patrocinio libenter constabilimus novisque praesidiis, ut exactius serventur, corroboramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae decus specialemque Christifidelium aedificationem expedire in Domino arbitramur.

Alias siquidem emanarunt a fel. rec. Innocentio PP. XIII., Praedecessore Nostro, Literae tenoris, qui sequitur, videlicet: Apostolici ministerii etc. *(Vide supra pag. 281.)*.

Cum autem, sicut accepimus, tametsi praemissa a memorato Innocentio, Praedecessore, maturo ac saluberrimo fuerint constituta et ordinata consilio, illa nihilominus, necdum plenariae exsecutioni, ut par erat, demandata fuerint, neque proinde optatos fructus usquequaque proferre valuerint, hinc est, quod Nos, probe considerantes, nihil magis alios ad veram pietatem et Dei cultum assidue instruere et excitare, quam eorum vitam et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, facileque fieri posse, ut populus in via Domini prospere et feliciter progrediatur, si clerus illi praeluceat, ac suavem in eo sanctioris disciplinae, bonorumque operum odorem diffundat: ac propterea eorumdem praemissorum, ad hunc tam pium et salutarem finem tendentium subsistentiae ac paratae exsecutioni, sublatis quibusvis impedimentis, quantum cum Domino possumus, pastorali Nostra cura et sollicitudine consulere cupientes, praeinsertas Innocentii, Praedecessoris Literas, et quaecumque in eis constituta, ordinata, sancita, decreta et declarata, ac alias quomodolibet contenta et expressa, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, ac quatenus opus sit, innovamus, et de novo constituimus, ordinamus, sancimus, decernimus et declaramus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus; necnon tam dilecto filio Nostro et Sedis praefatae in regnis Hispaniarum Nuntio nunc et pro tempore existenti, quoad ea, quae ad ipsum eiusque tribunal pertinent, quam venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque locorum Ordinariis et Superioribus, ac etiam dilectis filiis, utrique clero saeculari et regulari eorumdem regnorum districte ac sub interminatione divini iudicii, auctoritate praefata, harum serie praecipimus et mandamus, ut illa omnia et singula, omni mora, dilatione et cunctatione sublata, debita obediendia exsequantur et accurate ac exacte servent, faciantque respective illa ab iis, ad quos spectat, et quandocumque spectabit in futurum, eadem auctoritate omnimodae exsecutioni demandari et inviolabiliter observari.

Decernentes, etc.

Datum Romae... die 23. Septembris 1724., Pontificatus Nostri anno primo.

XXXIII.

Bened. XIV. Constit. Pastoralis curae *super designatione confessariorum extraordinariorum pro monialibus.*

(Ad pag. 384. vol. I. et pag. 185. et 193. vol. II.)

Summarium. 1. Vigilantia Pontificis in procuranda conscientiarum securitate. Praecipue in monialibus, quae certum habent confessorem. Ideo, firma remanente lege de unico confessario ordinario, de extraordinario opportune decernit, ut sequitur. – 2. Sententia D. Thomae Aquinatis pro concessione confessarii extraordinarii. Decretum Conc. Trident., ut extraordinarii deputentur ter aut bis in anno. S. Carolus Borromaeus decreti huiusce exsecutionem urget. – 3. Deputatio confessarii extraordinarii favorabilis est monialibus, quae solum tenentur singulae coram eo se consistere. Pontifex extendi cupit eamdem regulam ad omnes mulierum communitates, etiam votorum simplicium, vel sine votis. – 4. Dubia quaedam circa Concilii decretum orta declarat. Ad quem pertineat confessarium extraordinarium monialibus offerre. Ordinariorum negligentia suppleri debet a Cardin. Poenitentiario maiori, Superiorum vero regularium ab Ordinariis locorum. – 5. An monialibus concedendi sint confessarii peculiares extra ordinem. Quid in casu gravis necessitatis. – 6. Quid in casu insuperabilis reluctantiae adversus confessarium extraordinarium. – 7. Quid pro spirituali consolatione et profectu. – 8. Nimius Praelatorum rigor improbatur. Cautelae adhibitae memorantur. S. Franciscus Salesius quater in anno confessarium extraordinarium indulgebat. Nec excludebat casus peculiares indulgentiae monialium. Eosdem sensus fovebat B. Card. Barbadicus. Pontifex hortatur Praelatos, ut iustis monialium postulationibus benigne assentiant. – 9. De qualitatibus confessarii extraordinarii. An semper deputari debeat ex eo Ordine, cuius sit monasterii Praelatus. – 10. Quid de consuetudine. Regulares deputare possunt confessarios extraordinarios etiam ex alio Ordine, vel saeculares. – 11. Controversia sub Innoc. XIII. examinata in Congregatione particulari, cui aderat in minoribus Bened. XIV. – 12. Huius Congr. labores ac maturae dispositiones. – 13. Regulares in eadem admissi sunt ad contradicendum. Novae cautelae a Pontifice praescriptae. Tenor resolutionis a Pontifice editae. – 14. Ea generalis est, et ubique locorum aeque observanda. Pontifex eam expresse extendit ad omnia monasteria Regularibus subiecta, cum praecepto ibidem adiuncto. – 15. Commissio Card. Vicario Urbis data pro exsecutione rerum praemissarum. – 16. Item omnibus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis. – 17. Durante confessarii extraordinarii munere, ordinarii confessoris munus interim silet. – 18. Extraordinarius vero, expleto officio, se abstineat etiam ab accessione ad claustra.

1. Pastoralis curae Nobis impositae munus, hanc inter alias sollicitudinem a Nobis exposcit, ut pusillorum animis in afflictione et angustia constitutis opportuna solatia ac remedia afferre non negligamus, quorum ope interiorem conscientiae tranquillitatem recuperare aut conservare valeant, sine qua impossibile est debitam omnipotenti Deo servitutem alacri et prompta affectione exhibere. Huiusmodi angoribus et afflictionibus confici passim constat religiosas mulieres in claustris degentes, quibus certus et unicus Sacramenti Poenitentiae minister a monasterii Praelato ad tres ut minimum annos designari solet, cui si aliquando, prae pudore, vel alia quapiam de causa, non omnes conscientiae suae recessus aperire audeant, atque ideo confessionis integritati detrahere incipiant, in barathrum perditionis aeternae se ipsas misere coniiciunt. Quod sane haud raro evenire, satis Nobis exploratum atque compertum est, tum ex iis, quae in Apostolicae Poenitentiariae officio tractari vidimus, dum olim in minoribus constituti plurium annorum spatio munus doctoris in decretis in eodem officio sustinuimus; tum etiam ex iis, quae in episcopalis Anconitanae primum, deinde in metropolitanae Bononiensis ecclesiae regimine, frequenti usu cognovimus; tum demum ex his, quae saepius ad Nos in Petri cathedra octavum iam annum Dei miseratione residentes, deferri contingit, sive ex parte diversarum huiusmodi monialium, quae animarum suarum angustias paternis oculis Nostris identidem subiicere coguntur, sive ex parte venerabilium Fratrum Nostrorum ecclesiarum Antistitum, qui Nobis earumdem monialium in suis dioecesibus existentium calamitates, ex praeallegata causa ortas, aut viva voce, aut per literas non semel repraesentarunt, ac super ea re Apostolicae providentiae opem postularunt. Hinc est, quod Nos earum spiritualibus indigentiis per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem opportune prospicere volentes, non quidem intendimus consultissimam illam, et veteris disciplinae auctoritate roboratam legem tollere aut abrogare, qua generaliter statutum esse dignoscitur, ut pro singulis monialium monasteriis unus dumtaxat confessarius deputetur, qui sacramentales confessiones universae earum communitatis excipiat, neque liceat unicuique moniali peculiarem confessarium pro libito sibi deligere, sed hoc dumtaxat Nobis propositum est, constituere, ut, si quando generalis huiusmodi legis rigor in peculiaribus casibus non sine animarum detrimento aut pericu-

lo servari posse videatur, in promptu sit, opportunae dispensationis et indulgentiae remedia occurrentibus necessitatibus admovere.

2. Sane iamdudum Sanctus Thomas Aquinas scholarum Princeps, Ecclesiae doctor, *in supplemento tertiae Partis, quaest. 8. art. 4. ad sextum,* sive *in quartum Sententiarum*, ex quo commentario desumptum est huiusmodi *Supplementum*, hoc Superioribus monitum dedit, ut subditis suis, quibus certum et unicum confessarium designare solent, haud difficulter licentiam concedant confitendi peccata sua alteri sacerdoti; propterea quod multi infirmi et imbecilles animo reperiuntur, qui potius eligerent sine sacramentali expiatione ex hac vita migrare, quam ipsa peccata certo alicui sacerdoti a Superiore designato aperire. Iamvero sacrosancti Concilii Tridentini Patres hanc legem districte sanxerunt, *Sess. 25. cap. 10. de Regular.*, ut Episcopi aliique monasteriorum Praelati subiectis sibi monialibus confessarium extraordinarium duabus aut tribus vicibus in singulos annos exhibere debeant; per haec verba: *Praeter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab Episcopo, aut aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Quod quidem non alia de causa praescriptum fuit, quam quia satis constabat, nonnullas aliquando moniales esse, quae nulla ratione adduci possunt, ut aliquod peccatum suum ordinario confessario confiteantur; adeo ut necesse omnino sit, alterius confessarii copiam ipsis suppetere, ut apud hunc de peccatis suis integre, rite atque utiliter confiteri possint. Id ipsum probe animadvertit magnus Ecclesiae Dei sacerdos Sanctus Carolus Borromaeus, qui praedicti Concilii Tridentini absolutionem ope sua plurimum iuvit, eiusque exsecutionem et observantiam in sua Mediolanensi civitate et provincia, non sine immensis laboribus et curis invexit. Is enim hac de re decrevit: *Praeterea Superiores, ex decreto Sacri Tridentini Concilii, quotannis idoneum confessorem extraordinarium monialibus sibi subiectis exhibeant, cui curent, ut universae confiteantur, ut, quae huiusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animae morbum, neque ipsae eam postulare aut accipere ab usitato confessore unquam auderent, liberius mederi suis malis possint, ac diaboli laqueos evadere, una cum reliquis confessario novo sua peccata confitendo*, uti legere est *in Actis Ecclesiae Mediolanen. impress. anno 1599. pag. 53., in editione autem Lugdunensi tom. I. pag. 46.*

3. Porro quicumque conciliaris decreti sensus penitus introspexerit, non modo salutarem illius providentiam facile agnoscet, sed et circumspectam eiusdem aequitatem mirari debebit. Superioribus enim tantummodo iniungitur, ut duabus tribusve vicibus infra annum confessarium extraordinarium monialibus exhibeant: *bis aut ter in anno offeratur;* huiusmodi autem confessarius iubetur earum omnium confessiones excipere, quotquot eidem confiteri velint: *qui omnium confessiones audire debeat.* Neque tamen omnibus et singulis monialibus praecipitur, ut peccata sua extraordinario sacerdoti confiteantur. Nihil aliud enim requiritur ab omnibus in monasterio degentibus, tam scilicet a Superiorissa caeterisque monialibus professis atque novitiis, quam a saecularibus, quae vel educationis causa, vel alio titulo in eodem monasterio cum debitis facultatibus commorantur, nisi ut extraordinario confessario singulae se sistant, sive ad sacramentalem confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem confessionem, ab ipso accipienda. Atque ita prudentissime consultum est, ne, si moniales aliquae extraordinarium confessarium adirent, aliae autem coram ipso non comparerent, suspiciones atque oblocutiones excitarentur; et illae quidem censerentur necessarias habuisse causas, ob quas ad extraordinarii opem confugere coactae essent, aliae vero ab huiusmodi necessitatibus et causis immunes iudicarentur. Quam agendi rationem communi doctorum calculo comprobatam, san. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa IX. edicto suo, (quod est *XV. in secunda parte ipsius Bullarii*) inviolabiliter servari mandavit, eamdemque omnium dioecesium consuetudo recepit. Nec aliud Nobis hac in re addendum superest, nisi ut venerabiles Fratres Nostros ecclesiarum Antistites enixe hortemur, ut, quamvis Tridentina Synodus de solis claustralibus monialibus in praemisso decreto loquatur, nihilominus eandem disciplinae formam observent, tam cum aliis monialibus, quae licet clausurae legibus minime adstrictae sint, in communitate tamen vivunt, quam cum aliarum quarumcumque mulierum aut puellarum coetibus, seu conservatoriis, quoties tam illae, quam istae, unicum ordinarium poenitentiae ministrum a Superioribus designatum habeant. Quaecumque enim circa moniales in rigorosa clausura viventes cavenda sunt, eadem in aliis quibuscumque mulieribus, sive regularibus, sive saecularibus, in commu-

nitate aut collegio degentibus locum habere possunt; ideoque pari providentia, iisdemque remediis arceri aut emendari debent. Et Nos quidem, quum hanc consuetudinem offerendi confessarios extraordinarios bis aut ter in anno singulis tam monialium non claustralium communitatibus, quam piis aliarum puellarum et mulierum coetibus et communitatibus in Nostra civitate et dioecesi Bononiensi induxerimus, (qua de re exstat edictum Nostrum *num. 56.* inter Pastorales Institutiones Italico primum sermone a Nobis vulgatas, deindeque in Latinum conversas), omnibus testari possumus, vel potius debemus, uberem spiritualium utilitatum messem Nos inde evidenter collegisse.

4. Quum vero super relati conciliaris textus intelligentia nonnullae quaestiones alias excitatae, eaedemque iampridem per opportuna Sedis Apostolicae decreta definitae fuerint, operae pretium ducimus, huiusmodi definitiones ab omnibus, ad quos spectat, omnino tuendas atque servandas his Nostris Apostolicis Literis complecti, et auctoritatis quoque Nostrae robore communitas in praedictorum omnium notitiam deducere. Et primo quaesitum fuit, ad quem Superiorem pertineat extraordinarium confessorem monialibus deputare atque offerre: sed facilis fuit responsio, quam Nos quoque decreto Nostro ratam habemus, huiusmodi scilicet deputationem ad eum regulariter spectare, ad quem pertinet confessarii ordinarii electio et deputatio; ideoque Episcopus sive Ordinarius loci, qui monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium dare consuevit, idem confessarium extraordinarium bis aut ter in anno, ad normam Tridentinae sanctionis, eisdem offerre tenetur; Praelatus vero regularis, ad quem pertinet ordinarium confessarium subditis sibi monialibus, servata Apostolicarum Constitutionum forma, designare et constituere, ipse etiam eisdem extraordinarium confessarium, in vim praefati decreti et iuxta easdem Constitutiones, duobus aut tribus per annum temporibus exhibere potest ac debet. Quae tamen ideo *regulariter* obtinere diximus, quia, si Episcopus aliquis (quod Deus avertat) adeo in hac re negligens esset, ut monialibus suis bis terve in anno extraordinarii confessarii copiam facere praetermitteret, obtendens, ut moris est, nullam hac de re monialibus ipsis sollicitudinem aut curam esse, tunc volumus, dilectum Filium Nostrum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem modernum et pro tempore existentem maiorem Poenitentiarium, statim

ac pro parte monialium huiusmodi requisitus fuerit, Ordinarii Pastoris negligentiam supplere debere, earumque monasterio extraordinarium confessarium, ex earum tamen numero, qui ad excipiendas monialium confessiones ab ipso Ordinario loci approbati fuerint, cum omnibus necessariis et opportunis facultatibus, concedere et deputare. Quod si Praelatus regularis eandem Concilii legem de confessore extraordinario bis aut ter in anno monialibus sibi subiectis exhibendo similiter implere neglexerit, tunc locus fiet decreto Congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii interpretationem et exsequutionem auctoritate Apostolica deputatorum, quo scilicet eadem Congregatio ad quaestionem ab Episcopo Vercellensi propositam die 23. Augusti anni 1631. rescripsit, ut infra: *Episcopus Vercellen. supplicat sibi responderi, an deputatio confessarii extraordinarii monialium Regularibus subiectarum spectet ad Ordinarium loci: S. Congregatio censuit, ad Episcopum non pertinere, nisi in casu negligentiae eorumdem Regularium:* ut videre licet *decretorum lib. 14. pag. 493.* Nec aliter respondit quaestionibus ab Episcopis Belgii exhibitis, die 6. Aprilis anni 1647., ut legitur *decretorum lib. 18. pag. 397.* Quae quidem Rescripta et Decreta Nos etiam praesentium tenore et Apostolica auctoritate in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus.

5. Quum autem Tridentina Synodus de universa quidem monialium communitate, ut supra, decreverit, sed nihil de singulis monialibus statuerit, ut patet legenti textum citati capitis X., utque etiam iam usque ab anno 1575. iudicatum fuit ab ipsa Congregatione Cardinalium Concilii Interpretum per subsequens Rescriptum, quod exstat *decret. lib. 4. pag. 90., Sacra etc. censuit, extraordinarium confessorem offerendum non alicui moniali singulariter, sed omnibus monialibus universe, ut omnium confessiones audire debeat; in arbitrio tamen cuiusque monialis esse, ut confessario extraordinario velit confiteri,* hinc ortum habuit alterum controversiae seu dubitationis caput; an scilicet, ubi iam universae communitati bis terve infra annum confessarii copia facta est, et nihilominus aliqua monialis confessarium peculiarem extra ordinem sibi concedi petit, an, inquam, huiusmodi petitioni sit indulgendum. Id autem primo loco quaesitum fuit, proposito casu monialis graviter aegrotantis, quae in mortis periculo, pro spirituali consolatione postulet, alium sacerdotem, qui tunc non sit

ordinarius monasterii confessor, suprema sibi ecclesiasticae pietatis officia et Poenitentiae Sacramentum ministrare. Huic annuendum facile esse, praedicta Congregatio pluries iudicavit, ut videre est ipsius *decret. lib. 18. pag. 322. a tergo*, sub die 6. Aprilis anni 1649., quae pariter decreta a Nobis praesentium tenore approbantur et confirmantur: ut scilicet Episcopi subiectis sibi monialibus in gravi infirmitate constitutis et id expetentibus, peculiarem confessarium concedere debeant; iidemque etiam idipsum praestent erga moniales regularibus Praelatis subiectas, quum aliqua ex illis a suo Superiori regulari huiusmodi gratiam impetrare non potuerit. In hoc autem casu nihil statuitur de Cardinali maiori Poenitentiario, non ideo, quia nequeat is pro singulis monialibus idem facere, quod supra diximus eundem pro toto monasterio facere posse sed quia tunc ob temporis angustias, interclusa praesumitur via recurrendi ad ipsius officium. Quod si nihilominus ipsius adeundi tempus et modus suppetat, ad eum pertinebit, eadem prorsus ratione peculiaribus supplicantium necessitatibus providere, qua dictum est superius, universae religiosae communitati ab ipso consulendum esse.

6. Actum deinde fuit de peculiaribus quibusdam monialibus, quae nec corpore infirmae, nec morti proximae, ordinario tamen ministro confiteri obfirmate recusant. Istarum quoque animi debilitas commiseranda est et sublevanda; adeoque, ubi earum reluctantia superari nequeat, confessarius extra ordinem deputandus est, qui earum confessiones peculiariter excipiat. Id vero circa moniales Episcopo seu Ordinario loci subiectas ab ipso Ordinario praestari debet. Quod autem ad illas pertinet, quae Regularium regimini subsunt, ad regularem Praelatum pertinet, servatis servandis, peculiarem ipsis destinare confessarium ex approbatis ab Ordinario ad confessiones monialium; vel, si sacerdos ille, cui eiusmodi monialis confiteri cupit, pro illis non sit approbatus, cum ipso Ordinario agendum erit, ut pro excipienda saltem illius monialis confessione, et pro tot vicibus, quot expedire iudicabitur, eundem approbet. Sin autem contingat (neque id adeo rarum est), ut regularis Superior ad concedendum huiusmodi confessarium extraordinarium moniali communem confessarium recusanti nullo pacto adduci possit, iam huic casui provisum est per decretum anno 1573. a praedicta Congregatione Conc. editum, et a fel. rec. Gregorio Papa XIII. tunc Apostolicum

thronum obtinente approbatum et confirmatum, quod nunc iterum confirmationis Nostrae auctoritate roboramus. Decreti verba relata *lib. 1. decretorum ipsius Congregationis pag. 66. a tergo*, haec sunt: *Monialis per aliquod tempus noluit confiteri confessariis Regularibus. Dubitatum fuit, an Episcopus Regiensis possit dare dictae moniali confessorem alterius Ordinis Regularem vel saecularem, cui illa semel, vel pluries confiteatur peccata sua, et a quo absolvi possit. Sanctissimus Dominus Noster, etiam ex sententia Congregationis Concilii, declaravit, dictum caput decimum ita esse intelligendum, ut etiam possit Episcopus concedere confessarium alterius Ordinis, vel saecularem.* Praeterea nihil obstat, quo minus ipsa monialis recursum habeat ad Cardinalem maiorem Poenitentiarium, a quo ipsi providendum erit, ut supra dictum est, per deputationem confessarii ex approbatis ad moniales, apud quem illa confiteatur.

7. Quaesitum denique fuit de monialibus illis, quae neque aegrotant, neque recusant ordinarium Poenitentiae ministrum a monasterii Praelato pro universa communitate deputatum; verum pro maiori animi sui quiete, atque ulteriori in via Dei progressu, facultatem petunt confitendi aliquoties sacerdoti ad excipiendas monialium confessiones iam approbato. Qua de re non semel Nobis in minori statu degentibus accidit, ut cum aliquibus Episcopis, aut Regularibus monialium Superioribus agere debuerimus. Porro in aliquos ex iis incidimus plus nimio severos, qui aspera quadam verborum brevitate respondebant, quod, quum moniali postulanti libera fuisset facultas confitendi extraordinario sacerdoti, qui universae communitati non semel eo anno iam datus fuerat, tunc oportebat eam conscientiae suae consuluisse; quod si oblata commoditate uti noluerit, id sibi imputaret, neque pergeret Superiori molestiam afferre, ut peculiarem confessarium extra ordinem ipsi concederet. Nobis autem obiicientibus, monialem huiusmodi ad Apostolicae Poenitentiariae officium facile recursum habituram, ibique haud aegre impetraturam id, quod ab ipsis Superioribus ei denegatum fuisset, iterum constanter respondebant, extraordinarium huiusmodi confessarium, post impletam ab ipsis erga universum monasterium Trid. Conc. legem, ab alio quidem concedi posse, sed a se nunquam concessum iri.

8. At vero neque tunc Nobis arridebat, neque profecto nunc Nobis placet rigida haec agendi ratio. Persuasum enim habeba-

mus, adeoque habemus, non solum integrae communitati, sed singulis etiam monialibus indulgendum esse in iis rebus, quae iuste et rationabiliter petuntur, maxime quum illae ad earum conscientiae quietem et securitatem conferre dignoscuntur. Neque sane huiusmodi postulationes aut temere exaudiri, aut sine causa reiici debere censemus; sed inquirendum in primis esse de qualitatibus tum monialis, quae confessarium extra ordinem petit, tum confessarii, qui ab ea requiritur, ut utrisque diligenter inspectis, deliberari possit, an illius votis annuendum sit, an non. Si enim monialis ex una parte nullum det adversae suspicioni locum, ex altera vero confessarius non modo legitimam Ordinarii approbationem, sed etiam commune probitatis testimonium pro se habeat, nullo modo probare possumus tam firmum huiusmodi Praelatorum in renuendo propositum; nec intelligimus, cur post confessarium extraordinarium integrae communitati iuxta legem Concilii Tridentini oblatum, nulla omnino monialibus singulis spes relinquatur obtinendi peculiarem confessarium, cuius consilio et opera, iustis fortasse de causis, indigere se arbitrentur. Non ita sane hac de re sentiebat sapientissimus ille animarum rector S. Franciscus Salesius, cuius doctrinae summam ex illius operibus tum editis, tum manuscriptis collectam bon. mem. Ioannes Petrus Camus, Episcopus Belliciensis, iusto volumine complexus est, cui titulum fecit: *Spiritus Sancti Francisci Salesii*. In huius compendii, quod ex Gallico in Italicum sermonem conversum Venetiis anno 1745. pro quarta vice typis editum est, parte 17. cap. 6. aperte legitur, quod, quum beatus Episcopus non ita intelligeret praemissum Concilii Tridentini decretum, ut vetitum existimaret, confessarium extraordinarium, pluribus etiam quam tribus vicibus in anno religiosae communitati offerre; (quae quidem sententia plures habet suffragatores, quos refert *Diana in editione coordinata tom. 7. tract. 1. resol. 548.*), non solum solebat suis monialibus Visitationis Beatae Mariae Virginis quater in anno, videlicet in singulis hebdomadis Quatuor Temporum, confessarium extraordinarium deputare, verum etiam earum respectivis Superioribus commendatum reliquit, ut singulis monialibus, quae non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate confessarium extraordinarium peculiariter peterent, haud se difficiles in eo concedendo praeberent. Nec aliter se gerere consuevit ven. mem. Gregorius Cardinalis Barbadicus Epi-

scopus Patavinus. Is enim, ut testatur illius quondam Vicarius Generalis Ioannes Clericatus in *Tractatu de Poenitentia decis. 41. num. 7.*, et Patrum Tridentinorum decretum quoad omnia monialium monasteria in sua civitate et dioecesi existentia quotannis reipsa exsequebatur, et nihilominus exorari se patiebatur a monialibus, quae aliquando rationabilibus de causis peculiarem pro se confessarium expeterent. Huiusmodi regulis et exemplis Nostram quoque agendi rationem in spirituali monialium regimine conformare curavimus, maximumque utilitatis et quietis fructum Nos inde percepisse cognovimus. Quapropter Venerabiles Fratres ecclesiarum Antistites, atque dilectos Filios quarumcumque religiosarum mulierum rectores hortamur in Domino, et enixe monemus, ut eandem viam, quoad fieri potest, insistere non recusent, et non adeo difficiles se praebeant peculiaribus monialibus extraordinarium confessarium aliquando expetentibus; quin potius, nisi aut monialis postulantis, aut confessarii requisiti qualitas aliter faciendum suadeat, earum iustis precibus obsecundare studeant: illud cogitantes, quod, etsi liberum sit cuilibet moniali Cardinalem maiorem Poenitentiarium adire, cui ea in re facultas cumulativa cum omnibus locorum Ordinariis a Romano Pontifice tribuitur, nihilominus ea est aliquando necessitatis urgentia, ut remedium, quod de longinquo petendum est, non satis tempestive adveniat: et quamvis etiam quorumlibet negotiorum expeditiones, quae in officio Poenitentiariae Apostolicae fiunt, ab omni vel minima pecuniae solutione inviolabiliter sint immunes, non omnibus tamen monialibus facile est invenire, qui earum negotia in Urbe procurare velit et possit.

9. Iam vero postrema superest quaestio, nimirum de qualitatibus confessarii extraordinarii, qui vel pro universa monialium communitate, vel pro aliqua moniali peculiariter deputari debeat. Porro nullo unquam tempore dubitatum fuit, an in huiusmodi sacerdote aetatis maturitas, morum integritas, prudentiae lumen requiratur, quas quidem dotes in eo, qui ad huiusmodi munus adhibeatur, necessarias esse, omnes fatentur. Sicut etiam minime dubitatur, quin idem ab Ordinario loci specialiter pro monialibus approbatus esse debeat, quum huiusmodi approbatio, ex Apostolicarum constitutionum lege, omnino requiratur non solum in omnibus tam ordinariis, quam extraordinariis confessariis, qui monialibus, etiam Regularibus subiectis, ab earum respective Su-

perioribus deputantur; sed etiam in iis, qui a Cardinali Maiori Poenitentiario conceduntur, etiam Apostolica Sede vacante, quo nimirum tempore amplioribus is pollet facultatibus, ut videre est in Nostra Constitutione super illius facultatibus edita, quae est 95. in tomo primo Bullarii Nostri, ubi paragrapho 55. eidem conceditur, ut vacante Sede *monialibus confessarios extra ordinem valeat deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confessiones eligendos.* Quamobrem ad id dumtaxat redacta est controversia, an scilicet e clero saeculari, an vero e regulari eligendus sit huiusmodi confessarius; tum inter Regulares, an assumi possit ex quolibet Ordine alias permisso, an vero semper deputari debeat ex ipso Ordine Praelati regularis, ad quem monasterii regimen spectat.

10. Sane pro monialibus Episcopo immediate subiectis, regula est, ut ordinarius earum confessor sit sacerdos saecularis; extraordinarium vero ex Ordinibus regularibus saepissime assumi, apud plerosque Episcopos usu receptum esse constat, deficiente forsan per singulas dioeceses saecularium presbyterorum ad id muneris idoneorum copia. Regulares autem Praelati monialibus sibi subiectis confessarium ordinarium designant e suo ipsorum Ordine; extraordinarium autem etiam ex alio Ordine regulari deputare possunt, iuxta decretum a saepedicta Congregatione Concilii editum die 26. Septembris anni 1595. ac relatum *in libro 3. decretor. p. 149. a tergo*, ubi sic legitur: *Sacra etc. respondit, Superiores regulares teneri offerre confessarium extraordinarium eiusdem Ordinis, alterius vero Ordinis posse quidem, sed non teneri.* Nunquam tamen, quod meminerimus, ullum sacerdotem saecularem, aut diversi Ordinis Regularem, vidimus a regulari Praelato monialibus sibi subiectis extraordinarium confessorem deputari. Denique quum aliquando evenire possit, ut in casu negligentiae Superioris regularis ad Episcopum, ut supra dictum est, pertineat deputatio confessarii extraordinarii etiam pro monialibus Regularium regimini subiectis, nulla ipse lege tenetur ad huiusmodi confessarium eligendum ex eo Ordine, cuius est monasterii Praelatus; sed tali casu liberum est illi, quemlibet idoneum presbyterum saecularem, aut alterius Ordinis Regularem ad audiendas earum monialium confessiones deputare.

11. At quum superioribus annis Apostolicae Sedi expositum

fuisset, pluribus de causis, iisque gravissimis, quas hic referre opus non est, non tam opportunum, quam plane necessarium videri, ut monialium monasteria Regularium regimini subiecta semel saltem in anno confessarium extraordinarium diversi Ordinis Regularem, aut e saeculari clero presbyterum haberent, huius rei examen, iubente fel. rec. Praedecessore Nostro Innocentio Papa XIII., assumptum fuit a peculiari Congregatione ex quinque tunc existentibus S. R. E. Cardinalibus composita, cui Nos tunc in minoribus constituti, in Secretarii munere operam praestabamus; quaeque per annum et ultra singulis hebdomadis cogebatur ad discutienda et definienda complura ecclesiasticarum quaestionum capita, quae deinde inserta sunt in Apostolicis Literis ab eodem Innocentio Praedecessore editis die 13. Maii anni 1723. quarum initium est: *Apostolici ministerii*, quae etiam a sa. mem. Praedecessore quoque Nostro Benedicto XIII. in forma specifica confirmatae fuerunt, per alias similes Literas datas die 23. Septembris anni 1724.

12. Cum autem negotia, quae in ea Congregatione tractabantur, nullius privatas rationes attingerent, sed de restituenda potissimum Tridentini Concilii observantia, in quibusdam catholici orbis regionibus, ut ferebatur, non parum labefactata, unice ageretur; necessarium minime iudicatum fuit, aliquem velut in iudicium vocare, ad deducenda iura, si quae sibi adversus illa, quae decernenda viderentur, competere forsan putaret. Sed Nostra peculiaris cura erat, ad singula proposita capita totidem dissertationes, unicuique ex praefatis Cardinalibus exhibendas, elucubrare, ad demonstranda videlicet fundamenta illius disciplinae, quae in usum revocanda censebatur. Nec aliter se res habuit, quum in eadem Congregatione, ut praefertur, in deliberationem venit, an decernendum foret, ut regulares monasteriorum Praelati una saltem ex tribus vicibus, quibus extraordinarium confessarium monialibus sibi subiectis in annos singulos exhibere debent, aliquem saecularem, aut alterius Ordinis regularem presbyterum ad id deputare tenerentur, utque, ipsis hac in re deficientibus, liberum esset Episcopis locorum Ordinariis eorum defectum supplere et emendare.

13. Verum quum Regularibus innotuisset, a praedicta Congregatione conditum esse decretum eorum intentioni contrarium, utpote qui minime adstringi volebant ad huiusmodi annuam de-

putationem confessorum extraordinariorum e clero saeculari vel ex aliis Ordinibus; nonnullarum Religionum Procuratores Generales petierunt admitti ad deducendas rationes, quas huiusmodi decreto obstare putabant. Cumque id facile impetrassent, ac suam totiusque coetus Regularium causam per eximios illius temporis in Romana curia advocatos defendi curassent, sed nihilominus praedicta Cardinalium Congregatio in priori sententia permansisset, placuit praefato Praedecessori Innocentio, antequam decretum huiusmodi approbatione sua confirmaret, aliorum Cardinalium sententias audire. Itaque, exclusis illis omnibus, qui ex ipsius Pontificis deputatione in praecedentibus sessionibus per annum integrum negotia discusserant; aliisque advocatis Cardinalibus, quibus exhiberi secreto fecerat conscriptarum allegationum exempla, Nobis etiam adesse iussis, qui rationum momenta a priori Congregatione prae oculis habita, si opus esset, exponere possemus, novam Cardinalium Congregationem ex improviso coram se convocavit, in qua iterum proposita quaestio diligenter ac mature discussa fuit: ac demum ipse Pontifex, de ipsius Congregationis consilio et assensu super hac re decrevit, ut sequitur: « Cumque ex eodem Concilio Tridentino confessor extraor- » dinarius bis aut ter in anno offerri monialibus debeat, qui » omnium confessiones audiat; si in posterum Superiores regu- » lares, quoad monasteria ipsis subiecta, toties praedictum ex- » traordinarium confessorem deputare neglexerint, vel si etiam » ex proprio eodem ordine semper deputaverint, nec saltem se- » mel in anno ad id munus elegerint sacerdotem aut saecularem, » aut Regularem alterius diversi Ordinis professorem, in his ca- » sibus Episcopi, pro suo arbitrio et conscientia, deputationem » huiusmodi facere possint, nec illa quovis titulo aut praetextu, » a Superioribus regularibus valeat impediri. »

14. Perscriptum sane fuit huiusmodi decretum ea occasione, qua agebatur de restituenda in certis quibusdam regionibus ecclesiastica disciplina ad formam Concilii Tridentini. Verum ipsius decreti vigor ad eas dumtaxat regiones minime restrictus fuit; quum et animarum pericula, quae ex perpetua confessorum eiusdem Ordinis deputatione timebantur, in omnibus monasteriis Regularium regimini subiectis locum habere possint; et quaecumque adversus decretum ipsum adducta fuerunt, ex generalibus Ordinum statutis et ex constitutionibus monialium Regularibus subie-

ctarum, fuerint desumpta. Cumque iudicatum fuerit, ea omnia nequaquam obstare, quominus ita decerneretur, sequitur, ut, quamvis eidem decreto causam dederint peculiarium quarundam regionum necessitates Apostolicae Sedi eo tempore expositae, illud tamen generale sit, et universos per orbem regulares monasteriorum monialium Praelatos afficere debeat. Cum vero deinde alter laudatus Praedecessor Bened. XIII. Innocentii Literas in forma specifica confirmaret, Nobis constat, illius mentem fuisse, ut huiusmodi decretum universalis et inviolabilis legis vim obtineret. Super quo nihilominus ne ulla apud aliquos supersit dubitatio, Nos ipsi, praesentium Literarum vigore, ac motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, ipsum relatum Innocentii Praedecessoris decretum, statutum, mandatum atque praeceptum ad omnia per orbem ubique existentia et Regularium regimini subiecta monialium monasteria, quatenus opus sit, expresse extendentes et ampliantes decernimus atque statuimus, ut singulis annis, incipiendo a proximo millesimo septingentesimo quadragesimo nono a Nativitate Domini decurrendo, regulares monasteriorum Praelati teneantur bis aut ter in anno confessarium extraordinarium universis monialibus in iis degentibus offerre; si vero ipsi forsan huiusmodi confessarii exstraordinarii deputationes intra praescripta tempora omiserint, vel semper proprii Ordinis Regularem sacerdotem ad hunc effectum deputaverint, ita ut praefatae moniales semel saltem in anno confessarium extraordinarium e clero saeculari, aut ex alio Ordine regulari non habeant ad Episcopos dioecesanos, omni appellatione remota, devolvatur ius supplendi eorundem Praelatorum defectum (si nempe pensatis rerum circumstantiis ita expediens esse iudicaverint) per deputationem confessarii extraordinarii, quem tam in uno, quam in altero casu aut e clero saeculari, aut ex alio regulari Ordine, pro ipsorum arbitrio deligere possint et valeant.

15. Quocirca dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali, moderno Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis in Urbe eiusque districtu Vicario in spiritualibus generali, earundem praesentium tenore committimus et mandamus, ut haec Nostra decreta atque statuta, tam in omnibus eiusdem Almae Urbis monasteriis, quae Regularium regimini subsunt, quam in aliis quibusque regularium, aut saecularium mulierum, aut puellarum domibus

seu collegiis, atque conservatoriis, quibus unicus ordinarius confessor a Superioribus deputari solet, in omnibus et per omnia, iuxta earundem Literarum praescriptum, exactissime observari et adimpleri faciat; ne forte audiri contingat, quod cum magna animi Nostri molestia dictum aliquando esse cognovimus, Apostolicas Constitutiones Romae quidem ferri et publicari, sed eas minime in ipsa Urbe ad effectum perduci.

16. Eandem porro curam et sollicitudinem iniungimus et demandamus Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis per omnes universi orbis ecclesias constitutis; quibus, ut satis perspectum putamus voluntatis Nostrae studium, tam in eorum rationabilibus querelis, iustisque petitionibus suscipiendis, quam in corruptelis, quas irrepsisse iudicaverint, eliminandis; idque, non ex ingenio Nostro quidquam statuendo, nec peregrinas novitates inducendo, sed veteres ut plurimum leges et regulas, vigili Praedecessorum Nostrorum providentia iampridem constitutas ad pristinum debitumque vigorem et usum revocando; ita eosdem meminisse volumus, proprium zeli pastoralis officium non in eo situm esse, ut adversus ea, quae contra leges fiunt, inutiliter deplorando declament, sed ut illa de medio tollere curent, adhibitis opportunis remediis in eum finem iam praestitutis, implorato etiam Apostolicae Sedis auxilio, ubi impedimentum aliquod eorum auctoritati et legum exsecutioni afferri contingat, omnesque diligentias et curas, quas corrigendis abusibus ipsi fideliter impenderint, in irritum cedere videant.

17. Quoniam vero tam in superius allegato Clementis XI. edicto, quam in synodalibus plurium Episcoporum constitutionibus statutum esse conspicimus, ut, quo tempore extraordinarius confessor alicui communitati deputatus ministerio suo fungitur, ordinarius confessor nullum ipsi impedimentum afferre audeat, multoque minus praesumat per id temporis alicuius monialis, sive Superiorissae, sive novitiae, sive conversae, neque demum alterius cuiuscumque personae intra septa monasterii aut piae domus commorantis sacramentalem confessionem audire; Nos id quoque approbatione Nostra roborantes et confirmantes, statuimus et mandamus, ut Episcopi quidem, si de monasteriis aut domibus eorum regimini subiectis agatur, regulares autem Superiores, quod ad illas communitates attinet, quibus ipsi praesunt,

pro huiusmodi legis implemento advigilent, et contravenientes meritis poenis coerceant et afficiant.

18. Ac demum quibuscumque confessariis extraordinariis, qui vel alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personae in monasterio degenti, concessi ac deputati fuerint, districte iubemus, sub poenis adversus accedentes ad monasteria monialium, et cum ipsis conversantes, praesertim Regulares, a Praedecessoribus Nostris quandocumque statutis (quas etiam praesentium vigore confirmamus et innovamus) ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuare et fovere, etiam sub spiritualis causae aut necessitatis obtentu et colore audeant aut praesumant.....

Datum Romae... 1748. Nonis Aug., Pontificatus Nostri anno 7.

XXXIV

Folium causae Baren. Curae animarum, *ubi expenditur, quando Episcopo parochos inamovibiles stabilire liceat.*

(Ad pag. 420. vol. I.)

Summarium. 1. Dioecesis Bitectensis iam archiepiscopatui Barensi coniuncta fuit, et ecclesia cathedralis ad collegiatam redacta. – 2. 3. Cura animarum in eadem ecclesia quomodo retroactis temporibus administrata fuerit, innuitur. In praesens hic status est, ut habitu eadem penes Capitulum resideat, actu per canonicum amovibilem exerceatur. – 4. Archiepiscopus preces S. Congr. offert, ut animarum cura, praevio concursu, in titulum perpetuum Archiepiscopo conferatur. – 5. At vero acriter huic innovationi adversatur Capitulum in sua deliberatione capitulari. – 6. Archiepiscopus a S. Congr. auditus Capituli deliberationem refellere nititur. – 7. Referuntur iura ab Episcopo in sui adsumpti tuitionem prolata; et primo quidem, quod ex iuris communis dispositione animarum curatores debent esse perpetui. – 8. Quod amovibilitati eorumdem resistit Conc. Trid. – 9. 10. Quod amobilitas repugnat rationi, et quibusnam de causis. – 11. Quod huiusmodi doctrinam amovibilitati contrariam pluries firmarunt tum Rota, tum S. C. – 12. Quod in contrarium non est attendenda qualiscumque consuetudo. – 13. Hisce rationibus respondent canonici, quod amovibilitas non adversatur iuris dispositioni, nam textus allati non loquuntur in terminis, adeoque enucleatius explicantur. – 14. Nec refragatur Synodus Tridentina, quia in textibus allegatis loquitur de parochiis confuse ac vage administratis, tum quia ibidem non strictam

facit legem, sed rem Episcoporum arbitrio remittit iuxta maiorem animarum utilitatem moderando. – 15. Itaque palam est, non posse Episcopos pro lubitu rectores temporaneos facere perpetuos. – 16. Praesertim in casu, in quo assertae abusiones et incommoda minime comprobantur. – 17. Quocirca innovatio nulla fieri debet, namque odiosa reputatur in iure, cum praesertim res est de parochiis. – 18. In praesenti casu canonicus Capituli Bitectensis cura animarum auctus, nec mercenarius, nec conductitius est, sed veris et propriis parochis aequiparari debet. – 19. Cura animarum Capitulo Bitectensi non inest *per viam unionis*, adeoque male accomodantur sanctiones Concil. Trident. *cap. 7. Sess. 7. de Reform.* Neque etiam confuse et vage exercetur, prouti casus est, *Cap. 13. Sess. 24. de Reform.* Quibus in terminis loquitur Rota, et S. Cong. Conc. in contrarium adducta. – 20. Inest sed enimvero *principaliter, et ex primaeva erectione*, adeoque locus est applicando *cap. 16. Sess. 25. de Reform.*, ubi vetatur, ne beneficia curata in simplicia convertantur. – 21. 22. Hoc enim in casu rectores perpetuos deputare Episcopis non licere, docent canonistae ipsaque S. Rota; necnon S. C. Conc. tum in antiquis, tum in recentibus resolutionibus. – 23. Demonstratur in facto, curam animarum Bitecti non *per viam unionis*, sed *principaliter*, et ex primaeva erectione Capitulo inesse. – 24. Quibus expensis, Sac. Congr. resolvit, curam animarum adnectendam non esse archipresbyteratui.

1. Civitas Bitecti cathedram episcopalem obtinuit a saeculo XII., et quoadusque feudalia seu baronum iura manserunt, in temporalibus iurisdictioni suberat ducum Aquavivorum Hadriensium. Brevissimo circumscripta territorio mille passibus a civitate longius haud patebat iurisdictio dioecesana: hinc populo et hominibus, qui civitatem ipsam incolebant, quique ad trium millium capita circiter assurgebant, tota haec dioecesis constabat. Sublatis universali regni lege feudalibus dominationibus, Bitectensis etiam Dynasta cum Barensi ducatu quoad temporalia cessavit. Quoad vero spiritualem iurisdictionem, rebus post supremam omnium eversionem hoc ineunte saeculo perpetratam restitutis, in nova dioecesum circumscriptione ultra et citra Pharum anno 1818. peracta Bitectensis cathedra suppressa est ob angustos illius fines et parvum populi numerum, et archiepiscopatui Barensi, cui antea suffraganea proximior exstiterat (Bario namque distat haud longius octo millibus passuum), perpetuo unita atque subiecta. Unde princeps illius civitatis ecclesia, cathedra sublata, simplex effecta est collegiata.

2. Quod autem attinet ad controversiam hodiernam, evolutis tum antiquis cum recentioribus Bitectensis ecclesiae relationibus SS. LL. visitationis occasione perlatis, haec de cura animarum innotuerunt. Unicam ab initio parochialem totius civitatis exstitisse patet, uti nunc etiam servatur. Licet enim in relatione anni 1630. facta cathedralis paroeciae dismembratione, novam alteram erexisse narraverit Episcopus in ecclesia S. Mariae Magdalenae, hanc tamen dismembrationem, quam, uti legitur in apposita nota, sacer hic Ordo reprobavit, effectu suo penitus caruisse perspectum est; in sequentibus enim relationibus ad haec usque tempora unica Bitecti refertur adesse parochialis. Ab origine vero ius parochiae tam *habitu* quam *actu* penes omnes universim et indistincte canonicos exstitisse pariter compertum est: in relatione siquidem anni 1594., quae antiquior in actis invenitur, ad rem narratur: *Canonici fere omnes sunt sacerdotes, animarumque mecum curam gerunt, populoque Sacramenta administrant.* At novam paulo post quoad curae exercitium invectam fuisse methodum sane utiliorem colligitur ex relationibus posterioribus. Quandoquidem ab anno 1600. usque ad annum 1739. Capitulum consuevisse legitur deputare pro actuali curae administratione archipresbyterum, *habita prius Episcopi approbatione de idoneitate et doctrina,* eidemque adiungebantur *ex beneplacito pariter Episcopi duo presbyteri coadiutores, qui aetate, moribus et doctrina reperiebantur magis idonei,* ceu textualiter inscribitur in relatione anni 1685., quorum unicuique annuum pro labore stipendium decem ducatorum Capitulum rependebat praeter aliquot praestimonia ex rebus incertis retrahenda.

3. Eiusmodi methodus autem deputationis pro curae exercitio desiisse comperitur circa annum 1790.: in huius anni relatione porro habetur: *Cum animarum cura penes Capitulum ab ecclesiae huius origine resideat, ut infirmis Sacramenta administrentur, in ultimo agone constitutis auxilium praestaretur, enixe animum intendi, ut Capitulum duos parochos substitutos, quibus animarum cura commendaretur, eligeret, quos praevio examine ac opportunis facultatibus eisdem per me traditis probavi.* Neque diu perdurasse videtur postrema haec et novissima inducta praxis administrandi curam animarum per duos substitutos deputatos; namque mos inolevit in Capitulo Bitectensi pro curae exercitio unum tantummodo de gremio deputandi, cui totum devolvitur exercitium post

habitam ab Episcopo approbationem, et cui ducatorum octoginta summam annuam pro munere rependit Capitulum, ex cuius massa desumuntur etiam expensae omnes ob curae exercitium necessariae. Unus autem hic ad curam administrandam electus, licet eius remotio aeque ac deputatio a Capituli arbitratu dependeat, deputatur tamen absque praefinitione temporis, non autem titulo perpetuo; et assumpto vicarii curati nomine pro Capitulo totam regit paroeciam, ut plurimum, ad vitam, nec unquam immutatur, nisi legitimae et graves subsint amotionis causae, ceu factum hactenus probavit. Atque eiusmodi est praesens illius ecclesiae status quoad curam animarum.

4. In hac rerum conditione S. Ordini preces novissime dedit hodiernus Archiepiscopus Barensis pro perpetua curae adnexione archipresbyteratui, qui est secunda dignitas in Capitulo Bitectensi, ea lege, ut praebenda haec in posterum non aliter quam praevio concursu conferatur proviso quoad congruam assignatione ducatorum octoginta, quam summam oeconomo seu vicario curato rependit Capitulum in praesens, praeter propriam, qua fruitur archipresbyter, praebendam annui reditus ducatorum ultra centum. Hac enim inducta methodo summam curae animarum utilitatem addit obventuram, cum oeconomum curatum, qui vigenti methodo eam exercet, parum vel nihil a mercenario discrepare censeat, licet actualis vicarius, qui curam vigintiquinque circiter abhinc annis administrat, valde sit probus et de illa ecclesia benemeritus, ut ipsemet observat Archiepiscopus, qui praeterea subdit, hac concepta spe distulisse resignationem, ab ipso hodierno vicario pluries oblatam, acceptare. Preces eiusmodi eidem Archiepiscopo remisi ut super ipsis audiret Capitulum in scriptis.

5. Acriter at vero propositae innovationi obstitit Capitulum, uti deprehenditur ex transmissa deliberatione. Ab immemorabili enim observat usum fuisse iure vicarium de gremio deputandi, et licet deputatio fiat absque praefixione termini, deputatus tamen ad vitam in munere permansit, nisi vitae ratio eiusdem vicarii et bonum animarum, perraro quidem, aliter exigerent: hanc vero methodum probasse perpetuo Bitectenses Episcopos, et ipsum Barensem Archiepiscopum, qui ab anno 1830. praesentem vicarium canonicum Aulenti, cuius insuper probitatem, zelum et merita concinit, Ordinarius ipse a Capitulo deputatum rite probavit, et absque censura per vigintiquinque annos et amplius reliquit

in officio, quo fungitur et in praesens. Nec vigentem praxim iuris dispositioni repugnare subsumit, sed imo quammaxime congruere, quod iuribus et exemplis ostendit: innovationem vero propositam non modo Capituli iurium esse laesivam, sed etiam bono animarum adversantem, ex quo parochus in titulum perpetuum institutus nonnisi praevio canonico processu et servato iuris rigore, etsi nocens et improbus evaserit, despoliari potest, unde a contrariis effectibus praecipuum hodiernae praxis emolumentum ostenditur. Quod si aliter decerni contingeret, mutationem eiusmodi non modo praebituram observat causam gravium incommodorum et summi moeroris clero et civibus universis, sed protestatur insuper, quod « non persolvet in futurum assignationem annuam ducatorum octoginta, et quidquid ratione curae ex massa capitulari erogatum fuerit. » Hinc concludit omnia suadere, ut manuteneatur in pervetusta possessione curae habitualis et actualis, qua potitur, nullamque legitimam excogitatae mutationis causam adesse.

6. Archiepiscopus autem, dum capitularem deliberationem votis adversam transmisit, haec animadvertebat: « Magno cum moerore contigit mihi annuntiare, quod supra laudatum Capitulum reformationi a me vindicatae sese opponere intendit, licet ipsi de tantis inordinationibus persuasum sit, quae in hac cura, ex quo tempore cathedra episcopalis oppressa fuit, ad hos usque dies enatae sunt, quasque ego per haud brevem periodum 33 annorum praesulatus mei in hac archidioecesi invitus tolerare debui, idque maxime in ultima s. visitatione anni praeteracti. Eminentia Vestra, tanta a Deo donata sapientia, rationes in contrarium adductas pensare poterit. Ego tacebo, et quaecunque sit decisio, quam Emi Patres facient, in omnibus me conformabo, cum conscientiae tranquillitate mihi videar posse gaudere, quippe qui opus inchoaverim, quod, dum summae foret utilitati spirituali animarum huius urbis, non illius Capituli iurium esset laesivum; poterit nimirum Capitulum in casu vacationum certum omnino esse, quod ad archipresbyteratum concurrentes ab Archiepiscopo pro tempore existente de gremio Capituli et cleri eligentur. »

7. Nova methodus, quam proponit Archiepiscopus, de cura animarum archipresbyterali praebendae ac dignitati perpetuo adnectenda congruere videtur non modo iuris communis dispositioni

et Tridentinis decretis, sed etiam rationi. *Ex generali* namque *iuris communis dispositione* curatores animarum debent esse perpetui, ut in *cap. un.* de capell. Monach. *in 6.*, nec potest quis ad sui Superioris libitum a beneficio amoveri, ut ait Glossa in verbo *Perpetui*, reddens rationem, quia beneficia non dantur ad tempus *cap.* Sanctorum, *dist. 70.*, ibi: « in qua ecclesia quis est intitulatus, in ea perpetuo perseverat. »

8. Amovibilitati praeterea in beneficiis curatis resistit aperte *Concilium Tridentinum:* sancitur enim expresse *cap. 13. Sess. 24. de Reform.* et iubetur Episcopis *pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos agnoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant.* Et ad rem proximius respiciens sacrosancta Synodus in *cap. 7. Sess. 7. de Reform.* de beneficiis curatis disserens cathedrali vel collegiatae adamussim ecclesiae perpetuo unitis et adnexis locorum Ordinarios hortatur, eorumque sollicitudinem excitat, quatenus providere procurent, « ut per idoneos vicarios *etiam perpetuos*, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur,.... ibidem deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur. » Ita ut positum videatur in Episcoporum arbitrio vicarium amovibilem seu potius, si malint, perpetuum in ecclesia curata constituere ex declarationibus sacri huius Ordinis, quas citata Rota *coram Peutinger. decis. 53. n. 31.* et monet etiam Barbosa in *Conc. Trid. d. Sess. 7. cap. 7. n. 16.*

9. Repugnat demum amovibilitas ista *rationi*, quia, ceu monet Rota in *cit. decis. coram Peutinger. num. 10. et seqq.*, Tridentinum Concilium: « Ideo perpetuos parochos exigit ut oves suas cognoscere valeant; sunt enim pastores.... melius igitur suas oves » dignoscent, si perpetui sint et non temporales, ut in his terminis Rota *decis. 24. de Praeb. in novis.* Praeterea cum sint » Patres *(dist. 96. cap. 9.)*, non decet eos esse temporales.... Denique, sicuti matrimonium carnale ad tempus non contrahitur, » ita nec spirituale. »

10. Hasce vero iuris sanctiones pro utiliori et, ut plurimum, necessaria parochorum seu vicariorum perpetuitate expendens et commendans Barbosa *de off. et pot. paroch. Part. 1. cap. 1. n. 43. et 44.* haec ad rem animadvertit: *Sicut una mulier non potest duas vel plures sponsos habere.... nec unum corpus duo capita,*

quia esset monstrum, sic nec ecclesia duos vel plures parochos sive curatos; et in una ecclesia unus debet esse sacerdos, sponsus et rector, qui curam habeat.

11. Quam iuris censuram et consonam rationi doctrinam pluries firmavit Rota, et maxime *decis. 52. n. 17. et seqq. Part. 2. diversor.* et in *Massanen. Iurisd.* 1. Martii 1610. *coram Lugdun.*, saepius autem sacer hic Ordo confirmavit: cuius rei reperiuntur exempla in recentioribus eiusdem resolutionibus. Et sane in una *Nullius seu Montis Casini* 26. Ianuarii 1726. mandavit in ecclesia matrice et parochiali terrae Peschii Constantii, cuius cura per presbyteros eiusdem ecclesiae cumulative exercebatur, deputari parochum perpetuum praevio concursu eligendum *ad 1. et 2. dub.;* in *Sarnen.* 7. Iulii 1731., exsequi iussit literas S. Congregationis diei 5. Maii 1646., quas Episcopo dederat in haec verba: *Quoad curam animarum ecclesiae cathedralis non probarunt Eminentissimi Patres, quod vage capitularibus immineat, sed mandarunt alicui certae praebendae de consilio Capituli adiungi vel vicariam inibi erigi perpetuam, ut subiectus populus certum pastorem agnoscat;* additis etiam coadiutoribus curae ex canonicis. Perpetuum insuper iussit eligi vicarium in *Castrimaris per Summar. precum* 17. Decembris 1825. pro cura animarum exercenda, quae penes collegiatae Capitulum *ex unione paroeciarum* exstabat. Nec aliter fieri voluit in *Narnien. Curae animarum* 5. Septemb. 1846. pro cura, quae in collegiata sancti Gemini a capitularibus per turnum annalem exercebatur. Ac denique idem fieri decrevit in *Novarien. Curae animarum* 5. Iunii 1847. pro collegiata loci *Intra,* in qua cura turnatim pariter a canonicis exercebatur.

12. Neque ad hanc iuris censuram quoad amovibilitatem avertendam suffragari posse videtur consuetudo quaelibet in contrarium, uti post Gonzalez *ad regul. cancell. gloss. 5. §. 5. n. 60.* et Garc. *de Benef. Part. 1. cap. 2. n. 75.* tenuit Rota in *Toletana Iuris nominandi* 29. Novembris 1582. *coram Blanchetto,* ceu meminit eadem Rota in *cit. decis. coram Peutinger. num. 15.* Quod sane non modo congruit cum rei gravitate, utpote cum agatur de bono animarum, sed etiam collimat cum conciliari sanctione; in locis quippe supra citatis derogatur expresse consuetudinibus et privilegiis in contrarium. Atque hanc potissimum regulam vim suam exserere maxime convenit, ubi de avertendis agatur incom-

modis, quae forsan irrepserunt, et compertis abusibus, de quibus conqueritur in casu Barensis Archiepiscopus; ait quippe, aegre sese ferre Capituli Bitectensis oppositionem: « licet ipsi de tantis » inordinationibus persuasum sit, quae in hac cura, ex quo tem- » pore cathedra episcopalis oppressa fuit, ad hos usque dies ena- » tae sunt, quasque ego per haud brevem periodum 33 annorum » praesulatus mei in hac archidioecesi invitus tolerare debui, idque » maxime in ultima sacra visitatione anni praeterlapsi. » Hac sane de causa vicarii perpetui deputationem iussisse potissimum videtur sacer hic Ordo in *cit. Castrimaris et Narnien.*

13. Hisce tam in iure quam in facto plura reponit Capituli patronus, quorum heic summam exscribam. Monet autem in primis perperam affirmari quod amovibilitas Vicarii curati *iuris dispositioni* censeatur adversari. Textus enim in *Cap. un.* de capell. Monachor. *in 6.* et alii in contrarium allegati diversissimis loquuntur in terminis, de presbyteris videlicet a monachis praesentatis Episcopo, ut instituantur. Recte vero beneficia, quae dantur in titulum, et in quibus cadit institutio, perpetua dicuntur et sunt: secus autem se rem habere in iis, quae deputantur ad beneplacitum, in quibus nulla cadit institutio, sed simplex approbatio, neque curam habent in titulum, sed nudum exercitium; hos enim absque ulla iuris reluctantia deputari posse et solere amovibiles et temporales, observat cum Rota in *cit. decis. 53. coram Peutinger. n. 43. et seqq.*, ubi in huius doctrinae confirmationem permultae et graves adducuntur auctoritates.

14. Nec aliter dicendum prosequitur de Conc. Trid. dispositione. Praeterquam enim quod sancta Synodus in *cap. 13. Sess. 21. de Reform.* longe diversum casum considerat, de parochialibus nimirum, quae *certos non habent fines*, et in quibus cura confuse ac *promiscue* administratur; accedit, quod, dum praescribit certi rectoris deputationem, non arctat praecise ad deputandum perpetuum, sed alternativam assignat, ubi subdit, *aut utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant;* quo loco probare videtur expresse rectorem etiam amovibilem. Magis vero clare et praecise rectoris amovibilis assignationem approbare subsumit in *cap. 7. Sess. 7. de Reform.*, ubi ait curae animarum in parochialibus unitis providendum *per idoneos vicarios, etiam perpetuos*, ita ut perpendendo dictionem *etiam*, quae exprimit *casum magis indubitabilem et implicat minus dubitabilem*, ut in terminis ad-

monet Rota in *cit. magistrali dec. cor. Peutinger. n. 16. et seq.*, admittit in specie sancta Synodus modum deputandi vicarios amovibiles esse utiliorem; quod quidem confirmari addit ex limitatione statim adiecta: *nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* In casu vero utiliorem adamussim agnosci methodum antiquitus servatam amovibilitatis vicarii ab experientia, qua constat in facto vicarios ita se in administratione gessisse laudabiliter, ut ad vitam in munere permanserint, ac si perpetui essent deputati. Ex hac enim amovibilitate *potest resultare favor cultus divini. Curati enim ob timorem expulsionis accuratius inservient ecclesiae*, ceu tradit ipsissimis verbis Rota cum Guttierez in *decis. 15. cor. Peutinger. num. 15.*

15. Cum igitur amovibilitas vicarii nec generali iuris dispositioni, nec Tridentinis decretis adversetur, uti patet tum ex dictis, cum ex punctuali Rotae auctoritate *coram Molines in decis. 1082. num. 27. et 28.*, ubi deciditur: *hodie enim post Concilium Tridentinum cura animarum exerceri potest per vicarios ad nutum amovibiles, ita ut nec ipse Episcopus obtineat facultates curatos amovibiles reddere perpetuos, nisi concurrente aliqua iusta causa, ut ex mente S. Conc.*, evidens esse arguit, Archiepiscopum non posse pro libito voluntatis vicarium amovibilem reddere perpetuum. Ordinarii enim facultatem regulari debere subnectit cum Pignatelli. *tom. 9. consult. 143. n. 14.* iuxta arbitrium boni viri, quod scilicet importat causae iustae et legitimae concursum.

16. Atque heic loci per attestationes tum magistratus localis, tum patrumfamilias longa serie subscriptorum ostendit defensor, non modo nunquam habuisse locum nec abusum, nec incommoda qualiacumque, sed etiam laudabiliter semper et summa assiduitate fuisse curam a Vicario Capituli gestam, et Sacramenta in tempore semper administrata; patet insuper ex allatis monumentis innovationem ab Archiepiscopo propositam non modo Capitulo gravem et laesivam, sed omnibus de populo permolestam futuram, et non sine animorum offensione, si probaretur, excipiendam. Quae vero in literis Archiepiscopi nunc primum commemorantur de abusibus et incommodis, ad opportunitatem tantummodo exaggerata fuisse nititur ostendere non solum recensitis testimoniis, sed etiam facto hodierni vicarii, qui est canonicus Aulenti ab annis fere triginta, cuius idoneitatem, zelum et probitatem vel ipsemet Archiepiscopus laudibus exornat.

17. Ex quibus arguit defensor, cum nulla adsit legitima mutationis causa, nihil fore innovandum in casu, et servandam esse methodum a saeculo in Capitulo Bitectensi vigentem summa cum populi aedificatione et satisfactione. Novitates enim semper odiosas esse monet cum Chrysostomo *in epist. 1. ad Corinth. hom. 7.*, ubi ait: *nihilque magis animos perturbat, etiam si fiat ob aliquod utile, uti innovare,* et cum D. Augustino, qui in *epist. 54. cap. 5. ad inquisit. Ianuar.* prudentissime ait: *Ipsa enim mutatio consuetudinis, quae utilitate adiuvat, novitate perturbat.* Et in praecisis terminis avertendae novitatis et innovationis circa exercitium curae animarum affabre perpendit Rota *coram Ansaldo in Aretina Iur. paroch. super bono iure* 16. Ianuarii 1703. §. *Ceterum, consultius esse observatae consuetudini deferre, quam aliud in dissensionem populi novitate quadam adhibita statuere,* et in *decis. 212. num. 3. et 4. part. 17. Recent.* ad rem observat cum Rota: *nimis durum est immutare ea, quae longo temporis cursu servata sunt.*

18. Congrua hinc congruis referendo satis intelligi subdit, quonam sensu rationi repugnet amovibilitas: ratio namque deducitur tum ex generali iuris dispositione, tum ex Concilii Tridentini sanctionibus, quas nihil habere commune sese putat ostendisse cum praesenti quaestione, aut certe huic in praesenti rerum statu ex animadversis minime convenire, maxime cum in casu perperam mercenarii nomen Vicario Capituli tribuatur. Mercenarii enim et conductitii reputantur iuxta Fagnan. in *Cap.* Ex parte *de off. Vicar. num. 9. et seqq.* ii, a quibus vel ob tenuitatem stipendii, vel ob maiorem utilitatem, quam ex aliis officiis sperant et procurant, vel ob aliud simile motivum, animarum cura negligi solet. In casu autem non agitur de conductitio, sed de canonico ipsius Capituli, cui imminet habitualis et actualis cura animarum, a quo cura laudabiliter exercetur ad vitam; et tunc tantum fieret mutatio, si minus laudabiliter exerceret; quod sane maxima consideratione dignum existimat cum Capitulo defensor, utpote quod in verum tendit animarum emolumentum expeditiori modo consequendum. Quare concludit Vicarium Capituli Bitectensis absque ulla necessitate propositae innovationis merito aequiparari debere quoad omnia veris et propriis parochis cum peculiari utilitate quod, si officio non bene fungatur, facile mutari possit absque solemnitate processus et strepitu iudicii. In quarum proinde auctoritatum et rationum conflictu nullam mereri considerationem

generales et abstractas iurium doctrinas adductas ex adverso, utpote quae casum non afficiunt, firmat cum Rota in *Giennen. Iur. votandi* 2. Iulii 1706. §. *Quod indubitanter, coram Kaunitz.*

19. Sed praeter haec ex alio insuper capite demonstrare pergit vicarium perpetuum nulla prorsus ratione posse constitui in collegiata Bitectensi, ob illius nimirum ecclesiae qualitatem. Cura siquidem animarum haud inest collegio seu Capitulo *per viam unionis* et *accessorie*, ita ut locus esse possit dispositioni conciliari in *cap. 7. Sess. 7. de Reform.*, eoque minus aptari altera praescriptio in *cap. 13. Sess. 24. de Reform.*, ubi de parochialibus agitur nullis certis finibus circumscriptis, in quibus cura animarum confuse exercetur atque promiscue, quod sane non contingit in casu. Hisce namque tantum in circumstantiis prudenti remittitur arbitrio Ordinarii deputatio vicarii *etiam* perpetui, quin tamen hoc praecipiatur a Patribus Tridentinis, sed a causarum varietate et concursu, ac locorum exigentia pendere debere disponitur. Et huc adamussim esse referendas observat S. Ordinis resolutiones in contrarium adductas; vel enim illis in casibus cura confuse, promiscue et vage exercebatur iuxta casum, de quo in *cap. 13. Sess. 24.*, vel agebatur de cura Capitulis adnexa *accessorie et per viam unionis* ad tramites *cap. 7. Sess. 7. de Reform.*, quo sane utroque in casu prudens intrat arbitrium, legitimis et iustis concurrentibus causis, perpetuum constituendi vicarium.

20. Cum itaque Capitulo Bitectensi non *accessorie* et *ex unione*, non *vage* et *confuse* cura immineat animarum, sed *principaliter* et *ex primaeva erectione* atque *a certo rectore*, durante illius idoneitate, regatur, neutrum ex citatis capitibus Trid. Synodi ostendit convenire, sed e contra sanctionem *cap. 16. Sess. 25. de Reform.*, ubi loquitur adamussim de cura animarum *ex primaeva erectione* beneficiis inhaerente, in quibus vicarii perpetui constitutio non solum inhibetur facienda, ne beneficia curata, a quibus auferretur cura, convertantur in simplicia contra eorum institutionem seu fundationem, sed facta insuper reprobatur, et per decessum vicarii iam deputati vicariae nomen cessare, et curam in antiquum statum restitui mandatur.

21. Et consonam textuali huic conciliari dispositioni doctrinam affert canonistarum, ac prae ceteris Ventriglia, qui *in prax. rer. notab. part. 1. adnot. 20.* §. *2. n. 1.* rem ita disertis verbis exponit: « In cura animarum spectante Capitulo, collegio, bene-

» ficio vel alteri pio loco *non per viam unionis, sed ex primaeva* » *erectione vel alio modo non posset deputari vicarius perpetuus,* » quia non esset secundum mentem huius cap. *Exstirpandae* et » Concilii Trident. ac Constit. S. Pii V., quae etiam loquitur in » terminis unionum: imo *esset expresse contra dispositionem eius-* » *dem Concilii cap. 16. Sess. 25. de Reform.,* ubi prohibetur bene- » ficium curatum converti in simplex, quod sortiretur per deputa- » tionem vicarii perpetui, cui transferri totam curam patet ex infra » dicendis, saltem quoad exercitium », concordantibus Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 33. n. 91.* et Reclus. *de re paroch. part. 1. tit. 4. n. 72. et seqq.* Qui omnes insuper affirmant, in huiusmodi curatis ecclesiis aliam contingere non posse deputationem vicarii, quam amovibiliter et ad tempus; *is enim non dicitur suo iure administrare, sed alieno iure et nomine,* canonicorum scilicet seu collegii, *cum ius parochiae sit apud unumquemque ipsorum in solidum, et alius non sit rector quam ipsum Capitulum et canonici in universum,* uti perpendit idem Lotter. *loc. cit. qu. 20. n. 114. et seqq.* Et in isto casu, *licet sint plures personae, tamen unus est curatus, quia omnes habentur loco unius* iuxta doctrinam Rotae *coram Matthaeio post Monacell. dec. 5. num. 5.*

22. Ab hac vero decidendi regula nunquam sacrum hunc Ordinem deflexisse subiungit, allatis tum antiquis tum novissimis exemplis speciem attingentibus; et praesertim in *Baren. Curae animarum* 5. Februarii et 27. Augusti 1703., *Assisien. Curae animarum* 16. Novembris 1706. et *Aliphana Curae animarum* 12. Ianuarii 1726., quae postrema solemniori confirmata est decisione in comitiis diei 15. Martii anni superioris 1856. In hisce siquidem omnibus aliisque eiusdem speciei controversiis, postquam agnitum est, curam tam *habitualem* quam *actualem* ad Capitulum et canonicos pertinere, non per viam unionis, sed *ex primaeva erectione,* S. Ordinem constanter vicarii perpetui deputationem ostendit improbasse regulam amplexando, quam tradit Tridentina Synodus in *cit. cap. 16. Sess. 25. de Reform.*

23. Atque hanc adamussim esse commonstrat ecclesiae Bitectensis indolem ac naturam. Quandoquidem cura animarum, quae collegii institutionem praecessit, tam *habitu* quam *actu* canonicis omnibus incumbebat *principaliter* et *ex primaeva erectione,* ceu monumentis insuspectis et fide dignis comprobatur, et maxime deducitur ex relationibus Episcoporum Bitectensium supra recen-

sitis tam remotissima, quae data est anno 1594.., quam postrema, quae reperitur in actis ante cathedrae suppressionem de anno 1790. Ideoque ex hoc praecipuo titulo nunquam esse permittendam arguit innovationem ab Archiepiscopo propositam conciliari decreto repugnantem, sacri Ordinis declarationibus adversam, Capituli iurium laesivam, et populi votis inimicam: maxime cum exsulent omnino mutationis odiosissimae inducendae motiva, et incommoda non occurrant in exercitio curae, cuius methodus utillissima dignoscitur tum ad continendum in officio vicarium, tum ad bonum animarum ob concursum capitularium in administratione Sacramentorum, ubi necessitas postulet; et si quid demum emendatione dignum irrepsisset in curae administratione, alio prorsus advertit occurrendum fore remedio ad tramites sacrorum canonum, nunquam vero adhibendam esse rationem, quae radicitus convelleret ecclesiae naturam et in apertam recideret conciliaris decreti violationem.

24. Hisce utrinque deductis erit EE. VV. sapientiae atque prudentiae dirimere dubium:

An et quomodo cura animarum perpetuo sit adnectenda dignitati archipresbyterali, seu potius nihil sit innovandum in casu?

Itaque Emi Patres die 29. Aug. 1857. rescripserunt:

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

XXXV.

Pii PP. IX. Epistola encyclica Nostis et Nobiscum, *qua ostendit, quid facere debeant Episcopi, ut in hisce temporum adversitatibus fidem catholicam et morum probitatem sartam tectamque servare queant.*

(Ad pag. 436. vol. I. et pag. 595. vol. II.)

Summarium. 1. De ausibus hostium Ecclesiae et Apostolicae Sedis, dominante republica Romana anni 1848. Eorum artes et insidiae non cessant. Romanus Pontifex malis illatis vel imminentibus remedium afferre nititur. – 2. Clamitant iidem religionem catholicam Italiae magnitudini et incremento adversari, adeoque substituenda esse placita protestantium. Mundi gloria spirituali animarum utilitati posthabenda est. – 3. Ob D. Petri cathedram Italia nedum gloriam, sed et plurima alia emolumenta consecuta est. – 4. De nefariis socialismi et communismi systematibus, ad quae ab hostibus Ecclesiae sternitur via per protestantium doctrinas, quarum semina ubique ab iisdem iaciuntur. – 5. Summus

Pontifex ad haec praecavenda mala Synodorum celebrationem inculcat. – 6. Item doctrinae christianae instructionem, ac praesertim explicationem dogmatis de necessitate catholicae fidei ad aeternam salutem consequendam. – 7. Confirmationem et Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae frequentiam Christifidelibus commendandam. – 8. Item praedicationem divini verbi tempore Adventus et Quadragesimae, necnon spiritualia exercitia et sacras missiones. – 9. De pravis librariae artis consiliis et conatibus. – 10. Boni libri in vulgus diffundantur. – 11. Populis commendetur obsequium erga supremam D. Petri Sedem. – 12. Obedientia Romano Pontifici praestita compendiosa via est ad populos in catholicae fidei veritate conservandos. – 13. Hostes Ecclesiae aequalitatis nomine abutuntur ad socialismi et communismi commenta importanda. – 14. Auctoritati legitimae quisque subditus esse debet. – 15. Perfecta aequalitas in rerum natura non datur. – 16. Conditio pauperum in religione catholica extollitur ac sublimatur. – 17. Vera aequalitas in custodia christianae legis posita est. – 18. Sacerdotum exemplum magnam habet vim ad populos in christianae legis officio continendos. – 19. Bona et utilitates quae ex regularibus Ordinibus proficiscuntur. – 20. Vehementissime praecipitur ecclesiastica clericorum institutio. – 21. Item et christiana laicorum educatio. – 22. In scholis adhibeantur magistri ac libri ab omni suspicione immunes; ac nominatim pueris Romanus catechismus explicetur. – 23. Hostes Ecclesiae ad iuventutem depravandam maxime intendunt. – 24. Invocatur praesidium ac studium supremorum Italiae Principum. – 25. Quam bene religionis catholicae dictamina humanae naturae necessitatibus et commodis conformentur ex doctrina D. Augustini. – 26. Divinum auxilium a Deo per Iesum Christum, Deiparam Virginem, Apostolos Petrum ac Paulum omnesque Coelites imploratur.

1. Nostis et Nobiscum una conspicitis, Venerabiles Fratres, quanta nuper perversitate invaluerint perditi quidam veritatis, iustitiae et honestatis cuiusque inimici, qui sive per fraudem, omnisque generis insidias, sive palam, et tanquam fluctus feri maris despumantes confusiones suas, effraenatam cogitandi, loquendi et impia quaeque audiendi licentiam quaquaversus diffundere contendunt inter fideles Italiae populos et catholicam religionem in Italia ipsa labefactare, ac, si fieri unquam posset, funditus evertere commoliuntur. Apparuit tota diabolici eorum consilii ratio tum aliis nonnullis in locis tum in Alma praesertim Urbe, supremi Pontificatus Nostri Sede, in qua, Nobis abire inde coactis, liberius, paucis licet mensibus, debacchati sunt; ubi divinis humanisque rebus nefario auso commiscendis eo tandem

illorum furor pervenit, ut spectatissimi urbani cleri et Praesulum sacra inibi iussu Nostro impavide curantium turbata opera, et auctoritate despecta, vel ipsi interdum miseri aegroti cum morte colluctantes, cunctis destituti religionis subsidiis, animam inter procacis alicuius meretricis illecebras emittere cogerentur.

Iam vero etsi deinceps Romana eadem Urbs et aliae Pontificiae ditionis provinciae, Deo miserante, per catholicarum nationum arma civili nostro regimini restitutae fuerint, ac bellorum tumultus in aliis pariter regionibus Italiae cessaverit, non destitere tamen, nec sane desistunt improbi illi Dei hominumque hostes a nefando suo opere, sin minus per apertam vim, aliis certe fraudulentis nec semper occultis modis urgendo. Verum infirmitati Nostrae supremam totius Dominici gregis curam in tanta temporum difficultate sustinenti, et peculiaribus huiusmodi ecclesiarum Italiae periculis vehementer afflictae, non levis inter aerumnas consolatio est ex pastorali vestro studio, Venerabiles Fratres, cuius multa Nobis documenta, et in medio praeteritae tempestatis turbine non defuerant, et nova in dies clarioraque obveniunt. Ipsa autem rei gravitas urget Nos, ut pro debito Apostolici officii Fraternitatibus Vestris, in Nostrae sollicitudinis partem vocatis, acriores sermone atque hortationibus Nostris addamus stimulos ad praelianda constanter una Nobiscum praelia Domini, atque ad ea omnia concordibus animis providenda ac praestanda, quibus, Deo benedicente, et damna reparentur, quaecumque religioni sanctissimae per Italiam illata iam sint, et imminentia in posterum pericula propulsentur.

2. Inter multiplices fraudes, quibus praedicti Ecclesiae hostes uti consueverunt ad Italorum animos a fide catholica abalienandos, asserere etiam et quaquaversus clamitare non erubescunt, catholicam religionem Italiae gentis gloriae, magnitudini et prosperitati adversari, ac propterea opus esse, ut illius loco protestantium placita et conventicula inducantur, constituantur et propagentur, quo Italia pristinum veterum temporum, scilicet ethnicorum, splendorem iterum acquirere possit. In quo sane illorum commento haud facile quis existimaverit, num detestanda magis sit vesanae impietatis malitia, vel impudentia mentientis improbitatis.

Etenim spirituale emolumentum, ut de potestate tenebrarum in Dei lumen translati et iustificati gratia Christi haeredes simus

secundum spem vitae aeternae, hoc scilicet animarum emolumentum, a catholicae religionis sanctitate dimanans, eius profecto est pretii, ut quaecunque huius mundi gloria et faustitas in comparatione illius plane in nihilum esset computanda. « Quid » enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae » vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo com- » mutationem pro anima sua (1)? » At vero tantum porro abest, ut temporalia illa detrimenta Italorum genti ob verae fidei professionem acciderint, ut immo religioni catholicae in acceptis referre illa debeat, si Romano labante imperio non in eam conditionem deciderit, in quam Assyrii et Chaldaei, Medii, Persaeque et Macedones populi, multos antea dominati per annos, commutata deinceps temporum vice, dilapsi fuerant. Etenim nemo prudens ignorat, per sanctissimam Christi religionem effectum esse ut Italia non solum a tot ac tantis, quibus obruebatur, errorum tenebris fuerit erepta, verum etiam ut inter antiqui illius imperii ruinas et barbarorum tota Europa grassantium incursiones, ad eam nihilominus gloriam et magnitudinem prae ceteris totius mundi nationibus se provectam conspiceret, ut per sacram Petri Cathedram singulari Dei beneficio in ipsa collocatam latius atque solidius praesideret religione divina, quam praefuerat olim dominatione terrena.

3. Atque ex ipso hoc Apostolicae habendae Sedis singulari privilegio, et ex religione catholica firmiores exinde in Italiae populis radices obtinente alia porro permulta eademque insignia beneficia profecta sunt. Siquidem sanctissima Christi religio verae sapientiae magistra, humanitatis vindex, ac virtutum omnium foecunda parens, avertit quidem Italorum animos ab infelicis illius gloriae splendore, quam illorum maiores in perpetuo bellorum tumultu, in exterorum oppressione, atque in longe maximo hominum numero, ex eo, quod vigebat, iure belli, ad durissimam captivitatem redigendo posuerant, sed una simul Italos ipsos catholicae veritatis luce collustratos ad sectandam iustitiam et misericordiam, atque adeo ad praeclara etiam pietatis in Deum, et beneficentiae erga homines aemulanda opera excitavit. Hinc in praecipuis Italiae urbibus admirari est, sacra templa et alia christianorum temporum monumenta, haudquaquam per cruentos

(1) Matthaei XVI. 26.

labores hominum sub captivitate gementium, sed ingenuo vivificae charitatis studio confecta, et pia cuiusque generis instituta, quae sive ad religionis exercitia, sive ad educationem iuventutis, et literas, artes, disciplinas rite excolendas, sive ad miserorum aegritudines et indigentias sublevandas comparata sunt. Haec igitur divina religio, in qua tot quidem nominibus Italiae salus, felicitas et gloria continetur, haec scilicet religio illa est, quam ab Italiae populis reiiciendam inclamant? Lacrymas cohibere non possumus, Venerabiles Fratres, dum conspicimus, aliquos nunc Italos reperiri improbos adeo, misereque illusos, ut pravis impiorum hominum plaudentes doctrinis in tantam Italiae perniciem conspirare cum ipsis non reformident.

4. Sed vero ignotum Vobis non est, Venerabiles Fratres, praecipuos illos huius scelestissimae machinationis architectos eo tandem spectare, ut populos omni perversarum doctrinarum vento agitatos, ad subversionem impellant totius ordinis humanarum rerum, atque ad nefaria novi *Socialismi* et *Communismi* systemata traducant. Norunt autem et longo multorum saeculorum experimento comprobatum vident, nullam sibi consensionem sperari posse cum Ecclesia catholica, quae scilicet in custodiendo divinae revelationis deposito nihil unquam detrahi patitur propositis fidei veritatibus, nihil illis per nova hominum commenta admisceri. Idcirco consilium inierunt de Italis populis traducendis ad protestantium placita et conventicula; in quibus, ut illos decipiant, non aliud esse dictitant, quam diversam verae eiusdem christianae religionis formam, in qua, aeque ac in Ecclesia catholica, Deo placere datum sit. Interea minime ignorant, profuturum summopere impiae suae causae principium illud, quod in protestantium placitis praecipuum est, de sacris scilicet Scripturis privato uniuscuiusque iudicio intelligendis. Exinde enim facilius sibi fore confidunt, ut primo quidem sacris ipsis Literis perperam interpretatis abutantur ad errores suos, quasi Dei nomine, diffundendos; subinde autem ut homines superbissima illa de divinis rebus iudicandi licentia inflatos propellant ad communia ipsa iusti honestique principia in dubium revocanda.

5. Absit tamen, Venerabiles Fratres, ut Italia, ex qua, ob Sedem Apostolici magisterii Romae constitutam, nationes aliae incorruptos salutaris doctrinae latices haurire solitae sunt, fiat illis in posterum lapis offensionis et petra scandali; absit, ut

dilecta haec Dominicae vineae pars in direptionem cedat omnium bestiarum agri; absit, ut Itali populi, venefico Babylonici calicis haustu dementati, parricidalia contra Matrem Ecclesiam arma suscipiant. Nobis quidem, uti et Vobis, in haec tanti periculi tempora occulto Dei iudicio reservatis, cavendum omnino est, ne fraudes atque impetus hominum contra Italiae fidem conspirantium extimescamus, Nostris quasi viribus superandos; cum Nostrum consilium et fortitudo sit Christus, et sine quo nihil possumus, per ipsum cuncta possimus (1). Agite igitur, Venerabiles Fratres, advigilate impensius super creditum gregem, eumque a rapacium luporum insidiis et aggressionibus tueri contendite. Communicate invicem consilia, pergite, ut iam instituistis, coetus habere inter Vos, ut malorum initiis et praecipuis pro locorum diversitate periculorum fontibus communi investigatione perspectis, sub auctoritate ac ductu Sanctae huius Sedis promptiora illis remedia comparare valeatis, atque ita una Nobiscum concordissimis animis, totoque pastoralis studii robore curas laboresque Vestros, Deo adiuvante, in id conferatis, ut omnes hostium Ecclesiae impetus, artes, insidiae, molimina irrita fiant.

6. Ea vero ut in irritum cadant, satagendum omnino est, ne populus de christiana doctrina ac de lege Domini parum instructus, et diuturna in multis grassantium vitiorum licentia hebetatus, paratas sibi insidias et propositorum errorum pravitatem agnoscere vix possit. A Vestra igitur pastorali sollicitudine vehementer exposcimus, Venerabiles Fratres, ut nunquam intermittatis omnem adhibere operam, quo crediti Vobis fideles sanctissima religionis Nostrae dogmata ac praecepta, pro cuiusque captu, diligenter edoceantur, simulque moneantur et excitentur omnimodis ad vitam moresque suos ad illorum normam componendos. Inflammate in eum finem ecclesiasticorum hominum zelum, illorum praesertim, quibus animarum cura demandata est, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt in Domino, et habentes ob oculos Tridentini Concilii praescripta (2) maiori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianae plebis institutionem incumbant, et sacra eloquia, ac salutis monita in omnium cordibus inserere studeant, annuntiando ipsis cum bre-

(1) Ex S. Leonis Magni epist. ad Rusticum Narbonensem.
(2) Sess. V. cap. 2. — Sess. XXIV. cap. 4. et 7. de ref.

vitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes, quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant.

Speciatim vero procurandum est, ut fideles ipsi impressum in animis habeant, alteque defixum dogma illud sanctissimae Nostrae religionis, quod est de necessitate catholicae fidei ad obtinendam salutem (1). Hunc in finem summopere conducet, ut in publicis orationibus fideles laici una cum clero agant identidem peculiares Deo gratias pro inaestimabili catholicae religionis beneficio, quo ipsos omnes clementissime donavit, atque ab eodem misericordiarum Patre suppliciter petant, ut eiusdem religionis professionem in regionibus nostris tueri, et inviolatam conservare dignetur.

7. Interea Vobis certe peculiaris erit cura, ut fideles omnes tempestive a Fraternitatibus Vestris suscipiant Sacramentum Confirmationis, per quod summo Dei beneficio specialis gratiae robur confertur ad fidem catholicam in gravioribus etiam periculis constanter profitendam. Nec porro ignoratis, eumdem in finem prodesse, ut ipsi a peccatorum sordibus, per sinceram illorum detestationem et Sacramentum Poenitentiae expiati, saepius devote percipiant sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo spiritualem esse constat animarum cibum et antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur, atque adeo symbolum unius illius corporis, cuius Christus caput existit, cuique Nos tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in Nobis schismata (2).

8. Equidem non dubitamus, quin parochi eorumque adiutores et sacerdotes alii, qui certis diebus, ieiuniorum praesertim tempore, ad praedicationis ministerium destinari consueverunt, auxiliarem Vobis operam sedulo in his omnibus sint praestituri. Attamen illorum operae adiungere interdum oportet extraordinaria subsidia spiritualium exercitiorum et sacrarum missionum, quas, ubi operariis idoneis commissae fuerint, valde utiles, benedicente Domino, esse constat tum fovendae bonorum pietati,

(1) Hoc dogma a Christo acceptum et inculcatum a Patribus atque a Conciliis, habetur etiam in formulis professionis fidei, tum in ea scilicet, quae apud Latinos, tum in ea, quae apud Graecos, tum in alia, quae apud ceteros orientales catholicos in usu est.

(2) Ex Trid. Sess. XIII. decr. *de SS. Euch. Sacramento*, cap. 2.

tum peccatoribus, et longo etiam vitiorum habitu depravatis hominibus ad salutarem poenitentiam excitandis, atque adeo ut fidelis populus crescat in scientia Dei, et in omni opere bono fructificet, et uberioribus coelestis gratiae auxiliis munitus a perversis inimicorum Ecclesiae doctrinis constantius abhorreat.

Ceterum in his omnibus Vestrae ac sacerdotum Vobis auxiliantium curae eo inter alia spectabunt, ut fideles maiorem horrorem concipiant illorum scelerum, quae cum aliorum scandalo patrantur. Nostis enim, quantum diversis in locis excreverit eorum numerus, qui sanctos Coelites, vel ipsum quoque sacrosanctum Dei nomen palam blasphemare audent, aut in concubinatu vivere dignoscuntur cum incestu interdum coniuncto, aut festis diebus servilia opera apertis etiam officinis exercent, aut Ecclesiae praecepta de ieiuniis ciborumque delectu pluribus quoque adstantibus contemnunt, aut alia diversa crimina simili modo committere non erubescunt. Meminerit igitur, Vobis instantibus, fidelis populus, et serio consideret magnam peccatorum huiusmodi gravitatem, et severissimas poenas, quibus illorum auctores plectendi erunt tum pro reatu cuiusque criminis proprio, tum pro spirituali periculo, in quod fratres suos pravi sui exempli contagione induxerunt. Scriptum est enim: *Vae mundo a scandalis... Vae homini illi, per quem scandalum venit* (1).

9. Inter diversa insidiarum genera, quibus vaferrimi Ecclesiae humanaeque societatis inimici populos seducere annituntur, illud certe in praecipuis est, quod nefariis consiliis suis iamdiu paratum in novae artis librariae pravo usu invenerunt. Itaque in eo toti sunt, ut impios libellos et ephemerides ac pagellas mendacii, calumniarum et seductionis plenas edere in vulgus ac multiplicare quotidie non intermittant. Immo et praesidio usi societatum biblicarum, quae a Sancta hac Sede iamdudum damnatae sunt (2), sacra etiam Biblia praeter Ecclesiae regulas (3) in

(1) Matthaei XVIII. 7.

(2) Exstant ea super re, praeter alia praecedentia decreta, encyclicae Literae Gregorii XVI. datae postridie nonas Maii 1884., quae incipiunt « Inter praecipuas machinationes » (vide supra pag. 269.–279.), cuius sanctiones Nos quoque inculcavimus in encyclica Epistola data 9. Novembris 1846.

(3) Vide Reg. 4. ex iis, quae a Patribus in Conc. Trid. delectis conscriptae, et a Pio IV. approbatae fuerunt in Const. « Dominici gregis » 24. Mart. 1564. et additionem eidem factam a Congr. Indicis, auctoritate Bened. XIV. 17. Iun. 1757. (quae praemitti solent indici librorum prohibitorum).

vulgarem linguam translata, atque adeo corrupta, et in pravum sensum infando ausu detorta diffundere, illorumque lectionem sub religionis obtentu fideli plebi commendare non verentur. Hinc pro sapientia Vestra optime intelligitis, Venerabiles Fratres, quanta Vobis vigilantia et sollicitudine adlaborandum sit, ut fideles oves a pestifera illorum lectione prorsus abhorreant; atque ut de divinis nominatim Literis meminerint, neminem hominum id sibi arrogare posse, ut suae prudentiae innixus illas ad suos sensus contorquere praesumat contra eum sensum, quem tenuit, et tenet S. Mater Ecclesia, cui quidem soli a Christo Domino mandatum est, ut fidei depositum custodiat, ac de vero divinorum eloquiorum sensu et interpretatione iudicet (1).

10. Ad ipsam vero pravorum librorum contagionem comprimendam perutile erit, Venerabiles Fratres, ut quicunque penes Vos sint insignis sanaeque doctrinae viri alia parvae item molis scripta, a Vobis scilicet antea probata, edant in aedificationem fidei ac salutarem populi instructionem. Ac Vestrae hinc curae erit, ut eadem scripta, ut et alii incorruptae pariter doctrinae probataeque utilitatis libri ab aliis conscripti, prout locorum ac personarum ratio suggesserit, inter fideles diffundantur.

11. Omnes autem, qui una vobiscum in defensionem fidei adlaborant, eo speciatim spectabunt, ut pietatem, venerationem atque observantiam erga supremam hanc Petri Sedem, qua Vos, Venerabiles Fratres, tantopere excellitis, in vestrorum fidelium animis insinuent, tueantur alteque defigant. Meminerint scilicet fideles populi, vivere hic, et praesidere in successoribus suis Petrum Apostolorum Principem (2), cuius dignitas in indigno etiam eius haerede non deficit (3). Meminerint, Christum Dominum posuisse in hac Petri Cathedra inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum (4), et Petro ipsi claves dedisse regni coelorum (5), ac propterea orasse, ut non deficeret fides eius, eidemque mandasse, ut confirmaret in illa fratres (6); ut proinde Petri successor, Romanus Pontifex, in universum orbem teneat Primatum,

(1) Vide Tridentinum Sess. IV. in decret. *De editione et usu sacr. librorum.*
(2) Ex actis Ephesini Conc. act. III. et S. Petro Chrysologo epist. ad Eutychen.
(3) Leo M. Serm. in anniv. Assumpt. suae.
(4) Matthaei XVI. 18.
(5) Ibidem v. 19.
(6) Lucae XXII. 31. 32.

et verus Christi Vicarius, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Pater et Doctor existat (1).

12. In qua sane erga Romanum Pontificem populorum communione et obedientia tuenda, brevis et compendiosa via est ad illos in catholicae veritatis professione conservandos. Neque enim fieri potest, ut quis a catholica fide ulla unquam ex parte rebellet, nisi et auctoritatem abiiciat Romanae Ecclesiae, in qua exstat eiusdem fidei irreformabile magisterium a divino Redemptore fundatum, et in qua propterea semper conservata fuit ea, quae est ab Apostolis traditio. Hinc non modo antiquis haereticis, sed etiam recentioribus protestantibus, quorum ceteroquin tanta in reliquis suis placitis discordia est, illud commune semper fuit, ut auctoritatem impugnarent Apostolicae Sedis, quam nullo prorsus tempore, nullaque arte, aut molimine, ne ad unum quidem ex suis erroribus tolerandum inducere potuerunt. Idcirco hodierni etiam Dei et humanae societatis hostes nihil inausum relinquunt, ut Italos populos a Nostro Sanctaeque eiusdem Sedis obsequio divellant; rati nimirum, tum demum posse sibi contingere, ut Italiam ipsam impietate doctrinae suae, novorumque systematum peste contaminent.

13. Atque ad pravam hanc doctrinam et systemata quod attinet, notum iam omnibus est, illos eo potissimum spectare, ut libertatis et aequalitatis nominibus abutentes, exitiosa *Communismi* et *Socialismi* commenta in vulgus insinuent. Constat autem, ipsis seu *Communismi*, seu *Socialismi* magistris, diversa licet via ac methodo agentibus, illud demum commune esse propositum, ut operarios atque alios inferioris praesertim status homines suis deceptos fallaciis, et faustioris conditionis promissione illusos, continuis commotionibus exagitent, atque ad graviora paullatim facinora exerceant; ut postmodum illorum opera uti possint ad superioris cuiusque auctoritatis regimen oppugnandum, ad expilandas, vel invadendas Ecclesiae primum, ac deinde aliorum quorumcumque proprietates, ad omnia tandem violanda divina humanaque iura, in divini cultus destructionem, atque in subversionem totius ordinis civilium societatum. In tanto autem Italiae discrimine Vestrum munus est, Venerabiles Fratres, omnes pastoralis studii nervos intendere, ut fidelis populus agno-

(1) Ex Conc. oecumenico Florentino in definit. seu decr. unionis.

scat perversa huiusmodi placita et systemata, si ab illis decipi se patiatur, in aeternam pariter ac temporalem eius perniciem fore cessura.

14. Moneantur itaque fideles curae Vestrae concrediti, pertinere omnino ad naturam ipsam humanae societatis, ut omnes auctoritati obtemperare debeant legitime in illa constitutae; nec quidquam commutari posse in praeceptis Domini, quae in sacris Literis ea super re annuntiata sunt. Scriptum est enim: « Sub» iecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive Regi, » quasi praecellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis ad vin» dictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est vo» luntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium » hominum ignorantiam: quasi liberi, et non quasi velamen ha» bentes malitiae libertatem, sed sicut servi Dei (1). » Et rursus: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est » enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae » sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui » autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt (2). »

15. Sciant praeterea, esse pariter naturalis atque adeo incommutabilis conditionis humanarum rerum, ut inter eos etiam, qui in sublimiori auctoritate non sunt, alii tamen aliis, sive ob diversas animi, aut corporis dotes, sive ob divitias, et externa huiusmodi bona praevaleant: nec ullo libertatis et aequalitatis obtentu fieri unquam posse, ut aliena bona, vel iura invadere, aut quomodolibet violare licitum sit. Perspicua hoc quoque in genere, et passim inculcata exstant in sacris Literis divina praecepta, quibus nedum ab occupatione alienarum rerum, sed ab ipso etiam eius desiderio districte prohibemur (3).

16. Sed meminerint insuper pauperes et miseri quicumque homines, quantum ipsi debeant catholicae religioni, in qua intemerata viget et palam praedicatur Christi doctrina; qui beneficia in pauperes vel miseros collata perinde haberi a se declaravit, ac si facta sibi ipsi fuissent (4): atque omnibus praenuntiatam voluit peculiarem rationem, quam in die iudicii ha-

(1) S. Petri epist. I. cap. II. 13. seq.
(2) S. Pauli epist. ad Romanos XIII.. I. seq.
(3) Exodi XX. 45. 17. — Deuteronomii V. 19. 21.
(4) Matthaei XVIII. 15.. XXV. 40. 45.

biturus est de iisdem misericordiae operibus, sive scilicet ad praemia aeternae vitae fidelibus tribuenda, qui illis vacaverint; sive ad illos, qui ea neglexerint, aeterni ignis poena mulctandos (1).

Ex qua Christi Domini praenuntiatione, aliisque illius circa divitiarum usum, earumque pericula severissimis monitis (2), in Ecclesia catholica inviolate custoditis, factum porro est, ut pauperes et miseri apud catholicas gentes in longe mitiore, quam apud alias quaslibet, conditione versentur. Atque hi quidem in regionibus Nostris uberiora adhuc subsidia obtinerent, nisi plura instituta, quae maiorum pietate comparata fuerant ad ipsorum levamen, exstincta nuper repetitis publicarum rerum commotionibus, aut direpta fuissent. De reliquo pauperes Nostri, Christo ipso docente, meminerint, non esse, cur tristes sint de conditione sua: quandoquidem in paupertate ipsa facilior eis parata via est ad obtinendam salutem, dummodo scilicet suam indigentiam patienter sustineant, et non re tantum, sed spiritu pauperes sint. Ait enim: « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum » est regnum coelorum (3). »

Sciat etiam fidelis populus universus, veteres reges ethnicarum gentium, aliosque in illis publicarum rerum praesides multo gravius frequentiusque abusos fuisse potestate sua; atque hinc religioni Nostrae sanctissimae in acceptis referendum esse cognoscat, si Principes christianorum temporum reformidantes, religione admonente, *iudicium durissimum*, quod *his, qui praesunt, fiet*, et destinatum peccantibus supplicium sempiternum, in quo *potentes potenter tormenta patientur* (4), iustiori erga subiectos populos et clementiori regimine utuntur.

17. Agnoscant denique crediti Vestris Nostrisque curis fideles, veram perfectamque hominum libertatem et aequalitatem in christianae legis custodia positam esse; quandoquidem Deus omnipotens, qui fecit *pusillum*, et cui *aequaliter cura est de omnibus* (5), *non subtrahet personam cuiusquam, nec verebitur ma-*

(1) Matthaei XXV. 34. seq.
(2) Matthaei XIX. 23. seq. — Lucae VI. 4., XVIII. 22. seq. — Epist. Iacobi V. 1. seq.
(3) Matthaei V. 3.
(4) Sapientiae VI. 6. 7.
(5) Sapientiae VI. 8.

gnitudinem cuiusquam (1), ac diem statuit, *in quo iudicaturus est orbem in aequitate* (2), in suo Unigenito Christo Iesu, qui *venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, et tunc reddet unicuique secundum opera eius* (3).

Quod si fideles iidem paterna suorum pastorum monita et commemorata superius christianae legis mandata despicientes, a supradictis hodiernarum machinationum promotoribus decipi se patiantur, et in perversa *Socialismi* et *Communismi* systemata conspirare cum illis voluerint, sciant serioque considerent, thesaurizare se sibimetipsis apud divinum Iudicem thesauros vindictae in die irae; nec quidquam interea ex conspiratione illa temporalis in populum utilitatis, sed nova potius miseriarum et calamitatum incrementa obventura. Non enim datum hominibus est, novas stabilire societates et communiones naturali humanarum rerum conditioni adversantes; atque idcirco conspirationum huiusmodi, si per Italiam dilatarentur, non alius esse exitus posset, nisi ut hodierno publicarum rerum statu per mutuas civium contra cives aggressiones, usurpationes, caedes labefactato funditusque convulso, pauci tandem aliqui, multorum spoliis locupletati, summum in communi ruina dominatum arriperent.

18. Iam vero ad fidelem populum avertendum ab impiorum insidiis, et in professione custodiendum catholicae religionis, atque ad verae virtutis opera excitandum, magna, ut probe scitis, vis est in illorum vita et exemplo, qui divinis se ministeriis manciparunt. Verum, proh dolor! non defuere per Italiam aliqui, pauci illi quidem, viri ecclesiastici, qui ad Ecclesiae hostes transfugae non minimo illis ad fideles decipiendos adiumento fuerunt. Sed Vobis certe, Venerabiles Fratres, novo illorum lapsus stimulo fuit, ut acriori in dies studio in cleri disciplinam advigiletis. Atque hic in futurum quoque tempus, pro eo ac debemus, prospicere cupientes, temperare Nobis non possumus, quin commendemus denuo, quod in prima Nostra ad totius Orbis Episcopos encyclica Epistola inculcavimus (4), nempe ut nemini cito manus imponatis (5), sed in ecclesiasticae militiae delectu ma-

(1) Sapientiae VI. 8.
(2) Actorum XVII. 31.
(3) Matthaei XVI. 27.
(4) 9. Novembris 1846.
(5) 1. ad Timoth. V. 22.

iorem usque diligentiam adhibeatis. De iis praesertim, qui sacris Ordinibus initiari desiderent, inquirere et diu multumque investigare opus est, num ea doctrina, gravitate morum et divini cultus studio commendentur, ut certa spes affulgeat fore, ut tamquam lucernae ardentes in domo Domini, eorum vivendi ratione atque opera aedificationem et spiritualem Vestro gregi utilitatem afferre queant.

19. Quoniam vero ex monasteriis recte administratis ingens in Ecclesia Dei splendor atque utilitas dimanat, et regularis etiam clerus adiutricem Vobis in procuranda animarum salute operam navat, Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, in mandatis damus, primum quidem, ut religiosas familias cuiusque dioecesis Nostro nomine certiores faciatis, Nobis peculiares aerumnas ingemiscentibus, quas multae illarum in recenti calamitoso tempore perpessae sunt, non levi interea consolationi fuisse animorum patientiam, atque in virtutis et religionis studio constantiam, quibus plurimi ex religiosis hominibus ad exemplum se commendarunt; etsi aliqui non defuerint, qui suae professionis obliti cum magno bonorum scandalo, et Nostro fratrumque suorum dolore turpissime praevaricati sunt: deinde vero, ut Praesides earumdem familiarum et Superiores, ubi opus fuerit, illarum moderatores Nostris verbis adhortemini, ut pro sui officii debito nulli parcant curae atque industriae, quo regularis disciplina, ubi servatur, magis in dies vigeat et floreat, ubi vero detrimentum aliquod passa fuerit, omnino reviviscat et redintegretur. Moneant instanter iidem Praesides, arguant, increpent religiosos illarum alumnos, ut serio considerantes, quibus se votis Deo obstrinxerunt, illa diligenter reddere studeant, suique instituti regulas inviolate custodiant, et mortificationem Iesu in suo corpore circumferentes ab iis omnibus abstineant, quae propriae vocationi adversantur, et operibus instent, quae caritatem Dei ac proximi, perfectaeque virtutis studium praeseferant. Caveant praesertim supradicti Ordinum Moderatores, ne ulli ad religiosa instituta aditum faciant, nisi cuius antea vitam, mores atque indolem accuratissime expenderint; ac deinde illos tantum ad religiosam professionem admittant, qui tyrocinio rite posito ea dederint verae vocationis signa, ut iudicari merito possit, ipsos non alia de causa religiosam vitam amplecti, nisi ut Deo unice vivant, et suam atque aliorum salutem pro cuiusque instituti ra-

tione procurare possint. Super his autem deliberatum fixumque Nobis est, ut ea omnino serventur, quae ad religiosarum familiarum bonum statuta praescriptaque sunt in decretis a Nostra Congregatione super Statu Regularium die 25. Ianuarii superiori anno editis, et Apostolica Nostra auctoritate sancitis.

20. Post haec ad saecularis cleri delectum revocato sermone, commendatam in primis volumus Fraternitatibus Vestris instructionem et educationem minorum clericorum ; quandoquidem idonei Ecclesiae ministri vix aliter haberi possunt, quam ex illis, qui ab adolescentia et prima ipsa aetate ad sacra eadem officia rite informati fuerint. Pergite igitur, Venerabiles Fratres, omnem impendere industriam atque operam, quo sacrae militiae tyrones a teneris annis, quoad eius fieri poterit, in ecclesiastica seminaria recipiantur, atque inibi, tamquam novellae plantationes succrescentes in circuitu tabernaculi Domini, ad vitae innocentiam, religionem, modestiam et ecclesiasticum spiritum conformentur, simulque literas, et minores maioresque disciplinas praesertim sacras addiscant a selectissimis magistris, qui scilicet doctrinam sectentur ab omni cuiusque erroris periculo alienam.

21. Quoniam vero haud facile Vobis continget, minorum omnium clericorum eruditionem in seminariis perficere, et ceteros etiam ex laicorum ordine adolescentes ad pastoralem Vestram sollicitutinem pertinere non est dubium, excubate insuper, Venerabiles Fratres, aliis omnibus publicis privatisque scholis, et quantum in Vobis est, omni ope atque industria adnitimini, ut tota in illis studiorum ratio ad catholicae doctrinae normam exigatur, et conveniens in illas iuventus ab idoneis, et probitate ac religione spectatis magistris ad veram virtutem, bonasque artes et disciplinas instituta opportunis muniatur praesidiis, quibus structas sibi ab impiis insidias agnoscat, et exitiales eorumdem errores devitet, atque ita sibi, et christianae ac civili reipublicae ornamento et utilitati esse possit.

22. Eo autem in genere praecipuam Vobis, planeque liberam auctoritatem et curam vindicabitis super professoribus sacrarum disciplinarum, et in reliquis omnibus, quae religionis sunt, aut religionem proxime attingunt. Advigilate, ut in tota quidem scholarum ratione, sed in his maxime, quae religionis sunt, libri adhibeantur ab erroris cuiusque suspicione immunes. Commonete animarum curatores, ut seduli Vobis adiutores sint in

iis, quae scholas respiciunt infantium et iuvenum primae aetatis; quo destinentur ad illas magistri et magistrae probatissimae honestatis; et in pueris aut puellis ad christianae fidei rudimenta instituendis libri adhibeantur a sancta hac Sede probati. Qua in re dubitare non possumus, quin parochi ipsi exemplo illis sint, et Vobis sedulo instantibus, in pueros ad christianae doctrinae primordia instruendos quotidie magis incumbant, eamque instructionem ad graviores sui muneris partes omnino pertinere meminerint (1). Iidem vero admonendi erunt, ut in suis sive ad pueros, sive ad reliquam plebem instructionibus habere ob oculos non omittant Catechismum Romanum, quem ex decreto Tridentini Concilii, et S. Pii V. immortalis memoriae Decessoris Nostri iussu editum, alii porro Summi Pontifices, ac nominatim fel. record. Clemens XIII. cunctis animarum pastoribus denuo commendatum voluit, tamquam *ad pravarum opinionum fraudes removendas, et veram sanamque doctrinam propagandam stabiliendamque opportunissimum subsidium* (2).

23. Haud sane mirabimini, Venerabiles Fratres, si de his fusiori aliquantulum calamo scripsimus. Enimvero prudentiam Vestram minime fugit, periculoso hoc tempore Vobis Nobisque ipsis omni industria atque opera, ac magna animi firmitate connitendum et invigilandum esse in illis omnibus, quae scholas et puerorum ac iuvenum utriusque sexus instructionem et educationem attingunt. Nostis enim, hodiernos religionis humanaeque societatis inimicos diabolico plane spiritu in id suas omnes artes conferre, ut inveniles mentes et corda a prima ipsa aetate pervertant. Idcirco etiam nihil intentatum, nihil prorsus inausum relinquunt, ut scholas et instituta quaelibet iuventutis educationi destinata, ab Ecclesiae auctoritate et sacrorum pastorum vigilantia omni ex parte subducant.

24. Iuxta haec firma spe sustentamur, fore, ut carissimi in Christo Filii Nostri omnes Italiae Principes Fraternitatibus Vestris potenti patrocinio suo adfuturi sint, quo in supradictis omnibus muneri Vestro uberius satisfacere valeatis; nec dubitamus, quin

---

(1) Tridentinum Sess. XXIV. c. 4. — Bened. XIV. Constit. « Etsi minime » 7. Februarii 1742.

(2) In encyclicis Literis ea de re ad omnes Episcopos datis 14. Iunii 1761.

iidem ipsi Ecclesiam et omnia tam spiritualia, quam temporaliă eius iura tueri velint. Id quidem religioni congruum est avitaeque pietati, qua se in exemplum animatos ostendunt. Illorum quoque sapientiam non latet, initia malorum omnium, quibus tantopere affligimur, a detrimentis repetenda esse, quae religioni Ecclesiaeque catholicae iamdiu, praesertim vero a protestantium aetate, irrogata fuerant. Perspiciunt scilicet, ex depressa saepius sacrorum Antistitum auctoritate, et ex crescente in dies multorum contumacia in divinis et ecclesiasticis praeceptis impune violandis, factum fuisse, ut minueretur pariter populi obsequium erga civilem potestatem, et hodiernis publicae tranquillitatis inimicis planior inde pateret via ad seditiones contra Principem commovendas. Perspiciunt etiam, ex occupatis non raro direptisque, ac palam divenditis temporalibus bonis ad Ecclesiam legitimo proprietatis iure spectantibus, contigisse, ut decrescente in populis reverentia erga proprietates religionis destinatione consecratas, multi hinc faciliores praeberent aures audacissimi novi *Socialismi* et *Communismi* assertoribus, qui alias paritèr aliorum proprietates occupari ac dispertiri aut alia quavis ratione in omnium usum converti posse comminiscuntur. Perspiciunt insuper recidisse paullatim in civilem potestatem impedimenta illa, quae iamdiu multiplici fraude comparata fuerant ad cohibendos Ecclesiae pastores, ne sacra sua auctoritate uti libere possent. Perspiciunt denique calamitatum, quibus urgemur, nullum aliud inveniri posse promptius et maioris virtutis remedium, quam ut refloreat in tota Italia splendor religionis Ecclesiaeque catholicae, in qua diversis hominum conditionibus et indigentiis opportunissima praesto esse praesidia, non est dubium.

25. Siquidem (verbis utimur S. Augustini) catholica Ecclesia non solum ipsum Deum, sed etiam proximi dilectionem atque caritatem ita complectitur, ut omnium morborum, quibus pro peccatis suis animae aegrotant, omnis apud illam medicina praepolleat. Ipsa pueriliter pueros, fortiter iuvenes, quiete senes, prout cuiusque non corporis tantum, sed et animi aetas est, exercet ac docet. Ipsa feminas viris suis non ad explendam libidinem, sed ad propagandam sobolem et ad rei familiaris societatem casta et fideli obedientia subiicit; et viros coniugibus non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceri amoris legibus praeficit. Ipsa parentibus filios libera quadam servitute subiun-

git, parentes filiis pia dominatione praeponit. Ipsa fratribus fratres religionis vinculo firmiore atque arctiore quam sanguinis, nectit, omnemque generis propinquitatem et affinitatis necessitudinem, servatis naturae voluntatisque nexibus, mutua caritate constringit. Ipsa dominis servos non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione docet adhaerere; et dominos servis, summi Dei communis Domini consideratione placabiles, et ad consulendum magis, quam coercendum propensiores facit. Ipsa cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines primorum parentum recordatione non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungit. Docet reges prospicere populis, monet populos se subdere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus exhortatio, quibus disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium, sedulo docet, ostendens quemadmodum et non omnibus omnia, et omnibus caritas, et nulli debeatur iniuria (1).

26. Nostrum igitur Vestrumque est, Venerabiles Fratres, ut nulli parcentes labori, nulla unquam difficultate deterriti, toto pastoralis studii robore tueamur in Italis populis cultum catholicae religionis, et non solum obsistamus alacriter impiorum conatibus, qui Italiam ipsam ab Ecclesiae sinu avellere commoliuntur, sed etiam degeneres illos Italiae filios, qui iam eorumdem artibus seduci se passi fuerint, ad salutis viam revocare annitamur.

Verumtamen cum omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum descendat, adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Venerabiles Fratres, et caelestem luminum et misericordiarum Patrem publicis privatisque precibus orare suppliciter atque obsecrare non intermittamus, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini nostri Iesu Christi, avertens faciem suam a peccatis nostris, omnium mentes et corda virtute gratiae suae propitius illustret, ac rebelles quoque ad se compellens voluntates, Ecclesiam sanctam novis victoriis et triumphis amplificet; quo in tota Italia, immo et ubique terrarum, merito pariter ac numero populus ei serviens augeatur. Invocemus etiam Sanctissimam Dei

(1) S. Augustinus, de moribus cathol. Ecclesiae lib. I.

Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae praevalido apud Deum patrocinio suo quod quaerit invenit, et frustrari non potest, atque una Petrum Apostolorum Principem, et Coapostolum eius Paulum, omnesque sanctos Caelites, ut clementissimus Dominus, eorum intervenientibus precibus, flagella iracundiae suae a fidelibus populis avertat; et cunctis, qui christiana professione censentur, tribuat propitius per gratiam suam et illa respuere, quae huic inimica sunt nomini, et ea, quae sunt apta, sectari.

Demum, Venerabiles Fratres, Nostrae in Vos studiosissimae voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu, Vobis ipsis, et clericis laicisque fidelibus vigilantiae Vestrae concreditis peramanter impertimur.

Datum Neapoli in Suburbano Portici die VIII. Decembris anni 1849. Pontificatus Nostri anno IV.

XXXVI.

Bened. XIV. Literae Apostolicae Etsi minime, *de doctrina christiana populis tradenda: qua ratione et methodo fidelium indigentiae hac in re consulendum sit.*

(Ad pag. 432. et 436. vol. I.)

Summarium. 1. Pontificis cura super fidelium instructione. Aliqua mysteria fidei explicite credenda de necessitate medii, aliqua de necessitate praecepti. Tenenda quoque morum disciplina. – 2. Episcoporum officium quoad doctrinam christianam, et quatenus extendatur. – 3. Exempla sanctorum Episcoporum. – 4. Inferiorum pastorum opera ab Episcopis dirigenda. – 5. Parochorum munus duplex praedicandi et catechizandi. – 6. Eorum labor ab aliis de clero sublevandus. – 7. Item a puerorum ac puellarum magistris, necnon a patribusfamilias, et ab aliis laicis viris et mulieribus, et a piis sodalitiis in hunc finem erectis. – 8. Christiana institutio omni aetati necessaria. – 9. Quid agendum cum pueris. – 10. Quid cum adolescentibus, qui ad Ordines promoveri cupiunt. – 11. Quid cum iis, qui matrimonio iungendi sunt. – 12. Ignorantibus quae scire oportet necessitate medii, deneganda est absolutio. Quid agendum cum ignorantibus quae scienda sunt necessitate praecepti. – 13. Impedimenta, quae obiiciuntur. – 14. In aliquibus ecclesiis ruralibus non permittenda Missae celebratio, nisi post Missam parochialem. In aliis iniungendum est presbyteris non curatis, ut populum instruant. – 15. In civitatibus praescribenda est ratio celebrandi festivitates in ecclesiis non parochialibus. –

16. Visitatores per civitates et dioeceses deputandi. – 17. Commendatur liber Card. Bellarmini de doctrina christiana; et generaliter uniformitas in methodo et ratione docendi. – 18. Actus fidei, spei et charitatis populo tradendi, et publice in ecclesiis frequentandi. – 19. Adhortatio Pontificis ad Episcopos cum mentione instructionum parochialium ab ipso editarum.

Etsi minime Nobis dubitandum sit, omnes, quibus animarum cura credita est, vosque praesertim, venerabiles Fratres, ad Apostolatus officium evectos, atque in Praelationis fastigio a Deo constitutos, in id potissimum sollicitudinem intendere, ut christianus populus coelestis doctrinae pabulo enutritus, et rudimentis fidei saluberrime instructus, in semitam mandatorum Domini, facem vobis praeferentibus, feliciter dirigatur: temperare tamen non possumus, quin vos ipsos Nostrae auctoritatis, ac paternae dilectionis stimulis excitemus ad tam pium, tamque salutare opus doctrinae christianae impensiori cura provehendum, sublatis iis impedimentis, quae animarum saluti adversantur.

1. Quia vero scientibus legem loquimur, et vigiles ecclesiarum hortamur Antistites, quibus nec pietatis, nec alia sacrarum literarum desunt praesidia supervacaneum ducimus, plurimis urgere argumentis, non satis esse ad coelestem beatitudinem assequendam, confusim et involute credere a Deo revelata, et ab Ecclesia catholica proposita mysteria, sed hanc coelestem doctrinam divinitus traditam, et quae ex auditu concipitur, doctoris legitimi ac fidelis ministerio ita esse accipiendam, ut singillatim illius capita explicentur, et eorum aliqua necessitate *medii*, aliqua vero necessitate *praecepti* fidelibus ad credendum proponantur: praeterea, licet per fidem iustificari dicamur, cum ea sit humanae salutis initium et fundamentum, ad futuram tamen, quam inquirimus, civitatem ut pervenire aliquando mereamur, satis compertum est, solam fidem non sufficere, sed viam nosse, constanterque tenere oportere, nempe praecepta Dei et Ecclesiae, tum virtutes, quas persequi, tum vitia, quae studiose declinare debemus.

2. Quae quidem omnia cum primis catholicae fidei rudimentis, sive *doctrina*, ut aiunt, *christiana*, contineantur, episcopalis muneris exigit ratio, ut illa in singulis dioecesibus, et ubique locorum recte, atque ex ordine explicetur; nec posse Episcopos sine tacito conscientiae convicio illam negligere, sed in hoc opus

maxime necessarium omnem curam et diligentiam conferre debere. Id tamen oneris non ita Episcopo impositum esse intelligimus, ut ipse per se doctrinae christianae semper intersit, pueros interroget, et mysteria fidei, quam profitemur, aperiat: nimium quippe novimus, in pastoralis sollicitudinis munere praegravari Apostolicae servitutis sarcinam, ac plane intelleximus, cum Anconitanam primum, tum deinde Bononiensem ecclesiam regeremus, multis variisque curarum veluti fluctibus iactari Praesulem suo satis muneri facere cupientem. Id vero futurum affirmamus, ut si Episcopus, alieno etiam a visitatione dioecesis tempore, quandoque adsit ubi doctrina traditur christiano homine digna, pueros puellasque de rebus antea auditis sciscitetur, ac mysteria nostrae religionis evolvat et annuntiet; pastoris operam in maximam crediti sibi gregis utilitatem cessuram, eiusdemque exemplum alios excitaturum ad vineam Domini Sabaoth pro viribus excolendam.

3. Hanc administrandae Ecclesiae quasi legem sibi duxerunt nedum veteres, sed recentiores etiam Praesules, beatorum civium albo adscripti, Carolus nempe Borromaeus, Franciscus Salesius, Turribius, Alexander Sauli, quorum aliqui, (ut literis consignatum est) cum gravioribus distenti atque impediti curis, adesse coram non possent, operae ac diligentiae suae vicarium aliquem ex canonicis, aut ex sacerdotibus designabant, qui, susceptis pastoralis ministerii partibus, adolescentulos ad omnia religionis officia fidei elementis informarent.

4. Optimum ergo, et ad profectum animarum maxime accommodatum erit Antistitis exemplum, si, quod antea dictum est, id omni tempore, praesertim vero dum obit dioecesim, in singulis paroeciis impleverit. Sed ut quisque facile coniiciet, ad hoc vires eius non suppetunt: ideoque ut propositum assequatur, necesse est, ut diligentia, quanta potest maxima, curet, ne in aliis, quos tam laudabilis, tamque fructuosi operis vicarios constituit, studium ac sedulitas desideretur.

5. Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermonem ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent. Si statis diebus eam parochi concionem habebunt, quae non persuasibilibus humanae sapientiae verbis obstrepat auribus, sed

captui auditorum accommodata in eorum animos ostensione spiritus illabatur; si mysterium aliquod annuntiabunt, in primis vero, quod eo tempore Ecclesia recolit, ea disserentes, quae ad virtutem incitamento sint, et ad vitia fugienda, graviora praesertim, et quae foedius grassantur in populo; si diebus (hoc enim pariter debent suo muneri) pueros tamquam infantes modo genitos, nutriant doctrinae lacte, nunc illos interrogando, dubia atque involuta explicando; si demum cum Apostolo attendant lectioni, exhortationi et doctrinae, ut perfectus sit homo Dei, et ad omne opus bonum instructus: fas est credere, exitum optatis respondere posse, et populum acceptabilem sectatorem bonorum operum facile exstiturum.

6. Verum satis experientia compertum est, imparem esse solius parochi laborem; cum nequeat unus omnes instruere, ubi doctoris diligentiam numerus vincit. Quoties tamen Episcopus toto animo ac studio in ecclesiam sibi commissam incumbat, nunquam necessariis et opportunis destituetur auxiliis. Semper enim invenias, qui tonsura initiari, qui per minorum, qui per sacrorum Ordinum gradus ad sacerdotii fastigium promoveri, qui denique ad ecclesiastica beneficia viam sibi munire studeant. Gravissimis idcirco verbis (et verbis facta respondeant) affirmet Episcopus, nunquam se facturum, ut tonsura inauguret grandiores aetate, aut minores, praesertim vero maiores Ordines iis conferat, qui in tradenda christiana doctrina operam suam parochis commodare neglexerint. Hunc porro clericorum numerum idem Episcopus in singulas suae civitatis et dioecesis parochias apte distribuat, et eorum aliquos determinatae ecclesiae adscribat. Denuntiet praeterea ac fidem praestet, in conferendo parochiarum, et aliorum beneficiorum iure, plurimum apud se ponderis et momenti habiturum studium et diligentiam in hoc opus a clericis collatam: atque in re ipsa constabit, non rectori tantum impositum esse docendi munus, sed plures illi praesto esse, ut omnes officii sui numeros cumulate implere possit.

7. His accedit, sacris Apostolicis Constitutionibus, et septima praesertim fel. rec. Leonis X. Praedecessoris Nostri edita in Concilio Lateranensi, saluberrime cautum fuisse, ut tam ludimagistri discipulos suos, quam piae foeminae puellas instituentes sana et incorrupta doctrina, (Episcopo id potissimum urgente) tamquam pabulo vitae nutriant et confirment. Constat

etiam, ipsum Episcopum posse ac debere sacris oratoribus quam diligentissime commendare, ut pro concione in parentum aures animosque ingerant, sua interesse, mysteriis nostrae religionis susceptam prolem imbuere: et si ad id minus idonei fuerint, filios in ecclesiam adduci oportere, in qua divinae legis praecepta explicantur. Pluribus itidem in locis pia ac laudabilis, et ubi non sit recepta, inducenda consuetudo invaluit, ut parocho idem munus persequenti auxilium ferant laici tum viri, tum mulieres, in christiana institutione veluti adiutricem operam navantes, qui audiunt pueros ac puellas orationem Dominicam, Angelicam Salutationem, Symbolum Apostolorum, aliaque id genus memoriter pronuntiantes. Alibi quoque sodalitia erecta sunt, quorum cura in explicanda christianae religionis disciplina versatur, et quorum institutum nedum meritis laudibus cumulat san. mem. Pius V. in sua Constitutione, quae incipit *Ex debito;* sed in omnibus etiam dioecesibus propagari enixe exposcit. Quae quidem omnia in unum collecta si sedulo perpendantur, certum omnibus atque exploratum erit, ubi multa sit messis, paucos nequaquam esse operarios, nec eos deesse, qui parvulis panem petentibus frangant.

8. Sed quia compertum est, non solum adolescentulos, illosque qui confirmata sunt iam aetate, in divinarum rerum ignoratione versari, sed etiam viros, ipsosque senes salutaris doctrinae esse omnino expertes, vel quia nunquam illam perceperunt, vel quia iamdiu perceptam paulatim delevit oblivio: huic etiam malo provida Episcoporum occurret vigilantia, si operis sui vicarios cogent, quae parata sunt, remedia sedulo adhibere.

9. Ut autem ab iis, qui in prima sunt aetate, sermo instituatur, ad sacram Eucharistiam et Confirmationem admitti plures postulant: pauci enim enixam hanc voluntatem, ac fere impatiens studium non praeseferunt. Moneat igitur Episcopus parochos, eisque districte praecipiat, ne quis eorum sacrum Eucharistiae Sacramentum administret, et *schedulam*, ut aiunt, Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei et doctrinae capita, et Sacramenti virtutem et vim ignorent; vel quia parum in hoc tyrocinio profecerint, vel quia ea neglexerint audire, quae ad huiusmodi Sacramenta pie riteque suscipienda statis temporibus tradita sunt. Hoc sane pacto primae aetati satis videri potest consultum.

10. Si vero loquamur de adolescentia, quoniam unusquisque proprium donum habet ex Deo, usu satis constat, alios ecclesiasticae, alios vero saecularis vitae rationem inire. De primo hominum genere verba iam fecimus, cum de iis ageremus, qui Ordinibus initiari volunt. Id unum addi posse videtur, rem fore magni commodi, multaeque utilitatis plenam, si qui se sistunt examini, eos Praesul potissimum interroget de iis, quibus christiani hominis scientia continetur. Etenim magistra rerum experientia edocuit, ex his aliquos, tametsi latini sermonis nitore et elegantia excultos, in scientiarum curriculo liberaliter institutos, et quae ad Ordines pertinent, apprime callentes, de doctrina tamen christiana percunctanti parum aut nihil apposite respondere.

11. Si autem ad eos, qui in saeculo degunt, mentis aciem convertimus, palam fit, illos ut plurimum sacri coniugii foedera inire. Verum cum matrimonio iungendi non sint, si parochus, ut debet, prius interrogando deprehenderit, marem seu foeminam, quae ad salutem necessaria sunt, ignorare; vix tantae ac tam luctuosae ignorantiae locum relinquet Episcopus, qui pastores animarum admonet officii sui, et huic si desint, negligentiae repetat poenas.

12. Omnes denique omnium aetatum atque ordinum homines solent identidem sordes animae Poenitentiae Sacramento detergere. Curabit itaque Episcopus, ut sacerdos excipiens confessiones fixum illud immotumque animo semper habeat, invalidam esse absolutionem sacramentalem, quam quis ignoranti res necessarias necessitate *medii* impertitur, nec posse homines Deo per huiusmodi Sacramentum reconciliari, nisi prius excussa huius ignorantiae caligine ad agnitionem fidei educantur. Sedulo etiam animadvertet confessarius, in aliud tempus reiiciendam esse absolutionem illius, qui necessaria necessitate *praecepti* suo vitio nescit, et eo quandoque casu poenitentem absolvi posse, quo se vincibilis huius ignorantiae reum agnoscat et accuset, ac intime dolens, tum a Deo veniam precetur, tum confessario serio promittat, operam se impense daturum, qua divinae gratiae praesidio discat etiam necessaria necessitate *praecepti*.

13. Hanc profecto christiani populi instituendi rationem si pastores sibi proposuerint, si eorum consilia, labores et studia ad propositam methodum duxerint referenda, sperare fas est, fide et opere gregem ita in dies profecturum, ut coaedificetur

in habitaculum Dei in Spiritu sancto. At vero cum maximi momenti ea res sit, nullaque alia ad Dei gloriam, et ad animarum salutem utilius instituta, mirari nemo debet, quod plurima passim obiiciantur impedimenta.

14. Sitae quandoque sunt in agro parvae humilesque ecclesiae, aliae parochiali proximae, aliae vero longo intervallo disiunctae, ad quas diebus festis patresfamilias una cum liberis accedunt, sacerdotem sacris operantem audituri; ex quo fit, ut suae parochiae nunquam fere intersint, nec ullum de mysteriis fidei, de praeceptis, de Sacramentis verbum accipiant. Episcopus huic malo occurret, suamque obiiciet auctoritatem. Et primo quidem, quoad parvas ecclesias parochiali proximas, expressa lege caveatur, ne quis antea sacrificium faciat, quam parochus Missam celebraverit, sermonem habuerit, ceterasque sui muneris partes absolverit. Hoc enim pacto ecclesia parochialis confluentium parochianorum numero celebrabitur. Quo vero ad parvas ecclesias a parochiali longe sepositas, cum difficile admodum sit, parochianos ob locorum distantiam, longum iter atque asperum, hiemali praesertim tempore, cum pluviae inundant, parochialem adire, ibique divinis officiis interesse, relicta ecclesia proximiore, decernat Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod sacerdotes ibi operantes christianae doctrinae summam populo tradant, divinamque legem annuntient. Monendus tamen est parochus, ne alienae operae nimium tribuat, sed videat ipse, quo loco res sint, cum pueri Sacramentum Eucharistiae et Confirmationis alii vero Matrimonii sibi administrari exposcant.

15. Praeterea sua etiam urbes habent impedimenta. Saepe enim contingit, in aliis ecclesiis, ac praesertim Regularium, solemni ritu, magnaque populi frequentia, festum aliquem diem celebrari: ideoque si in ecclesia parochiali, summo mane, aut statim a prandio catechismus habeatur, aut nemo, aut pauci admodum sunt, qui eidem catechismo intersint, quique praescriptas horas non causentur. Sin vero captentur horae civitatis commodo magis appositae, usu compertum est, populum ad ecclesiam confluere, in qua festus dies agitur, et celebritate pompae illectum, doctrinam christianam non sine gravi animae detrimento deserere. In hoc articulo quia certa et communis regula praescribi non potest, id totum relictum esse volumus prudentiae vigilis ecclesiae Antistitis, qui attenta loci, temporis,

personarum qualitate, expensisque rerum omnium momentis, ita studeat solemnis diei celebritatem cum doctrina christiana componere, ne alteri altera sit impedimento. Quod si Regulares et exempti contradixerint, et sanctum hoc doctrinae opus, licet ab Episcopis prius admoniti, suis functionibus perturbare praesumpserint, Nostram locorum Ordinariis auctoritatem, qua potimur in exemptos, pollicemur; nec alia Pontificiae vigilantiae deerunt remedia, ne parochiales ecclesiae debitis fraudentur obsequiis.

16. Plurimum quoque ad christiani populi institutionem conferre poterit, si visitatores eligantur, quorum alii civitatem, alii dioecesim lustrantes, omnia sedulo inquirant, ut certior factus Episcopus, pro meritis cuiusque pastoris, aut praemia decernat, aut poenas.

17. Clementis Papae VIII. aliorumque Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, hortamur in Domino et enixe commendamus, in doctrina christiana tradenda adhibere libellum de Clementis eiusdem mandato a Cardinali Bellarmino conscriptum, mox in deputata Congregatione diligenter examinatum et approbatum; ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi iussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo et discendo christianam doctrinam ab omnibus teneretur. Nihil hac uniformitate optabilius; nihil ad praecavendos, qui in multiplicem catechismorum varietatem irrepere possent, errores, conducibilius atque opportunius. Sicubi vero contingat, ob peculiares regionum necessitates, alium quempiam adhiberi forte libellum, sedulo invigilandum erit, ne quid ille contineat, ne quid in eum unquam inducatur a catholica veritate absonum. Curandum insuper, ut in eo fidei dogmata clare et dilucide sint explicata, additis, si quae desunt, necessariis, ac sublatis, quae redundant. Brevis enim et univoca docendi methodus multum prodesse solet ad faciliorem interrogationem, cum quis periculum facit progressus puerorum.

18. Complectatur liber huiusmodi etiam fidei, spei et charitatis actus, quos recte scienterque compositos esse debere, minime dubitandum. Sed si aliter se res habeat, castigati emendato praelo donentur. Actus praedicti paucis potius, quam multis verbis efferri gaudent; dum illis tamen tota vis et natura virtutis explicetur. Et quia christanam religionem profitenti maxima necessaria est consuetudo et exercitatio saepius eliciendi dictos

actus, idcirco ne illorum usus circumscribatur angustis finibus, et exiguo numero a quibusdam singulis annis praefinito; Episcopus suae non minus, quam alienae salutis studiosus, provide statuat, ut in parochiis tum urbis, tum dioecesis rectores animarum, post Missam festo die celebratam, statim ante aram provoluti, clara et intelligibili voce dictos virtutum actus eliciant, et praeire satagant populo, verba ab ipsis prolata devote reddituro. Hoc enim pacto fideles sensim illos memoriae mandabunt, et assuescent, nedum festis, sed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione versari.

19. Saluberrimas has erudiendi gregis rationes, quas Vobis, Venerabiles Fratres, per haec Apostolica scripta notas esse volumus, quisque Vestrum facile intelliget, consonas esse *Monitis Nostris pastoralibus* praelo iam demandatis, cum sponsam Nostram Bononiensem ecclesiam paterna charitate cominus amplecteremur: illasque praeterea ex Pontificiis Constitutionibus haustas esse, et spectabilium Antistitum testimonio, et exemplo comprobatas. Quia vero maximam inde utilitatem proficisci experimento cognovimus; quo maiori possumus studio vos hortamur et admonemus, ac per viscera misericordiae Dei Nostri enixe obtestamur, ut pro iniuncto Vobis pastoralis ministerii debito praemissorum exsecutioni strenuo constantique animo incumbatis: sedulo recogitantes, quidquid laboris, studii ac vigilantiae in hunc scopum collatum fuerit, Deum omnium bonorum datorem uberi mercede retributurum, et Apostolicam benedictionem ex animo Vobis impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die VII. Febr. 1742. Pontificatus Nostri anno secundo.

XXXVII.

Pii PP. IX. Literae encyclicae Amantissimi, *super obligatione applicandi Missam pro populo diebus festis reductis.*

(Ad pag. 441. et 445. vol. I.)

Summarium. 1. Quanta sit divini Sacrificii sanctitas, utilitas et excellentia indicatur. – 2. Itaque S. Mater Ecclesia omnem semper curam adhibuit, ut tantum Sacrificium debita cum reverentia a sacerdotibus celebretur, et a fidelibus omni cum veneratione excolatur. – 3. Ex Conc.

Tridentino, et Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas* singuli animarum pastores pro populo Missam festis diebus applicare tenentur. – 4. Ex relationibus Episcoporum de statu dioeceseon agnoscit Pontifex, animarum curatores diligentes sese praebere in applicanda Missa pro populo diebus adhucdum servatis, parem vero diligentiam non ubique poni in diebus a festorum albo dispunctis. – 5. De sententia Sacra Congreg. Conc. declarat Pontifex, omnes animarum curatores ad Missam pro populo applicandam teneri omnibus diebus inter festos ab Urbano VIII. recensitis, licet e festorum indice deletis. Si festum translatum fuerit in diem Dominicum, unam tantum applicare Missam satis est. – 6. Qui ex consuetudine Missam diebus reductis applicare omiserunt, absolvuntur; qui vero indultum consecuti sunt, usque dum exspirabit, eo uti possunt. – 7. Confidit Pontifex, illud fore, ut cuncti parochi huiusmodi obligationi satis omni cum diligentia facturi sint. Si casus occurrent alicuius forsitan indulgendae remissionis, S. C. Conc. parochi singulatim adeant, vel S. C. de Prop. Fide, si ab hac pendeant. – 8. Persuasum habet Pontifex, Episcopos daturos esse operam, ut huiusmodi mandata a parochis sibi subiectis religiosae exsecutioni demandentur. – 9. Insuper non dubitat, eosdem curaturos esse, ut fideles maiori in dies pietate ad Missae sacrificium frequentes accedant, atque sacerdotes ea praefulgeant innocentia vitae, quam tanti operis maiestas expostulat. – 10. Suam Episcopis Pontifex benevolentiam ac studium declarat. – 11. Insimul paratum se praebet spiritualibus eorum dioeceseon utilitatibus procurandis, cuius in rei pignus Apostolicam impertitur benedictionem.

1. Amantissimi Redemptoris Nostri Christi Iesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et charitas, ut, veluti optime nostis, venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui Corporis, Sanguinisque Sacramento Nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in coelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni ac plane divina dilexisse charitate, beneficia beneficiis cumulans, suique in Nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suum in catholica Ecclesia sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem sacrificium quod ipse ad universum humanum genus a peccati iugo, ac daemonis captivitate

vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo Sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in coelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri ac renovari iussit per sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae Passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens « illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis iam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur (1).» Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit (2). Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis immaculatae sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus « pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur et universim pro omnibus, qui opis indigent et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adiumentum illis animabus fore,

(1) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4. c. 58.
(2) Malach. c. 1.

pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram iacet victima (1). »

2. Cum igitur nihil sit maius, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem Corpus, idem Deus et Dominus Noster Iesus Christus Deo pro omnium salute in altari per sacerdotes offertur et immolatur, idcirco sancta Mater Ecclesia tanto divino sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiori cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et maiestas vel externa quoque specie magis eluceat et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando sacrificio occultae continentur, contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine studioque ipsa sapientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

3. Iamvero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et huiusmodi obligationem ex divino praecepto descendere iuxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis gravissimisque verbis edoceat, « praecepto » divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura com» missa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre (2).» Notissimae quoque vobis sunt fel. rec. Benedicti XIV. Decessoris Nostri Literae diei 19. Augusti anni 1744. datae, quibus de hac obligatione copiose sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes contro-

(1) S. Cyril. Hierosol. Cateches. 23. Mistag. 5. de sacra Liturg.
(2) Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. de ref.

versias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de sacro audiendo satisfacere deberent (1).

4. Non mediocri certe iucunditate perfundimur, venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum dioecesium statu summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nos, et hanc Apostolicam Sedem, veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores huiusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis iamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi iuxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII. Decessoris pariter Nostri (2), et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere, qui eiusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex huiusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos ma-

(1) Bened. XIV. lit. encycl. « Cum semper oblatas » die 19. Augusti 1744.
(2) Urban. VIII. Constit. « Universa per orbem » Idib. Sept. 1642.

ximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis sacrorum Antistitum petitionibus ac variis pluribusque populorum indigentiis, et gravibus rerum, temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia ea prorsus modo peragerentur, quo antea peragi solebant, cum enuntiata Urbani VIII. Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia Rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de huiusmodi parochorum onere consulta, haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei Propagandae, sive Sacr. Rituum, sive etiam per Sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

5. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in Concilium adhibitis nonnullis venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congreg. Tridentinis decretis tuendis interpretandisque praepositae, hanc vobis, venerabiles Fratres, encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quamobrem hisce Literis declaramus, statuimus atque decernimus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc ser-

vantur, tum illis etiam, qui ex huius Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipimus, ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

6. Nunc vero paterni animi Nostri charitate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi huiusce indulti beneficio perfrui pergant iuxta tamen conditiones in indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

7. Dum autem haec statuimus et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, venerabiles Fratres, ut parochi maiore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam coelestium praesertim munerum ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti divinique sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua huius obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad huiusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione Fidei Propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

8. Nihil plane dubitamus, venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestra-

rum dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis, quae in hisce Nostris Literis de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant ac studiose observent, quae a Nobis in hisce Literis statuta atque sancita sunt. Optamus autem, ut harum Literarum exemplar in tabulario episcopalis cuiusque vestrum curiae perpetuo asservetur.

9. Cum autem, ven. Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim aliosque divini verbi praecones et eos, quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere et hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant et explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea, qua par est, fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis omnem operam et industriam impendere, ut vestrarum dioecesium sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum tamque tremendum perficere sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium, quod acceperunt a Domino, illud impleant, et continenter memores dignitatis ac coelestis potestatis, qua praediti sunt, virtutum omnium splendore ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Iesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

10. Denique nihil Nobis gratius, venerabiles Fratres, quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur et confirmemus prae-

cipuam, qua vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul vobis addamus animos, ut maiore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

11. Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad maiorem vestram ac dioecesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero coelestium omnium munerum auspicem ac studiosissimae Nostrae in vos voluntatis testem accipite Apostolicam benedictionem, quam intimo cordis affectu vobis ipsis, venerabiles Fratres, cunctisque clericis laicisque fidelibus cuiusque vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 3. Maii anno 1858. Pontificatus Nostri anno duodecimo.

XXXVIII.

Bened. XIV. Lit. Apost. Declarasti, *quibus amplissime declaratur, utrum et quando Missam uno eodemque die iterare liceat.*

(Ad pag. 464. vol. I.)

Summarium. 1. Dubium ab Episcopo Oscen. Sanctitati Suae propositum. Decretum synodale Episcopi. – 2. Sententia Doctorum in hac materia. – 3. Decretum Synodi Limanae. – 4. Quando iuxta decretum parocho liceat duas Missas eadem die celebrare. – 5. Confirmatur sententia ex aliis Conciliis. – 6. Et ex sententia aliorum doctorum. Id vulgo permittitur die Natali D. N. I. C. – 7. Examinantur Decreta Pontificum nempe Alexandri II. – 8. et Innoc. III. – 9. et Honorii III. – 10. Casus decretalis huius Pontificis de Episcopis, qui habent duas cathedrales. – 11. Causa utilitatis non sufficit, ut bis in die celebretur, neque sufficit paupertas et ecclesiae inopia. – 12. Expenduntur parochorum rationes eaedemque reiiciuntur. Quid de consuetudine dicendum sit.

1. Declarasti Nobis, in sacra Visitatione, qua dioecesim tuam perlustrasti, te deprehendisse nonnullos rectores ecclesiarum parochialium, quibus alia quoque ecclesia a parochiali longe seiuncta commendata est, quam ob exiguos proventus alii sacerdoti committere nequeunt, qui prorectoris munus sustineat: hinc fieri, ut rectores ipsi rem divinam in utraque ecclesia festis diebus

conficere non dubitent, ut populus uterque parere possit Ecclesiae praecipienti fidelibus, ut festis diebus Missae sacrificio intersint. Nobis etiam exposuisti, decrevisse in tua Synodo, id minime licere rectoribus ecclesiarum parochialium, quoties alius sacerdos praesto sit, qui sacrum facere possit in una ex iis ecclesiis, quae rectoribus subiiciuntur, id autem attulisse tam gravem rectoribus ipsis molestiam, ut synodalis decreti exsecutionem parumper differre censueris, donec sententiam in hac re Nostram Nostramque voluntatem intelligeres. Quamobrem prudentiam tuam in primis commendamus, totiusque Hispaniae gentis in hanc Sedem Apostolicam observantiam, ob quam, si forte aliquid incerti dubiique contigerit, ad Romanum Pontificem confugere, consiliumque ad explicandas difficultates deposcere consuevit. Deinde tuae Synodi decretum aequitati ac disciplinae Ecclesiae maxime consentaneum esse respondemus; ita ut demandari exsecutioni debeat, nec vanis omnino rectorum querimoniis imminui vel labefactari.

2. Quamvis nonnulli ex theologis moralibus (et quidem nimis indulgenter) plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eodem die sacrificium Missae bis offerre posse videatur, quemadmodum facile videri potest *3. Summae* sancti Antonini *Tit. 3. cap. 6. num. 5.*, item *Lib. 3. Summae* sancti Raymundi *tit. 24.*, et in *Summa* Hostiensis *ad tit. de celebratione Missarum num. 14. et seqq.* et in *Summa* Sylvestrina *in verb. Missa prima* §. *Septimo quaeritur*, et in *Summa* Armilla *in verb. Missa n. 15.*; id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam: tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant eiusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfaciat. Et Suarez *in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. 73. art. 2. disput. 80. sect. 3.* de hac hypothesi loquens, inquit, in ea tantum hodie licere duas Missas eodem die celebrare: *Casus de pluribus parochiis est proprius ac fere solus in usu.* At vero si in altera ex his parochiis sacerdos aliquis deprehendatur, qui rem divinam facere possit, tum illarum rectori nequaquam licet in utroque loco Sacrificium iterare, eo quod alterius sacerdotis opera populi necessitati satis consulatur. Ita probant unanimes Pasqualigus

de sacrificio Missae tom. 1. quaest. 381. n. 2., Vericellus *de Apostolicis missionibus tit. 1. de Privilegiis Regularium dub. 18. §. 31. num. 201.*, Giribaldus *de Sacramentis tract. 5. cap. 7. dub. 2. n. 15.*, Rotarius *in Theologia morali Regularium tom. 3. cap. 2. punct. 11. num. 5.*, Tournelius *in Praelectionibus theologicis, de Sacramento Eucharistiae part. 2.* iuxta Parisiensem editionem *pag. 346.*, Schmalzgrueberius *tit. de celebratione Missarum n. 41.* Quod si scriptores isti vestras in manus nondum pervenerint, aliorum testimoniis rem plane cognoscetis, nempe Cardinalis Zabarellae *in cap.* Consultis, *n. 3. de celebratione Missarum*, ubi haec habentur: *Si est alius, qui celebrare possit, non celebrabit sacerdos alia vice, dummodo ille alius sit paratus celebrare, et sit ieiunus;* Petri de Ancharano *in commentariis ad eumdem textum n. 1.: Intellige, si non sit alius ibi paratus ad celebrandum, et ille sit ieiunus;* Cardinalis Toleti *in Summa lib. 2. cap. 3. n. 4.;* Layman *in Theolog. morali lib. 5. tract. 5. cap. 4. num. 6.;* Salmanticensium *Theolog. moral. tom. 1. tract. 5. de Sacrificio Missae cap. 5. punct. 1. n. 12.* iuxta quartam editionem, quae Matriti facta est anno 1717.; Gavanti *ad rubricas Missalis part. 3. tit. 12. num. 7.*

3. At supervacaneum est, plures auctoritates praestantium virorum congerere, cum id satis superque constet ex septima Synodo dioecesana, quam sanctus Turribius anno 1592. celebravit, *cap. 3. tom. 4.* Conciliorum Hispanorum, quae simul collegit vir eximius inter Hispanos, Cardinalis de Aguirre *pag. 687.* Porro haec sunt verba: *Iuxta dispositionem Concilii Provincialis celebrati in hac civitate anno 1567., quantum convenit, et per locum iuris possumus, licentiam concedimus omnibus Indorum, Hispanorumque parochis Nostri districtus, ut diebus Dominicis et festivis ex praecepto servandis, possint celebrare duas Missas in duabus ecclesiis tam inter se distantibus, ut qui in loco unius ecclesiae assistunt, non possint commode accedere ad audiendam Missam in altera.*

4. Ex his apertissime deprehenditur, concedi parocho, qui duas ecclesias distantibus omnino locis positas habeat, bis sacrificium Missae instituere, ne diebus festis Ecclesiae praeceptum a populo violetur; ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit, uti Nos inferius explicabimus. Ex verbis autem depromptis ex eodem capite tertio Limanae Sy-

nodi, quae mox subiicimus, certi limites eidem parocho statuuntur, ipsique praescribitur, ut uno tantum loco sacrum conficiat, si in altero sacerdos occurrat, qui populo rem divinam operari possit: *Cum autem habuerit alium sacerdotem, qui possit celebrare in altera dictarum ecclesiarum, non poterit parochus celebrare in utraque, sed unam Missam tantum in una, quandoquidem alter sacerdos possit satisfacere necessitati alterius populi.*

Non ignoramus, auctoritatem Limanae Synodi suae dioecesis finibus solum concludi. At, cum sanctus Turribius regendae ecclesiae peritissimus, et virtutum omnium gloria clarissimus semper habitus sit, ipsius legibus ac dioecesanis institutis eam saltem fidem atque auctoritatem vimque, ut aiunt, directivam adhibendam et adscribendam nemo inficiabitur, quam Itali omnes, aliique extra Italiam S. Caroli Borromaei Synodis omni tempore praestiterunt: neque in dubium quis revocare poterit, sanctum Turribium, virum adeo singularem (pro cuius Canonizatione, cum Promotoris fidei munus adhuc in minoribus gereremus, plurimum laboris impendimus) conferre plurimum, ut, si propositae rei examen instituamus, illius sententia reliquis anteponatur; laetandum idcirco Nobis iure merito videmur, qui commentarium *de Sacrificio Missae* in lucem proferentes, Italico sermone a Nobis conscriptum, cum Bononiensem Sedem administraremus, idem plane afferimus, quod pro illustranda praesenti quaestione superius attulimus, et opinionem Nostram auctoritate confirmavimus eiusdem Synodi sancti Turribii, uti liquido constat ex Nostro commentario, quod commemoravimus *tom. 2. p. IV. sect. 2. n. 38. et seqq.* et praecipue *num. 40.*, quod quidem primo Bononiae typis evulgatum fuit, ac nuper latine redditum, ac typis impressum Patavii lucem publicam rursus aspexit.

5. Quodsi Limanae Synodo alia quoque Concilia adiungi velint, illud in medium proferri poterit, quod sub Mauritio Archiepiscopo Rothomagensi anno 1231. coactum est, quemadmodum legitur in Collectione regia maxima Conciliorum ab Harduino compilata *tom. 7. pag. 186.: Nullus audeat Missam bis in die celebrare, aut cum duplici introitu, nisi in humana necessitate etc. et hoc, ubi non est, nisi unus sacerdos:* alterum, quod Nemausi anno 1284. coactum fuit, cum Martinus IV. Apostolicam hanc Sedem obtineret, uti patet ex Collectione Labbeana *tom. 12. P. I. pag. 1213.: Si omnes parochiani ad unam Missam simul non pos-*

sint convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia et remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, et, dicta prima Missa, postmodum parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tum sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa, post receptionem Corporis et Sanguinis profusionem acceperit, non debet secundam Missam in praedictis casibus celebrare.

Ea potissimum verba diligenter observari debent: *ubi non est nisi unus sacerdos:* nec non alia: *nec sunt in ecclesia duo sacerdotes:* ex quibus clare perspicimus, non licere parocho, si alius sacerdos praesto sit, duo sacra perficere diebus festis, ut populus Missae sacrificio intersit, sive Missa celebranda sit in duabus ecclesiis inter se distantibus, ut in supra citata Synodo Limana, sive una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest, ut in Synodo Nemausensi. Hi quippe duo casus eodem iure censendi sunt, uti praecipue advertit Theophilus Raynaudus *tom. 17. Operum* editionis Lugdunensis *pag. 8.*

6. Quae hucusque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur. Neque vero copiam ecclesiasticae eruditionis ostentabimus, ut cognitum id perspectumque faciamus, quod tamen facili negotio, si opus esset, consequeremur, cum duo praeclari scriptores postremis his temporibus congesserint casus omnes, quibus ante decretales Praedecessorum Nostrorum Innocentii III. atque Honorii III. plures uno die Missae ab eodem sacerdote celebrabantur. Hi sunt Saintebeuvius *tom. 3. Resolutionum casuum conscientiae, cas. 83.* et Pontas *in Dictionario casuum conscientiae, in verb. Missa, cas. 15.* De hoc ipso argumento luculenter disseruit is, qui suis adnotationibus undecimam sancti Leonis Epistolam illustravit, iuxta editionem, quae ultimo facta est. De ipso Nos quoque verba fecimus in *Commentario de festis diebus Domini Nostri ac Beatae Virginis Mariae P. I. n.667. et seq.* Quamobrem, his praetermissis, illud affirmabimus, ex communi totius Ecclesiae disciplina permitti tantum sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris Nostri ter sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, uti ostendit canon: *Nocte sancta, de consecratione dist. 1.*, vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Telesphorus

illius canonis impugnatur) parens ac magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrebant. Id Nos testimoniis praestantium virorum indicavimus in commentario Nostro, quod superius nominavimus, parte I. n. 665. et seqq.

7. Excepta die Dominicae Nativitatis, iuxta hodiernam disciplinam non licet sacerdoti eodem die Sacrificium iterare. Argumenta minime desumimus ex decreto Alexandri Papae II. *Can.* Sufficit *de consecratione, dist. 1.*, ubi Pontifex ita decrevit: *Sufficit sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est, et totum mundum redemit. Non modica res est, unam Missam facere; et valde felix est, qui unam digne celebrare potest:* etenim Pontifex ita rem prosequitur: *Quidam tamen pro defunctis unam faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit:* quibus verbis Alexander II. non improbare videtur eum sacerdotem, qui saltem ob allatam causam bis uno die celebraret. Deinde sic Pontifex concludit: *Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem.* Porro ex his facili coniectura perspicere quisque potest, Alexandrum II. decreto solum cavere, ne sordidae utilitatis, sive assentationis gratia Sacrificium iteretur. Vasquesius idem decretum sic explicat *in Part. III. Divi Thomae tom. 3. quaest. 83. art. 2. cap. 5. n. 43.: In praedicta epistola solum damnantur, qui pro pecuniis aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures Missas celebrare: de iis vero, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.* Eamdem rem maxime declarant ea, quae Thomassinus scripta reliquit *(De veteri et nova Ecclesiae disciplina, Part. III., lib. 1., cap. 72., num. 6.)*, ubi clare ostendit, libertatem pluries una die celebrandi necessario coercendam fuisse, ut quorumdam sacerdotum avaritiae modus imponeretur.

8. Igitur omittentes Alexandri II. decretum, alterius Praedecessoris Nostri, nimirum Innocentii III. auctoritate ac decretali rem Nostram comprobamus. *Cap.* Consuluisti, *de celebratione Missarum: respondemus,* inquit, *quod excepto die Nativitatis Dominicae etc. sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.* Equidem Alexander II., uti superius commemoravimus,

et Innocentius III. usi sunt hoc eodem verbo *sufficit:* at secundo tantum loco per id verbum praeceptum indicitur: nam si quis integram Innocentii decretalem percurrat, apertissime cognoscet, id petitum fuisse a Pontifice, *utrum presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare.* Porro illud *valeat,* idem prorsus significat, ac *liceat.* Cum igitur responsum dederit Pontifex, sufficere *sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare;* illud *sufficit,* sacerdotes adigit praecepto, ne plura Sacrificia uno die faciant.

Ita Vasquesius interpretatur eo loco, quem paulo ante indicavimus *num. 44. Nam quod quaesitum fuit, utrum valeat celebrare, idem est, ac si quaereretur, utrum liceat ei celebrare. Cum ergo respondit Pontifex,* sufficit etc., *hoc verbum denotat praeceptum prohibens plusquam semel celebrare.* Neque mirari quis debet, si idem verbum *sufficit,* consilium uno loco, alio autem praeceptum praeseferat. Id ipsum quippe etiam contigit in verbo *non oportet:* quod iuxta varias rerum circumstantias, in iure canonico modo solum honestatis officium ac decentiam denotat, modo vero necessitatem atque praeceptum, uti pluribus exemplis demonstrat Baldellus *disp. theolog. tom. 1. lib. 5. dub. 11. n. 4.* Verum ex Honorio III., qui post Innocentium III. Pontifex renuntiatus fuit, in textu *Te referente,* sub eodem titulo *de celebratione Missarum* manifesto deprehenditur, illud verbum *sufficere,* de quo in decretali Innocentii III., cum praecepto coniungi. Rem totam, sicuti gesta est, recensebimus, uti constat ex Gonzalez, qui decretalem integram eiusdem Honorii describit.

9. Sypontinus Archiepiscopus (eam modo civitatem vulgo Manfredoniam appellant) feria quinta maioris hebdomadae sancta Olea de more in ecclesia cathedrali rite consecrabat. Eadem die mane se conferebat ad montem Garganum, ut peregrinos exciperet, qui magna frequentia in eum locum religionis causa confluebant. Eius loci clerus ac populus Archiepiscopum magno studio rogarunt, ut sacrum iteraret; quod tamen ille facere recusavit, donec super hac re Pontificis Honorii III. responsum sibi redderetur. Pontifex initium desumit a verbis ipsis Innocentii III. Praedecessoris sui, nempe: *Cum cuilibet sacerdoti, quacumque dignitate praefulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat, nam et valde est felix, qui celebrat digne unam.* Post haec praecepit Archiepiscopo, ut Syponti rem divinam peragat, ubi sacrum Chri-

sma conficere debebat, et in ecclesia montis Gargani Sacrificium offerre praetermittat, hisque utitur verbis, quibus illud *sufficit*, ab Innocentio III. scriptum cum praecepto omnino copulari declarat: *Fraternitati tuae mandamus, quatenus die Coenae Domini in ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere Missarum studeas solemnia celebrare.* Innocentius, qui, excepto die Nativitatis Dominicae, prohibuit sacerdoti plures Missas una die celebrare, *in cit. cap.* Consuluisti, *de celebratione Missarum*, addidit: *nisi causa necessitatis suadeat.* At Honorius, qui *in cap.* Te referente, *eodem tit. de celebratione Missarum*, Archiepiscopo Sypontino rescripsit, ipsi fas non esse, post rem divinam peractam, dum sacrum Chrisma conficiebat in ecclesia Sypontina, aliam Missam celebrare in ecclesia montis Gargani, declaravit, causam necessitatis ab Innocentio admissam nunquam adesse, cum alius invenitur sacerdos, qui secundam Missam celebrare potest: secundam quippe Missam noluit ab Archiepiscopo in ecclesia montis Gargani celebrari, ex quo inverisimile ipsi visum est, quod alius non adesset sacerdos, qui Missam in eadem ecclesia celebrare posset, iuxta monitum Cardinalis de Turrecremata *in Can.* Sufficit, *sub. num. 4. de consecratione, dist. 1.* En eius verba: *Quod autem in decretali* Te referente *Episcopus videtur reprehendi, quod bis celebraverat die Coenae, est propter hoc, quia non erat necesse, quod Episcopus celebrasset, nisi in illa ecclesia, in qua de consuetudine debebat Chrisma conficere, quia hoc non potest, nisi Episcopus, et aliam Missam celebrare poterat simplex sacerdos, quia verosimile est, Episcopum posse per Vicarium celebrare, et in illa ecclesia plures sacerdotes fuisse.* Quod etiam ante Cardinalem a Turrecremata iam fuerat adnotatum ab Hostiensi *in cap.* Te referente, *num. 4.*, ab Antonio de Butrio *super eodem textu num. 3.* et ab Abbate *super eodem quoque textu in fine tit. de celebratione Missarum.*

10. Praeterea casum proponunt Episcopi, qui praeesset duobus episcopatibus inter se vicinis; ut in Archiepiscopo Sypontino contigisset, si Summi Pontifices Alexander III. et Innocentius III. sententiam non protulissent contra Garganicos contendentes, ecclesiam suam episcopalem esse, et unitam ecclesiae Sypontinae, quemadmodum legitur apud Ughellium de metropoli Sypontina tractantem *tom. 7. Italiae sacrae:* quaeruntque, an sub obtentu Chrisma conficiendi in utraque ecclesia, quod sine celebratione

Missae consecrari decenter nequit, posset ea die bis Sacrificium offerre; et unanimiter respondent, id non licere: et sic rem componunt, quod uno anno in una ecclesia celebret Missam feria quinta in Coena Domini, et conficiat Chrisma; et alio anno id ipsum faciat in alia ecclesia, et ab una ad aliam Chrisma consecratum, uti moris est, transmittat. Reque sic composita, asserunt, nullam ex suis ecclesiis Chrismate carituram esse, subditosque unius, vel alterius episcopatus nullatenus excludi a commoditate audiendi Missam quinta feria in Coena Domini, in qua maximopere expedit, ut audiant Missam; ea quippe celebrari poterit a sacerdote in ecclesia, in qua eo anno Episcopus Chrisma non conficit, cum verisimile non sit, alium non reperiri sacerdotem, qui ea ipsa die sacrum in ea facere possit; veluti prosequuntur Hostiensis, Antonius a Butrio, et Abbas *locis citatis*.

Haec sunt, quae ex iure canonico desumpsimus. Sed cum Glossa *in cap.* Consuluisti, *in verb.* Necessitatis, *de celebratione Missarum*, necessitati addat utilitatem, et vel utilitatem, vel necessitatem satis esse dicat, ut unus sacerdos eodem die bis Missam celebrare possit, bene deprehendimus, parochos, de quibus agitur, posse tum utilitatem, tum necessitatem praetexere, ut sibi putent fas esse bis in die celebrare, etiamsi alius sit sacerdos, qui sacrum facere valeat: utilitatem quippe in eo constituent, quod bis ipsi celebrando non subministrabunt sacerdoti celebraturo eleemosynam pro Missa, quam celebrabit; necessitatem in sua inopia constituent, ob quam nequeunt praedictam eleemosynam alteri sacerdoti Missam celebranti elargiri. At neutrum eis suffragari potest.

11. Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt non de utilitate celebrantis, sed Missam audientis. Sic docet Cardinalis Zabarella *in cap.* Consuluisti, *num. 3. de celebratione Missarum*. En eius verba: *Considera, quod in hoc attenditur causa utilitatis respectu audientis, non celebrantis*. Et concordat super eodem capitulo Antonius a Butrio *num. 4.*, Abbas *num. 2.* et ceteri, quos vocant Repetentes: et praeclare inter recentiores docuit Vericellus *de Apostolicis missionibus tit. 1. de privilegiis Regularium dub. 18. num. 201.* Utilitas autem proposita non populum, sed parochum respicit, et sic celebrantem et non audientem.

Minus quoque prodest necessitas ex inopia desumpta; cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare: si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate, iuxta caput quartum Concilii Tridentini *Sess. 21. de Reform.*, adigi poterunt, ut sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel *ad tit. decretalium de celebratione Missarum num. 3.* Secundo, si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum, an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest sacerdotem, ut populo sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Trid. Conc. desumitur *Sess. 23. cap. 14. de Reform.*, ubi haec leguntur: *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et festis solemnibus etc. Missas celebrent:* siquidem illud verbum *curet*, praeceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum. Hoc pacto Concilii sententiam explicat Pasqualigus, qui scriptum ita reliquit *de sacrificio Missae quaesit. 844. n. 11.: Si in aliquo oppido sit unus tantum sacerdos, qui teneatur celebrare diebus festis, et adsint alii simplices sacerdotes, poterit Episcopus eos cogere ad celebrandum diebus festis. Ratio est, quia adest indigentia populi, eo quod difficile sit, quod omnes eadem hora conveniant ad audiendam Missam; et ideo cum sacerdotes habeant ratione Ordinis munus suum addictum populo, poterit Episcopus eos cogere, ut impendant officium suum populo, offerendo Sacrificium, ut absque difficultate possit adimplere praeceptum audiendi Sacrum. In tali tamen casu tenebitur populus aliquid contribuere iis sacerdotibus pro sustentatione; quia, cum ministrent populo, aequum est, quod accipiant aliquid pro sustentatione.*

Porro difficile prorsus videtur, omnia haec simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc, ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut Sacrificium iterent parochi, quibus non deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministret.

12. Post haec, quae a Nobis prolata ad veritatem illustrandam dici possint, ad ea sermonem transferimus, quae ab ipsis

parochis proponi audimus. Vehementer ipsi conqueruntur, si facultas iterandi Sacrificii diebus festis adimatur; eo quod munere suo perfungi nequeant, quod non solum constituitur in celebranda et applicanda Missa pro populo, cum festis diebus peraguntur, sed etiam in explicandis religionis mysteriis, tradendaque pueris christiana disciplina, cum ad Sacrum audiendum in ecclesiam conveniunt.

Incredibilem ex hoc voluptatem sane percepimus; etiam quum olim fel. rec. Praedecessor Noster Innocentius Papa XII. ad discutienda Hispani cleri gravissima negotia ab insigni viro bonae memoriae Ludovico huius S. R. E. Cardinali Belluga nuncupato proposita, peculiarem Congregationem praestantium aliquot eiusdem S. R. E. Cardinalium deputasset, Nobisque tunc in minoribus constitutis ipsius Congregationis Secretarii munus demandasset, meminimus non parum temporis, plurimumque laboris Nobis opus fuisse, ut falsam omnino probaremus opinionem, ob quam parochi Hispani se immunes ac liberos dictabant ab edocendis instruendisque in christiana doctrina pueris, eo quod huiusmodi exercitationes in aliis quoque ecclesiis haberentur; aut quia concionatorum opera studioque satis fideles instruerentur; aut etiam ob vetustissimam consuetudinem, quae parochos ipsos ab hoc onere vindicare videbatur. Quae omnia leguntur in Constitutione, quae incipit. *Apostolici ministerii*, quam praefatus Innocentius Praedecessor promulgavit, in qua §. 9. recensentur ac refelluntur ea omnia, quae modo commemoravimus.

13. His autem per transennam adnotatis, iam responsum quaestioni faciamus, videlicet non esse iterandum de festo Sacrificium, si parocho alius sacerdos operam suam navare possit, etiamsi catechismus eodem die, fideique mysteria populo explanari debeant. Haec enim fieri possunt eiusdem sacerdotis ministerio, qui ad Sacrum conficiendum inducitur: quemadmodum Nos ipsi statuimus in Bononiensi dioecesi, cum in ea sedem haberemus, haud ignorantes, id consentaneum esse decretis, quae super hac re Pontifices Romani non semel ediderunt. Id Nos ostendimus *Instit. 3. tom. 3. Nostrarum Institutionum ecclesiasticarum*, quae Bononiae impressae fuerunt. Accedit, quod parochus, qui die festo fideles instituendos in utraque ecclesia libenter suscepisset, si iterandi Sacrificii facultas traderetur, id facilius consequi possit, si in altera solum ecclesia rem divinam faciat,

ac populum edoceat, deinde ad aliam se conferat ecclesiam, ubi a Sacrificio abstineat, et christianae legis instituta dumtaxat populo declaret.

Tui praeterea parochi queruntur, quod ipsis hanc facultatem impertiri dubites, quam a tuis decessoribus semper impetrarunt. Certissimum illud est, missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die Sacrificium bis operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur; cuius sane iudicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet. Ita testatur Vericellus *de Apostolicis missionibus* tit. 4. *de privilegiis* quaest. 19. num. 202. « Quaeres primo, an ad ce» lebrandas duas Missas in locis, ubi adest talis necessitas, re» quiratur licentia Episcopi? Respondetur affirmative, seclusis » privilegiis missionariorum. Ita a S. Congregatione resolutum. » Certum quoque est, facultates eiusmodi, nisi necessitas id postulet, nunquam concedi; vel, si aliquando concedantur, non haberi tamquam alicuius sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis. Fagnanus id fatetur *Cap.* In ordinanda, *n. 37.* de Simonia: « miratur S. Congregatio agi de » his licentiis concedendis; nam id nonnisi ex magna necessitate » fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpau» cissimi sunt sacerdotes, vel adsunt impedimenta adversariorum » fidei, vel quid simile etc. Non concedi potest haec licentia ab » Episcopo generaliter, quasi privilegium alicuius sacerdotis, sed » tantum in aliquo casu particulari, necessitatis causa ab Epi» scopo examinanda. » Itaque cum eiusmodi causam necessitatis haud deprehenderis, nunquam parochos tuos probabimus, si ipsi de te conquerantur; Nos prudentiam fraternitatis tuae magnopere commendamus, teque agnoscimus animum, mentemque tuam conformasse exemplo praedicti sancti Caroli Borromaei, qui in prima Synodo provinciali c. 5. abrogavit « licentias a suis praedeces» soribus concessas plures Missas celebrandi. »

14. Parochi postremo, ut causam suam tueantur, vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos, utrum ratione, an temere id afferant, examinare praetermittimus. Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis, aut praesumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum et alienum iudicamus. Non utique ius divinum, sed ius ecclesiasticum prohibet, eadem die

ab eodem sacerdote Sacrificium iterari. At non omnia, quae iuris tantum ecclesiastici sunt, praescribi possunt. Si etenim iuxta civiles leges *sanctae res* praescribi non possunt, absonum undique est afferre, fuisse per praescriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam sacrum Tridentinum Concilium in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus praecipit, uti colligitur ex decreto *de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

In nonnullis regionibus mos inoleverat, quod parochi duarum parochiarum feria sexta maioris hebdomadae officium faciebant, primum in una ex parochiis, et deinde illud iterabant in altera. Ieiunii praeceptum in sumptione Eucharistiae non est iuris divini, sed ecclesiastici, teste Cardinali Bona *Rerum Liturgicarum lib. 1. cap. 21. num. 2.,* ubi refert, initio non omnibus in locis universos praedicta lege obstrictos fuisse; cumque hoc minime obstante, animadversum fuisset, parochum celebrantem officium in secunda parochia, non ieiunum sumere Eucharistiam sub specie panis; sumpserat enim in officio, quod celebravit in prima parochia, particulam Hostiae consecratae die praecedenti, una cum vino non consecrato, et sic ieiunium fregerat naturale; reprobata fuit consuetudo, etsi, uti asserebatur, pietati et devotioni innixa. Hoc exemplo perculsi alii parochi duarum parochiarum aliam induxerunt consuetudinem, ut in utraque parochia officium feriae sextae maioris hebdomadae celebrare possent; praetermittendi videlicet haustum vini in primo officio, quod in prima parochia celebrant, sumentes tantummodo species panis, ut ieiuni in secunda parochia officium facerent, Missamque, quae dicitur praesanctificatorum, celebrarent. At haec quoque consuetudo fuit reprobata, utpote contraria ritui ecclesiastico, quam et Ordo Romanus, et Sacramentarium sancti Gregorii praescribunt, et adhibet universalis Ecclesia. Franciscus Sylvius, magni nominis theologus, tom. 5. suorum operum editionis Antuerpiensis, *orat. 1.,* quae est unica *de officio Parasceves,* rem graphice exponit, nec parochorum consuetudini censet esse ullo modo deferendum. De hac eadem re plura habentur apud Suarez *in 3. part. Divi Thomae tom. 3. quaest. 73. art. 2. disquis. 80. sect. 3.* Et Nos ipsi haec omnia exposuimus *in Nostro tractatu de Sacrificio Missae,* typis Patavinis edito, *sect. 2.* §. *39.* Et *in alio tractatu de festis Domini Nostri Iesu Christi*

part. I. typis quoque Patavinis edito, §. *336. et seqq.* confutavimus errorem Graecorum schismaticorum, qui volunt, in Missa praesanctificatorum per immersionem particulae in calicem ex sacratissima Hostia detractae, transubstantiationem fieri vini in sanguinem Christi; et diximus, sacerdotem in officio feriae sextae maioris hebdomadae, sumere Christi Corpus et Sanguinem, cum utrumque revera sit sub specie panis, praecedenti licet die consecrati.

Praescriptionem excipit praesumptio, de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus iurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, et etiam privilegium Apostolicum, quod, utpote nullo certo documento probatum, praesumptum appellatur. Sed, ceteris praetermissis, ne haec epistola longior evadat, subdimus, haec intelligi posse de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quae cum postulantur, negari omnino consueverunt; ne praesumptio plus habeat roboris et momenti, quam veritas.

Romanis Pontificibus mos est, ut ea negotia, quae ipsi per se expedire nolint, ad Congregationes reiiciant examinanda, ut earum consilio rem expediant. Anno 1657. cum in civitate, quam dicunt *de Assumptione,* in provincia Paraguariensi, pars magna nobilium domi se contineret, utpote decenti apparatu vestium carens, nec accederet ad ecclesiam, ut sacrum die festo audiret, Episcopus exoravit, ut sibi facultas daretur celebrandi Missam antelucanam nobilium praedictorum gratia, et aliam ante meridiem, ut reliquus populus Missae praecepto diebus festis satisfaceret. De hac re actum fuit in Cong. Conc. die 1. Septembris 1657., nec petitio fuit exaudita, ea potissimum de causa, quod imperceptibile visum est, alium non adesse sacerdotem, qui Missam antelucanam celebraret pro nobilibus; quemadmodum colligitur *ex lib. 21. decret. pag. 65.*

Praeterea vobis omnibus notum est, in regnis Aragoniae, Valentiae et in comitatu Catalauniae die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quemlibet sacerdotem saecularem bis Missam celebrare posse, et ter quemlibet sacerdotem regularem; quod singulare privilegium antiquae consuetudini, et famae Apostolici privilegii concessi vel a Iulio III. vel a Paulo III. Sum-

mis Pontificibus innititur. De dicto privilegio egimus in supra citato Nostro commentario *de Sacrificio Missae sect. 2. §. 31.* et latius, dum munere fungebamur Secretarii Concilii, cum causa quaedam *Castellana* pertractaretur, quemadmodum videri potest in Thesauro Resolutionum praedictae Congreg. *tom. 2. pag. 168.*, et plura quoque de dicto privilegio relata fuerunt a bonae memoriae Cardinali Lanfredino, dum ipsum Secretarii munus obiret, et de quadam causa *Oriolen.* ageret, de qua *tom. 5. eiusdem Thesaur. pag. 384. et seqq.* Viri, qui dignitate et praestantia supra ceteros eminebant, Summis Pontificibus humillime supplicarunt, non ut quidem rem novam permitterent, sed ut tantum ad quasdam alias regiones memoratum privilegium extenderent, ob quod presbyteri tum saeculares, tum regulares in die Commemorationis omnium defunctorum rem divinam iterato faciebant, precesque suas singulari pietate et rationibus undequaque petitis cohonestarunt, negotioque a Summis Pontificibus remisso ad Congregationem Concilii, haec precibus huiusmodi morem haud gessit, sed petentes, uti fieri cum principibus viris consuevit, urbane dimisit, quemadmodum recensuimus in *citato Nostro tractatu de Sacrificio Missae section. 2. §. 31.* editionis Patavinae.

Porro si denegatum fuit Episcopo petitum privilegium celebrandi bis in die festo, ut Nobiles satisfacerent praecepto audiendi Missam, eo quod alius aderat sacerdos, qui Sacrum facere poterat; si principum virorum vota exaudita non fuerunt, qui tantum pro extensione privilegii precabantur, et talis privilegii, quod unicam tantum diem quolibet anno respiciebat; unusquisque facili negotio cognoscere poterit, quid a Sede Apostolica factum esset, si simplices parochi facultatem petiissent bis celebrandi, ubi alius non deesset sacerdos, qui parocho operam suam praestare posset, et bis celebrandi, non unica die intra annum, sed tot diebus, quot per anni cursum festi dies celebrandi fidelibus praecipiuntur.

15. Ut Fraternitati tuae postulatis responderemus, negotium unico verbo cognoscimus Nos absolvere potuisse, dicendo nimirum tuam constitutionem synodalem observandam esse. Henricus enim Boich, antiquus iuris canonici professor, in *Comment. ad Cap.* Te referente, *n. 2. de celebratione Missarum*, docet, a nemine binas Missas eadem die celebrari posse, si id sit vetitum in constitutione synodali. Sed haec scribenda ad te putavimus,

ut tuum religionis eximium studium Nostris laudibus prosequeremur, certamque normam ac rationem ante oculos propositam haberes, ad quam consilia tua tuamque mentem tutissime conformares. Quapropter tres dies in privata Nostra bibliotheca mane insumpsimus, quos vacuos ac liberos ab audiendis ministris, molestisque negotiis nacti sumus, ut has Literas conficeremus. Postremo te summopere iterumque commendantes, qui huius Sedis Apostolicae in dubiis rebus sententiam consiliumque exquisieris, benedictionem tibi Nostram, venerabilis Frater, peramanter impertimur.

16. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem die 16. Martii 1746. Pontificatus Nostri anno sexto.

XXXIX.

Folium causae Cameracen. *Missae pro populo.*

(Ad pag. 467. vol. I. et pag. 628. vol. II.)

Summarium. 1. C. m. Card. Giraud facultatem Missae iterandae ab Apostolica Sede pro parochis impetravit. – 2. Literae Card. Praefecti S. Cong. Conc., quibus eadem facultas tribuebatur. – 3. Resolutio quaedam S. C. Rit., qua declarabatur, parochum Missam iterantem non teneri applicare pro populo secundam Missam, et posse permitti, ut possit applicare ad propriam, vel alterius intentionem, cum per fundationem, vel contractum de applicatione ad certam intentionem nihil cautum fuerit. – 4. 5. 6. Ex hisce dispositionibus occasio data est Episcopo Cameracensi proponendi Sacrae Congr. quaedam dubia resolvenda. – 7. 8. Parochi sive perpetui, sive amovibiles Missam pro populo diebus festis applicare tenentur, etiamsi reditus parochiae tenuissimi sint, quo casu licet Episcopis facultatem facere, ut parochus eleemosynam ab offerentibus accipiat, et applicationem pro populo transferat ad aliquem hebdomadae diem. – 9. 10. Parochi, qui praesunt parochiis unitis unione extinctiva, non tenentur duplicem sive per se, sive per alium Missam applicare; aliter est, si unio sit subiectiva, vel aeque principalis. – 11. Parochi binandi facultate praediti nequeunt eleemosynam pro secunda Missa percipere. – 12. S. Congr. in *Cameracen.* edixit, parochum duabus paroeciis praepositum binandi facultate praeditum, non obstante redituum tenuitate, pro utriusque parochiae populo ad applicationem teneri, parochum binantem uni parochiae praepositum non teneri secundam Missam applicare pro populo, sed prohibitam esse pro secunda Missa eleemosynam. Idem accidere dicendum de vicariis, aliisque sacerdotibus binantibus quacum-

que de causa, prohibitione praedicta manente; non esse concedendam facultatem in futurum; ut parochi binantes eleemosynam pro secunda Missa recipiant. Pro praeterito denique iussit absolutionem concedendam, una celebrata Missa.

1. Archiepiscopus Cameracensis sequentia exponit: « Cum decessor meus, Emus Cardinalis Giraud, postulasset a fel. rec. Gregorio PP. XVI., ut sua Apostolica auctoritate sancire dignaretur, facultatem, quam RR. DD. Belmas, primus a concordato anni 1801. Cameracensis Episcopus, parochis suae dioecesis propria auctoritate concesserat bis Missam celebrandi, in diversis tamen ecclesiis, diebus Commemorationis omnium fidelium defunctorum, Purificationis B. M. V., Cinerum, feria V. maioris hebdomadae, Sabbato sancto, et vigilia Pentecostes, ab Emo Cardinali Polidorio, tunc S. Congregationis Concilii Praefecto, sequens responsum accepit:

2. « De adiunctis Amplitudinis Tuae precibus cum ad SSmum » relatum fuerit, placuit eidem Sanctitati Suae eadem et tibi » dari responsa, quae ad alios quoque Antistites per hanc S. Con- » gregationem Concilii transmissa sunt. Ordinariorum scilicet esse » de re cognoscere et perpendere, num revera necessitas urgeat, » ut sacerdos duas Missas celebrare cogatur, nec aliter utendum » concessa hac iteratione, quam iuxta conditiones ab ipsis ap- » ponendas, habita locorum, popularium et paucitatis sacerdo- » tum, ac proinde verae necessitatis ratione, de qua legatur Be- » ned. XIV. Constit. *Declarasti* ad Episcopum Oscensem anno 1746. » et in eius opere de Sacrificio Missae *Lib. 3. cap. 5. et 6.* Ipso- » rum vero conscientia oneratur stricte, nec permissio conce- » datur generaliter, quasi privilegium alicui sacerdoti, sed ob » peculiares casus, et necessitatis causa ab ipso examinata, qui » praeterea moneat parochos, quibus facultatem iterum eadem » die secundam Missam celebrandi concesserit, ne eleemosynam » vel stipendium a quovis et sub quocumque praetextu pro ea » percipiant iuxta decreta alias edita a S. C., sed eam pro po- » pulo sibi commisso gratis applicent. »

3. Porro circa hanc obligationem gratis applicandi Missam suborta est apud multos dubitatio, quia 1. circumferuntur sequentes S. Rituum Congr. responsiones: « Parochus Heistermacen in Keken » huius dioecesis propter necessitatem populi licentiam obtinuit » diebus Dominicis et festivis bis celebrandi in ecclesia paro-

» chiali, et pro hoc officio suscepto a parochianis, qui alias multo » maioribus sumptibus, quod non possunt, sacellanum susten- » tare deberent, remunerationem quamdam accipit. Quaeritur, » num respectu huius remunerationis obligetur etiam hanc Missam » secundam, de cuius applicatione nihil stipulatum est, pro » populo, sive parochianis remunerationem praebentibus appli- » care pro futuro, uti ipsam Missam parochialem; numque pro » praeterito, propter omissam bona fide hanc applicationem ali- » quid restituere teneatur? Deinde saepius in hacce dioecesi » contingit propter latitudinem parochiarum, quod in iis sacella » inveniantur, ubi Dominicis et festivis diebus sive ex fundatione » sive ex contractu parochi et parochianorum Missa celebrari » debeat pro incolarum ab ecclesia parochiali remotorum, in pri- » mis seniorum et infirmorum necessitate vel commoditate. Viget » consuetudo, quod, si per fundationem vel contractum de ap- » plicando Sacro ad certam intentionem nihil statutum sit, in » eiusmodi casibus celebrans pro alio stipendio applicet vel ad » propriam intentionem. Quaeritur, num haec consuetudo, de » cuius legalitate dubitatur, pro futuro permittenda, et num pro » praeterito aliquid exinde restituendum sit ab iis, qui bona fide » ea usi sunt? Et eadem S. Congregatio ad Vaticanas aedes or- » dinariis in comitiis hac die coadunata, audita relatione a me » subscripto Secretario facta, omnibus attente riteque libratis, » rescribendum censuit: Ad I. Negative in casu. Ad II. Posse » permitti. Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 11. Iu- » nii 1845. in Monasterien.

4. » 2. Plures theologi, inter quos Emus Cardinalis Gousset *(Théologie morale T. 2. num. 290.)* et rever. mem. D. Bouvier, Episcopus Cenomanensis, *(de Eucharistia cap. 6. art. 3.)* gratuitae huius applicationis obligationem negant. Quae cum ita sint, humiliter postulo sequentium dubiorum solutionem: 1. « An » parochus, qui duas parochias regit et ideo bis in die cele- » brat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non » obstante redituum exiguitate? 2. An parochus, qui in una ea- » demque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam » populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur? 3. An » vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si » quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero » sufficienti Missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospi-

» talia, carceres, sanctimonialium conventus Missa non careant, » secundam et ipsi Missam populo gratis applicare teneantur? »

5. » Quod si iuxta pluries edita a S. Concilii Congregatione decreta haec obligatio supersit ac maneat, necessariam dispensationem enixe imploro, « ut dioecesis meae parochi, qui bis » diebus Dominicis et festis celebrant, unius Missae, alii vero » sacerdotes, qui curam animarum non habent, Missae utriusque » liberam habeant applicationem, ac licite pro iis stipendium » percipere valeant, uti hucusque bona fide perceperunt. » Ad hanc indulgentiam movere posse videntur multorum res valde angustae, et eleemosynae multipliciter ac saepe in bona diversi generis opera erogandae.

» Si vero hanc dispensationem S. Congregatio non ducit in futurum concedendam, ipsam humiliter rogo, *ut pro praeterito saltem, attenta bona fide, condonationem benigne indulgere dignetur.* » Hucusque Archiepiscopus.

6. Praenotandum in facto, sequenti praemissa narratione cl. me. Emum Giraud, Antecessorem Episcopum Cameracensem, confirmationem facultatis binandi pro suae dioecesis parochis postulasse: « Pastores et vicarii, qui duabus distinctis et distantibus » deserviunt ecclesiis, sive in eadem parochia, sive in diversis » vicis positis, sive illarum una in altera parochia pro tempore » pastore orbata existat, hi soli poterunt memorata facultate » (scilicet bis in die Missam celebrandi) uti in diebus Commemorationis etc. », ad cuius preces relatum rescriptum prodiit.

7. In iure autem haec prae oculis habenda videntur. Qui animarum curam exercent, tenentur iure divino applicare Missam pro populo sibi commisso, (Conc. Trid. *Sess.23. cap.1. de Reform.*, S. Cong. in *Calaguritana, Applicat. Missae pro populo* 12. Decemb. 1764. et in *Oveten.* 12. Ianuarii 1774.); quod quidem onus ita iis inhaeret, ut ab eo vacui ac soluti non censeantur, quamvis tenues sint reditus, cum ad id non obstringantur propter reditus, sed ratione officii; Benedictus XIV. in Constit. *Cum semper oblatas,* in qua diserte praescribitur pro huiusmodi applicatione eleemosynam percipere iisdem non licere. Quod si *(ibid. §. 8.)* Episcopis facultas tribuitur dispensandi cum parochis, quos revera pauperes esse cognoverint, ad hoc ut etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere, et pro ipso Sacrificium applicare, quatenus id ab eo re-

quiratur, licite possint, ea tamen adiicitur conditio, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

8. Quod vero de parochis, idem de sacerdotibus, qui parocho infirmo aut absente vices eius gerunt, dicendum ob identitatem rationis. Hinc in cit. Constit. *Cum semper oblatas* §. *Quum enim* cautum est, vicarios ecclesiarum parochialium, sive perpetui sint, sive ad nutum amovibiles, omnes indistincte teneri ad applicationem Missae pro populo ipsorum curae commisso.

9. Saepe vero quaesitum fuit, num parochi duabus paroeciis unitis praepositi duplicem applicare sive per se sive per alios, Missam tenerentur. S. Congregatio autem constanter respondit, parochos hac obligatione minime solutos esse, excepto casu unionis plenariae et exstinctivae, ceu formiter discusso articulo declaravit in *Lucen. Applicationis Missarum pro populo* 11. Martii 1774. Proposito enim dubio: « An parochi duabus ecclesiis parochialibus » praepositi teneantur Dominicis aliisque festis diebus Missam » in unaquaque ecclesia sive per se sive per alios applicare pro po- » pulo in casu? » Responsum prodiit: « Affirmative, exceptis tan- » tum parochiis unitis unione plenaria et exstinctiva, et scriba- » tur Episcopo iuxta instructionem ». In hac autem instructione S. Congreg. Episcopum certiorem faciendum esse putavit, se « numquam dubitasse, quod parochi teneantur applicationi su- » pradictae Missae pro populo singulis diebus Dominicis et fe- » stis in unaquaque ex ecclesiis parochialibus, quae vel aeque » principaliter vel subiective coniunctae sunt atque incorpora- » tae; cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo lo- » cum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae, » coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus » cum exstinctione tituli alterius evaserit. » Nec aliter ad huius doctrinae tramites iudicavit in causa *Oveten. Missae pro populo* 18. Nov. 1826. ad I. dubium.

10. Ad rem, de qua agitur, facit S. Congregationis decretum nuper editum in causa *Mindonien. Applicationis Missae pro populo*, proposita inter *supplices libellos* die 20. Iulii 1854., in qua haec duo a parocho, qui duas regebat paroecias, proponebantur postulata: « 1. An parochi duabus paroeciis praepositi suo mu- » neri satisfaciant applicatione solius Missae dictis diebus pro

» suo grege existente in duabus paroeciis, quando isti tantum » in una celebrent, et alius sacerdos illud facit in altera, qui » pro sua intentione applicat? 2. Si iidem parochi duplicem ce- » lebrando, scilicet in utraque, ut accidit, ubi non est alius sa- » cerdos, qui pro eis celebret, in una earum poterunt unam ap- » plicare pro duobus populis sibi commissis, et aliam ad libitum » eorum? » Sacra autem Congregatio, praevia quoad praeteritas omissiones condonatione et absolutione, censuit: « Quoad futu- » rum, parochum oratorem teneri, donec non constet de omni- » moda unione utriusque paroeciae, ad applicationem duplicis » Missae sive per se sive per alium; necnon teneri ad eamdem » applicationem eos sacerdotes, qui vices parochi absentis vel » infirmi gerant. »

11. Ubi itaque parochus duplicem distinctam regat paroeciam, atque adeo duplicem parochialem Missam celebrare teneatur, videretur pro neutra eleemosynam posse recipere. Difficultas vero in eo est, quando nimirum agatur de una tantum paroecia, vel de duabus paroeciis unione plenaria et exstinctiva coniunctis. Nihilominus etiam in hoc casu S. Congregationis ea mens fuisse constanter videtur, quod parochus binandi facultate auctus nec pro secunda Missa, quidquid de applicatione censendum sit, eleemosynam lucrari queat. Ita in *Ventimilien.* 19. Decembris 1835., cum ageretur de concedenda facultate binandi parocho, qui uni praeerat paroeciae, ad dubium: *An sit consulendum SSmo pro concessione petiti indulti in casu?* respondit: *Affirmative ad decennium, ita tamen, ut parochus non recipiat eleemosynam pro secunda Missa.*

12. Quatenus itaque de obligatione in casu gratuitae (etiam quoad ceteros sacerdotes curam animarum non habentes) celebrationis vel applicationis constet, decernendum erit, num sive cum parochis, sive cum ceteris sacerdotibus dispensandum sit, ut in posterum illi secundae, isti (quos primam saltem Missam applicare debere videtur supponere Episcopus) utriusque Missae liberam habeant applicationem, et eleemosynam, habita praesertim ratione indigentiae, percipere queant. Cui quidem rei quoad parochos provisum fuit in cit. Const. Benedictina *Cum semper oblatas*, in qua ad consulendum parochorum inopiae conceditur facultas Episcopis dispensandi cum parochis, ut diebus festis eleemosynam recipere possint, et Missam applicare pro benefacto-

re, translata ad alium diem infra hebdomadam applicatione Missae pro populo.

Attenta vero bona fide absolutio quoad praeteritum deneganda non videtur, ceu hisce in casibus in more habet S. Congregatio.

Hisce itaque aliisque momentis rationum, quas Episcopus in sua relatione exponit, perpensis, definire rogantur EE. PP. proposita ab eodem Episcopo dubia:

I. *An parochus, qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu etc.?*

II. *An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque Missam pro populo sibi commisso gratis applicare omnino teneatur in casu etc.?*

III. *An vicarii aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrent, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti Missae in ecclesia parochiali celebrentur, seu ut hospitalia, carceres, sanctimonialium conventus Missa non careant, secundam et ipsi Missam populo gratis applicare teneantur in casu?*

Et quatenus affirmative ad I. II. et III.,

IV. *An et quomodo concedendum sit parochis, qui diebus Dominicis aliisque festis bis celebrant, ut unius Missae liberam habeant applicationem et stipendium pro ea recipere valeant in casu etc.?*

V. *An et quomodo idem concedendum sacerdotibus curam animarum non habentibus quoad utramque Missam in casu etc.?*

VI. *An et quomodo concedenda sit absolutio quoad praeteritum etc.?*

Die 25. Sept. 1858. Emi Patres rescripserunt:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative, firma prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad 3. Negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa.

Ad 4. Negative, et Episcopus provideat ad formam Constitutionis Benedicti XIV. Cum semper oblatas.

Ad 5. Provisum in tertio.

Ad 6. Celebrata unica Missa ab unoquoque, affirmative, facto verbo cum SSmo.

XL.

Literae encyclicae S. C. Episc. et Regul. super spiritualibus exercitiis.

(Ad pag. 491. vol. I.)

Summarium. 1. Nihil antiquius ac potius est Pontifici, quam ut ecclesiastici viri cum scientiarum laude, tum probitate morum ceteris e populo antecellant. – 2. Cum enim populo praeeant, omnes oculos in eos intendunt, ut exemplum sumant. – 3. At vero nihil magis ad eorum sanctimoniam conducit, quam spiritualium exercitiorum secessus. – 4. Igitur Summus Pontifex vehementer Praesules hortatur, ut easdem in suas dioeceses invehant, unaque confirmat Encyclicas Innoc. XI. circa exercitia ab ordinandis peragenda. – 5. Insuper eosdem hortatur, ut singulos e clero quotannis in hunc pium secessum convocent. – 6. Itaque plenariam indulgentiam eadem peragentibus elargitur. – 7. Subinde beneficiatos a residentia interim absolvit ac permittit, ut fructus beneficii suos facere, atque etiam distributiones percipere possint, dummodo licentiam ab Episcopo pro diebus non exceptis habuerint, ac parochi praeterea oeconomum relinquant.

1. Inter gravissimas pastoralis officii curas, quibus Sanctissimus Dominus Noster assidue premitur, in eo praecipue studio incumbit, ut quicumque in sortem Domini vocati sunt, praesertim vero sacerdotes et animarum rectores, cum sacrarum Literarum divinarumque rerum scientia, tum etiam vitae morumque honestate ceteris antecellant, ac in omnibus, iuxta monitum Apostoli, praebeant semetipsos exemplum operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

2. Cum etenim ipsi sint sanctiora Ecclesiae membra, dispensatores mysteriorum Dei, christiani populi duces et magistri, mediatores inter Deum et homines, lucernae super candelabrum positae, ut luceant omnibus, qui in domo sunt; nihil est, quod alios magis ad pietatem, divinumque cultum accendat, quam illorum vita et exemplum.

3. Omnes siquidem in ipsos, tamquam in speculum, oculos coniiciunt, ut inde sumere possint, quod imitentur.

4. Porro cum diuturna experientia compertum sit ad retinendam conservandamque sacerdotalis ordinis dignitatem et sanctimoniam maxime conducere, ut ecclesiastici viri spiritualibus

exercitiis aliquando vacent, quibus quidquid sordidum de mundano pulvere conceptum est, commode detegitur, ecclesiasticus spiritus reparatur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollitur, recte sancteque vivendi norma vel instituitur, vel confirmatur, proinde Sanctitas Sua pro eximio, quo flagrat, omnium salutis zelo, vehementer exoptans, ut pium hoc et saluberrimum exercitiorum spiritualium opus ubique locorum magnopere frequentetur ac vigeat, universos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, ceterosque tum Italiae, tum etiam insularum adiacentium Ordinarios enixe admonet, ac in Domino hortatur, ut illud in sua quisque dioecesi, quo maiori poterunt conatu et studio promovere satagant, praecipue vero iis districte iniungit ac praecipit, ut, quae dudum s. m. Innoc. XI. P. M. per encyclicam epistolam a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium consultationibus praeposita ad universos Italiae, insularumque adiacentium Episcopos datam 9. Octobris 1682., qua ad huiusmodi spiritualia exercitia a singulis clericis decem dierum spatio, antequam ad sacros Ordines assumantur, peragenda mandavit, exacte ac inviolabiliter observari et exsequi curent, ac quos iisdem exercitiis per antedicti temporis spatium minime operam dedisse cognoverint, a sacra ordinatione repellant penitus et arceant.

5. Praeterea Sanctitas Sua eosdem Ordinarios admonet et hortatur, ut fructu, qui sane uberrimus ex praedictis spiritualibus exercitiis percipitur, opportune proposito ac explicato, universos ex clero sibi subiecto, sed praecipue animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiatos chori servitio adstrictos diligenter excitent ad eadem exercitia saltem semel in anno peragenda in domibus Religiosorum Societatis Iesu, seu presbyterorum Congregationis Missionis, si adsint, sin minus in alia pia, seu regulari domo ab ipsis Ordinariis ad id designanda et approbanda.

6. Ut autem alacrius ad eumdem spiritualem secessum singuli conveniant, Sanctitas Sua omnibus praefatis animarum rectoribus, confessariis, canonicis, beneficiatis, aliisque sacerdotibus et clericis, qui per decem dies singulis annis eadem exercitia peregerint in domibus praefatis, ibique diu noctuque permanserint, ac interea temporis vere poenitentes ac confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, quoties id ege-

rint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem in Domino elargitur.

7. Parochos insuper per id tempus semel tantum in anno exercitiis huiusmodi vacantes a residentia benigne absolvit. Quod ipsum servari praecipit quoad canonicos, beneficiatos, aliosque personali residentia obstrictos, et chori servitio mancipatos, quos nihilominus lucrari decernit integros fructus, et quotidianas suorum respective canonicatuum, et beneficiorum distributiones quascumque, perinde ac si choro divinisque officiis personaliter interessent, dummodo tamen eadem exercitia peragant, obtenta prius ab Ordinario licentia, a quo nullatenus concedenda erit Adventus et Quadragesimae tempore ac in solemnioribus festivitatibus, nec unquam omnibus simul canonicis, aliisque choro inservientibus, sed eo adhibito modo, ut chori servitium nequaquam intermittatur, et quoad parochos, idoneis prius subrogatis oeconomis ab ipsomet Ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrent. Mandat insuper Sanctitas Sua, ut hae Literae publicentur in ista dioecesi, et in cancellariae registris pro perenni eorum, quae in illis continentur, observantia adscribantur, et ad hunc ipsum finem quolibet triennio earum publicatio in posterum renovetur.

Quae omnia ita diligenter ab Ampl. Tuae vigili providentia, ac pastorali sollicitudine praestanda fore confidit Sanctissimus Pater, ut a Sanctitate Sua laudem, a coelesti vero bonorum operum retributore condigna praemia valeat promereri; et Ampl. Tuae copiosa divinorum charismatum incrementa ex animo precor. Ampl. Tuae. Dat. Romae die 1. Februarii 1700. – Uti frater – Bandinus Card. Panciaticus Praefectus. – V. Petra Secr.

XLI.

Bened. XIII. methodus a clero servanda in congregationibus ss. rituum et casuum conscientiae.

(Ad pag. 510. vol. 1.)

Summarium. 1. Exponitur, quanta debeat esse in sacerdotibus rerum sacrarum scientia, ad quam assequendam mire conducunt sacerdotales conventus. Hi qualibet hebdomada coire debent in locis designatis sub praefecto et secretario ab Episcopo eligendis. – 2. Praefectus diem et horam praefiniet; secretarius per horae quadrans ante conventum aes

campanum pulsari mandabit. – 3. Conventum inchoabit Hymnus *Veni Creator*, quem sequetur oratio *Actiones nostras*. – 4. Quisque ordine assidebit; et medius ante clerum sedem habebit praefectus cum mensula, libris, aliisque. – 5. A latere mensulae sedebit secretarius, qui notulam virorum ecclesiasticorum retinebit, necnon et librum, in quo casuum definitiones, aliaque adnotabuntur. – 6. Subinde praefectus per horae quadrans aliquod e provinciali, vel dioecesana Synodo caput perleget et explicabit. – 7. Mox casus moralis, vel ritualis discutietur a duobus saltem viris sorte educendis per horae quadrans, vel etiam diutius. – 8. Unus item sorte eligendus, casus propositi definitivam resolutionem determinabit: adeoque singuli e clero aliquem ex probabilioribus auctoribus sibi comparabunt. – 9. In tertia horae parte sacri ritus circa Missam, aliasque sacras functiones actu exercebuntur. – 10. In quarta horae parte oratio mentalis peragetur iuxta methodum a S. Francisco Salesio traditam, desumptis commentationum capitibus a Thoma de Kempis. Qui commentationem exponere debeat, sorte educetur. – 11. Conventui finem ponet oratio *Agimus* etc. *Confirma hoc Deus,* cum Litaniis B. M. V. – 12. Post haec indicetur proximus conventus per secretarium iuxta folium a praefecto tradendum, in quo dies, et hora, et casus enodandus designetur. – 13. Dimisso conventu, quae sint a secretario explendae sui muneris partes. – 14. Idem secretarius in apposita notula eos adnotabit, qui sine legitimo impedimento abfuerint, eamque loci vicario tradit pro debitis poenis exigendis. – 15. Quanta in secretario fidelitas esse debeat, quantaque libro ab eodem servando fides habenda sit. Idem iusiurandum interponere non praetermittat, quod inter acta recenseatur. – 16. Liber ille quolibet anno ab Episcopo, vel Vicario Generali inspicietur, qui praeterea nonnunquam conventibus interesse non praetermittant.

1. Qui recordatus fuerit, Deum per Oseam sacerdotibus veteris Testamenti dixisse *(Osea 4. 6.): Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi:* bene intelliget, quanta scientia in sacerdotio evangelico requiratur, cum veritati minime negandum sit, quod pro umbra aenigmatibusque requirebatur. Et maior sane scientia iis opus est, qui in sacris altaribus non iam immundorum victimam animalium, sed Agnum immaculatum Dei offerre, necnon Sacramenta ministrare debent, quae ex latere eius perforato ad universi salutem emanarunt. Ne igitur sacerdotes et quilibet alius altaris minister ut ignorantes a sacrosanctis nostris exercendis mysteriis repellantur, frequentent congregationes casuum et rituum tantopere inculcatas et praecise in hoc praesenti Concilio Romano; hae autem modo sequenti fieri

debent. Semel igitur singulis hebdomadis in locis ab Episcopis, Romae autem ab Emo Cardinali Vicario designandis, alternatim modo casuum, modo rituum habebitur congregatio. Erit praefectus, qui praesidebit et ab Episcopis constituetur; hi pariter secretarium eligent, cum officio sequenti:

2. Dies horaque praefixa significabuntur a praefecto cuiusque loci. Dimidio horae ante conventum secretarius ipsius congregationis per dimidium quadrantis horae aes campanam illius ecclesiae pulsari mandabit, in qua congregatio facienda erit.

3. Postquam omnes, qui convenire debent, in loco designato congregati sunt, conventum inchoabit hymnus: *Veni Creator Spiritus*, cui ipse praefectus adnectet Orationem Spiritus sancti, Beatae Virginis et *Actiones nostras* etc.; quod dum fit, omnes genuflectunt.

4. Oratione finita quisque ordine assidebit, ex utroque latere dimidia pars, et medius ante clerum praefectus sedebit, qui ante se mensulam habebit una cum iis libris, quos necessarios existimabit, et horologio ad metiendum tempus, per quod conventus durare debeat, quod quidem ad minimum unius saltem sit horae.

5. A latere eiusdem mensulae sedebit secretarius, qui notulam eorum omnium habere debebit ecclesiasticorum, qui ad conventum tenentur, necnon chartam, calamum, atramentarium librumque grandem, quae omnia a procuratoribus Capitulorum, collegiorum et cleri ad conventum obligati subministrari debebunt, in quo libro una cum eorum decisionibus adnotandi erunt casus, qui in quolibet conventu discutientur, ut mox, ubi de secretarii officio sermo fiet, dicetur.

6. Postquam suam quisque occupavit sedem, praefectus per horae quadrans leget explicabitque caput alicuius Concilii provincialis vel dioecesani, ad propriam dioecesim pertinentis, ut hoc modo cuivis in mentem revocetur et inculcetur lex, quam et ipse observare et ab aliis observandam curare debet.

7. Qua lectione et explicatione peracta transitus fiet ad discussionem unius casus, sive ritualis, sive moralis, ut supra n. 1. dictum est, de quo ad minimum duo disserent; et isti designabuntur per sortem, educendam ex capsula quadam, ubi in singulis chartulis inscriptum reperietur nomen cuiusque eorum, qui ad conventum tenentur, ut sic omnes praeparati accedant. Discussio haec per horae quadrans durabit, et longius, sicut expe-

diens videbitur, ita tamen, ut cum doctrinae soliditate, brevitate et sine verborum strepitu procedat.

8. Finita hac discussione ipso praefectus aut quidam alius (iuxta aliam meliorem regulam, pro numero praesentium, sorte educendus ex alia capsula et quindecim diebus ante certior faciendus) casus propositi definitivam resolutionem solidis iis determinabit doctrinis, quas ipse veriores existimabit ac fundatiores. Et ut omnes se valeant praeparare, cuique iniungitur, ut secum habeat librum alicuius auctoris classici, practice agentis de theologia et casibus moralibus; et pro materia sacrorum rituum habeantur saltem commentarii *Sarnelli*, iussu SSmi D. N. primum atque iterum typis mandati, *Gavanti*, *Baudry*, et parochi etiam *Corsetti*.

9. Tertia horae parte actu exercebuntur sacri ritus, inchoando a Missa privata, Missa solemni, functionibus parochialibus et administratione Sacramentorum; notandum tamen, quod singulis vicibus pauca tantum, eaque cum attentione peragantur ab eo, qui a praefecto designabitur, a quo pariter determinabitur magister caeremoniarum pro animadversionibus et emendationibus in re praesenti faciendis.

10. Ultima horae pars in oratione mentali ita impendetur, ut unus, primis vicibus a praefecto designandus, iuxta methodum a S. Francisco Salesio traditam puncta proponat meditationis, quae ad maiorem commoditatem ac facilitatem a celebri *Thoma a Kempis* desumi possunt. Deinde vero, si praefecto videbitur, ex altera capsula sorte educetur, qui meditationem proponat, ut unusquisque in hoc tam necessario utilique orandi modo exerceatur.

11. Tandem meditationi finem imponent brevis quaedam oratio, ex. gr. *Agimus* etc., *Confirma hoc Deus* etc., et Litaniae Beatae Virginis easque subsequens oratio.

12. Quibus exercitiis perfectis indicetur per secretarium proxima congregatio iuxta folium a praefecto tradendum, in quo determinentur dies et hora, casus discutiendus, una cum illa functionis parte, quae peragenda erit, et qui meditationis puncta proponet. Hoc folium in loco patente sacristiae affigendum erit, ut ab omnibus legatur et unusquisque per studium dubii discutiendi resolutionem opportune praevidere et ad bene peragendam propositam functionem praeparari valeat.

13. Officium porro secretarii in hoc erit, ut, dimisso conventu, in libro supradicto ipse res gestas summarie inscribat: notabit imprimis diem, horam, locum, ubi conventus fuerat, una cum nominibus singulorum ecclesiasticorum, qui convenerant, aut, quo brevius fiat, pro debita correctione eorum nomina, qui abesse solent; tum adnotabit casum examinatum, nomina eorum, qui sorte electi de eo discurrerunt, et decisionem, ab eo accipiendam, qui illam dedit; deinde partem peractam functionis notabit, et tandem proprio nomine et cognomine subscripto totum concludet.

14. Quibus omnibus peractis idem secretarius in notula, ab ipso subscripta, nomina adnotabit eorum, qui sine legitimo impedimento, a praefecto semper approbando, abfuerint, eamque loci Vicario tradet pro debitis poenis exigendis; propria autem erit ipsorum Vicariorum obligatio videndi simulque invigilandi, ne officio suo secretarius desit, eo fine, ut ad opportuna remedia procuranda ipsos Episcopos certiores faciant.

15. Et quoniam in secretario summa requiritur fidelitas, quum libro ab ipso conservato plena fides praestanda sit quoad attestationes, quae iussu aut Episcopi aut eius curiae circa frequentiam ecclesiasticorum extrahentur, ipse supra S. Evangelium in manibus Vicariorum locorum iuramentum deponet, quo sese ad fidelem sui officii administrationem obstringat; neve in ipso libro congregationum actum iuramenti praestiti adnotare omittat.

16. Hic liber, in cuius exordio haec methodus inscribetur, quolibet saltem anno ab Episcopis eorumve Vicariis Generalibus inspiciendus erit; ipsi vero non moleste ferent, interdum talibus interesse conventibus, ut quomodo agantur, quaeque inde utilitas redundet, observent, et imprimis, (plures cum sint, qui negligunt, quam qui servant leges) ut proprio exemplo fastidiosos moveant.

F. A. Archiepiscopus Abellinen., Secretarius S. Congr. Concilii.

XLII.

Bened. XIV. Constit. Firmandis *de iurisdictione et visitatione Episcoporum in parochos et parochias regulares.*

(Ad pag. 513. vol. I. et pag. 4. vol. II.)

Summarium. 1. Pontificum mos inhaerendi Praedecessorum Constitutionibus et Congregationum decretis; Clementis X. exemplum, item Innoc. XII. Idipsum Bened. XIV. a se pluries observatum memorat, et in praesenti potissimum observari declarat. – 2. Refert Trid. Conc. decretum circa iurisdictionem Episcopi in ecclesias parochiales, quae spectant ad Regulares. – 3. Greg. XV. firmat eamdem iurisdictionem in omnes animarum curam et Sacramenta quandocumque administrantes. – 4. Pontifex alias quaestiones circa similia definire intendit. – 5. Approbat tum resolutionem S. C. Episc. et Regul., quod missionarii pastorali visitationi praemissi etiam a parochis regularibus excipi debeant. – 6. Tum decisionem S. C. Conc., quod possit Episcopus Confirmationis Sacramentum in ecclesiis regularibus administrare. – 7. Declarat, quae visitare possit Episcopus in ecclesiis parochialibus Regularium. – 8. Quid circa parochi vitam et mores cognoscere valeat. – 9. Et circa alia ad eiusdem officium spectantia. – 10. Statuit parochi correctionem ad Episcopum cumulative cum Superiore regulari spectare, parochianorum vero privative ad Episcopum. – 11. Remotionem parochi utrique licere statuit absque alterius consensu. – 12. Firmat exemptionem parochialium quibus Superiores regulares iurisdictionem pastoralem, ac temporalem obtinent. – 13. Declarat exemptionem parochialium monasteriorum, in quibus resident Superiores Generales, non extendi ad residentias aliorum Superiorum non generalium, indicat modum in plerisque editionibus Conc. Trident. – 14. 15. 16. Decernit, non requiri pro exemptione, quod monasterium sit caput Ordinis. Parochiales autem unitas monasteriis residentialibus Superiorum Generalium non gaudere exemptione. – 17. Asserit privativam iurisdictionem Episcopi in parochianos etiam huiusmodi parochiarum exemptorum, item ius nominandi et approbandi parochum; et instandi, quatenus opus sit, pro remotione. – 18. 19. Statuit residentiam Superioris Generalis ad effectum exemptionis non vagam et arbitrariam, sed illam dumtaxat intelligi, quae a constitutionibus, vel a consuetudine Ordinis praefinitur. Aut quam Superior Generalis semel initio elegerit sublata facultate variandi. – 20. Et salvo maiori iure Episcoporum, si qui maioris iurisdictionis quasi possessionem habeant. – 21. Clausulae praeservativae. – 22. Aliter iudicari prohibetur. Contrariis plenissime derogatur.

1. Firmandis atque asserendis ecclesiasticae disciplinae regulis studiose intenti Praedecessores Nostri Romani Pontifices consueverunt, peculiaribus rerum aut temporum necessitatibus animadversis, ad generalis providentiae curam animum adiicere, easque Apostolicas Constitutiones opportune promulgare, quibus gliscentes morum corruptelas resecarent, et inordinatas humanae arrogantiae praesumptiones reprimerent. Cui rei obtinendae utilissimum plane experti sunt vel antiqua Patrum constituta renovare, interpretari, aut declarare, vel competentium Romanae Curiae tribunalium, sive Congregationum iudicata et responsa colligere, confirmare, aut in aliquibus remittere, eademque prudenter atque apte conciliare, si quando inter ea non satis convenire videtur. Utque antiquiora omittamus exempla, non alia sane ratione fel. rec. Praedecessor Noster Clemens Papa X. per suam Constitutionem, quae incipit *Superna*, datam 11. kal. Iulii anno 1670. inhaerendo pluribus resolutionibus Congregationum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium, ac Tridentini Concilii interpretationi auctoritate Apostolica praepositorum, multa constituit circa debitam a Regularibus erga Episcopos locorum Ordinarios observantiam et subiectionem, tam in petenda eorum licentia et benedictione pro verbi Dei praedicatione in ecclesiis etiam suorum respective Ordinum habenda, quam in approbatione et facultate ab eisdem obtinenda pro administrando saecularibus Poenitentiae Sacramento. Ita pariter se gessit recolendae memoriae Praedecessor Noster Innocentius Papa XII., quum ad normam plurium resolutionum Congregationis Concilii praefatae, certas sacrarum Ordinationum regulas, et singulorum Episcoporum iura in proprios subditos praefinivit, lata Constit., quae incipit: *Speculatores* sub datum pridie nonas Novembris anni 1694.

2. Hanc ipsam rationem Nos ipsi secuti sumus in Apostolicis Nostris Literis, quarum initium est *Sacramentum Poenitentiae*, anno 1741. Kalendis Iunii datis, in quibus nonnulla decrevimus et statuimus adversus sacerdotes in sacramentali confessione suos poenitentes ad turpia sollicitantes, iuxta declarationes in causis huius generis, diversis temporibus et casibus prolatas a Congregatione venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum. Idipsum nuperrime egimus, dum venerabilibus Fratribus Patriar-

chis, Archiepiscopis, Episcopis, cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis encyclicas Literas dedimus sub die 19. Augusti huiusce anni 1744., quarum initium est *Cum semper oblatas*, quibus a praedictae Congregationis Concilii Tridentini Interpretis resolutionibus et placitis neutiquam discedentes, plura declaravimus circa onus, quod habent tum omnes animarum curam gerentes, Missam pro populo applicandi diebus saltem festis de praecepto; tum etiam ecclesiarum cathedralium et collegiatarum canonici, aliique de earum gremio, Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere specialiter offerendi. Nunc denique hoc idem a Nobis servatum iri declaramus, dum Episcoporum iura, quod attinet ad visitationem ecclesiarum parochialium ad Regularium monasteria pertinentium, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione asserere, atque ut infra definire et constituere in animum induximus.

3. Animarum curam in saeculares personas exercentes in iis ecclesiis, quae monasteriis seu domibus virorum aut mulierum adnexae sunt, sive ipsi Regulares sint, sive saeculares, sacri Tridentini Concilii praescripto, *Sess. 25. cap. 11. de Regularibus*, subesse debent: *immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, in cuius dioecesi* praedicta monasteria *sunt sita*, exceptis dumtaxat iis monasteris seu locis, *in quibus Abbates generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo tamen eorum Episcoporum iure, qui maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent.*

4. Cum itaque nonnulli sacerdotes ab episcopali iurisdictione exempti, quos neque parochos, neque animarum curae addictos esse constaret, ausi fuissent aliquibus Christifidelium matrimoniis interesse, sine praevia Episcopi aut parochi licentia, quaesitum fuit, utrum huiusmodi sacerdotum correctio, atque in eosdem animadversio ad Episcopum, an vero ad eorum Superiores privative spectaret; cumque hi privativum eiusmodi ius ex eo deducerent, quod Tridentina Synodus *loc. cit.*, dum facultatem tribuit Episcopis corrigendi et puniendi sacerdotes ab eorum iurisdictione exemptos, in his, quae ad animarum curam et Sacramentorum

administrationem pertinent, de iis dumtaxat sacerdotibus loquitur, qui vel parochi sunt, vel animarum curam exercent, cuiusmodi sane ii non erant, de quibus agebatur: futilem hanc vanamque praesumptionem reprimere statuit fel. rec. Praedecessor Noster Gregorius Papa XV., ac de consilio Congregationis Sacri Concilii Tridentini Interpretis, edita Constitutione, quae incipit *Inscrutabili*, data nonis Februarii anno Incarnationis Dominicae 1622. decrevit ac declaravit, « ut deinceps tam Regulares, » quam saeculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam » personarum saecularium monasteriis, seu domibus regularibus, » aut quibusvis aliis ecclesiis, vel beneficiis, sive regularibus, » sive saecularibus incumbentem exerceant, sive alia ecclesiastica » Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, praevia Episcopi li- » centia et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exer- » citio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis » administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant, » in his, quae eiusmodi curam, seu administrationem concernunt, » omnimode iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani Epi- » scopi, tamquam Sedis Apostolicae delegati, plene in omnibus » subiiciantur. »

5. Hac controversia per Constitutionem Gregorianam e medio sublata, non ideo ab aliis quaestionibus et litibus circa idem rerum genus promovendis cessatum fuit, pluraque dubia tam in Congregationibus S. R. E. Cardinalium, quam in auditorio Rotae frequenter agitata et resoluta fuerunt, circa peculiarium quorumdam actuum naturam, an scilicet iidem censendi essent ad animarum curam, seu ad Sacramentorum administrationem pertinere; et consequenter, an Episcopus in visitandis Regularium ecclesiis, quibus imminet animarum cura personarum saecularium, posset, nec ne, suam circa huiusmodi actus iurisdictionem exercere, tum etiam, an hoc aut illud monasterium dici posset ordinaria et principalis sedes Abbatis generalis, seu Capitis Ordinis, ideoque ecclesia huiusmodi monasterio adnexa, quamvis parochialis foret, Episcopo in visitatione subiecta non esset. Cum igitur resolutiones in praedictis Curiae Nostrae tribunalibus circa huius generis quaestiones identidem captas, earumque rationes et fundamenta diligenter et considerate perpenderimus, consilium quoque et sententiam audierimus aliquot ex venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, aliorumque virorum in iuris canonici

scientia praestantium; nonnulla super his de Apostolicae potestatis plenitudine decernere deliberavimus, ac praesenti Nostra Constitutione inviolabilem quandam normam praefinire, qua posita, omnes de cetero lites et controversiae praedictis de rebus, si fieri possit, penitus eliminentur, atque omnia submoveantur obstacula, quae debitam decretorum Sacri Tridentini Concilii exsecutionem in re tam gravis momenti impedire aut retardare hactenus consueverunt.

6. Optimo sane consilio ab Episcopis pastoralem visitationem aggredientibus praemitti solent in singula dioecesis loca aliqui sacerdotes missionarii, qui ante ipsorum adventum praedicationibus verbi Dei et administratione Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae spiritualem populorum profectum et animarum salutem, qui potissimus est pastoralis visitationis scopus, studeant promovere. Inventi sunt autem ex iis Regularibus, quorum ecclesiis incumbit parochialis saecularium cura, qui in dubium revocarent, an huiusmodi missionarios, sive saeculares sive alterius Instituti vel Ordinis Regulares, ab Episcopo missos tamquam visitationis suae praenuntios, in propriis ecclesiis et domibus ad exercenda munera eisdem commissa admittere et recipere ipsi tenerentur. Quod dubium, quum in Congregatione S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita examinatum fuisset sub die 31. Augusti anni 1668., affirmative resolutum fuit; ut scilicet praedicti missionarii etiam a regularibus parochis seu curatis libenter excipi debeant, omnibusque rebus iuvari, quibus ad iniunctum sibi onus adimplendum opus illis esse contigerit. Quod Nos quoque probamus, et auctoritate Apostolica confirmamus, atque in posterum (quoties id opus esse, prudenti Episcopi arbitrio iudicatum fuerit) ab omnibus huiusmodi parochis seu curatis praecipimus observari.

7. Sed et in ipso visitationis cursu, atque etiam extra illam, aliqui Regulares de suorum privilegiorum et exemptionum indemnitate plus nimio solliciti, hanc Episcopis controversiam moverunt, utrum iis liceret, in ipsorum Regularium ecclesiis sive parochialibus, sive non parochialibus Sacramentum Confirmationis administrare; quae quidem controversia in Congregatione Concilii, partibus plenissime auditis, pro Episcopis decisa fuit, quemadmodum et Nos generaliter et sine exceptione eamdem definimus.

8. In exsequenda vero pastorali visitatione ecclesiarum parochialium, quae a Regularibus administrantur, minime quidem licet Episcopo omnia ecclesiarum huiusmodi altaria visitare, sed illud dumtaxat, in quo Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum; fontem quoque baptisterii, si adsit, item confessionale, in quo parochus ad audiendas confessiones residere solet; pulpitum ecclesiae, e quo parochus ius habet verbi Dei iuxta praecipuum ministerii sui munus annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiae, ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro Sacramentis tam intra ecclesiam, quam extra illam decenter administrandis; sepulchrum excipiendis subditorum parochiae corporibus addictum, coemeterium parochianorum humandis cadaveribus destinatum, turrim campanariam, dummodo in ea sint campanae ad parochiam proprie spectantes; ac demum, praeter res supra enuntiatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulae consecratae servantur, vel sacra Olea sive in Baptismo, sive in Extrema Unctione adhibenda, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta, quae pro ingredientium aspersione ad ecclesiae fores poni consuevit.

9. Visitationi locali proxima est ea, quae personam respicit parochi; cuius quidem, si Regularis sit, agendi rationem in iis, quae spectant ad observationem proprii ipsius regularis instituti, non est Episcopi inquirere, quum ad ipsius Superiorem regularem privative id pertineat. Licet tamen Episcopo, vel potius ipsi specialiter incumbit ipsius parochi seu curati, etiam Regularis, vitam ac mores scrutari, quatenus ea, quae extra claustrum prodierint, rectoris animarum exempla, plurimum conferre ad populi aedificationem, vel contra eidem obesse maxime possunt, quemadmodum alias eadem Concilii Tridentini Congregatio sapienter decrevit, et Nos etiam earumdem praesentium tenore decernimus et statuimus.

10. Ad personalem quoque parochi visitationem, proindeque ad Episcopi ius et officium pertinet, ea occasione examinare, an titulo legitimo parochus etiam Regularis animarum curam exerceat, an residentiae lex ab eo observata fuerit atque observetur; an ad Synodum vocatus iverit; an congregationes seu conferentias super casibus conscientiae haberi solitas frequentet; an onera, quae secum fert animarum cura, adimpleverit; ac inter alia, an Missam pro populo applicaverit diebus festis de praecepto; an iis-

dem festis diebus omnia praestiterit, quae a sacro Tridentino Concilio praescripta sunt, populum verbi Dei praedicatione, et pueros in fidei rudimentis christianaeque doctrinae praeceptis in struendo; an, statis diebus, excipiendis fidelium confessionibus vacet; an aegrotantibus et in extremo vitae agone laborantibus debita spiritualia subsidia sedulo praestet, et Sacramenta Ecclesiae tempestive conferat; an pueros et puellas ante susceptionem Sacramenti Confirmationis, tum etiam ante primam eorum communionem opportunis instructionibus erudierit; an, priusquam fideles ad matrimonia in faciem Ecclesiae celebranda admittat, debitas inquisitiones adhibuerit, atque adhibeat, quibus tuto deprehendere possit, nullum inter contrahentes impedimentum existere, eosdemque libere matrimonio consentire, ac demum in doctrina christiana, maxime vero in praecipuis religionis Nostrae mysteriis, illos instructos esse; denique an parochus apud se recte ordinatos retineat libros tum baptizatorum, ubi fons baptismalis adsit in ipsius ecclesia, tum sacro Chrismate confirmatorum, libros etiam matrimoniorum, et status animarum.

11. Uno verbo, quidquid Episcopus a parocho saeculari exquirere atque exigere solet ac debet, id omne, regulari observantia unice excepta, a parocho regulari exquirere et exigere potest; atque ubi huic muneri suo defecisse compererit, opportuna decreta condere et pronuntiare, ac meritas in eumdem poenas statuere; in quo nihilominus Episcopi facultates minime privativae sunt, sed Praesul regularis ius cumulativum cum ipso habet; ita tamen, ut, si aliter a Superiore regulari, aliter ab Episcopo decerni contingat, huius, non vero illius decretis sit standum, prout alias a Congregatione Tridentini Concilii interprete iudicatum fuit, Nosque auctoritate Apostolica probamus, confirmamus atque decernimus. Privativum tamen Episcopi ius est in parochianorum mores inquirere, ac si quae inter ipsos scandala oborta fuerint, auditis proborum ac prudentium virorum sinceris relationibus, de iis cognoscere, eaque opportunis remediis resecare et reformare: nec enim Superioribus regularibus in huiusmodi saeculares parochiae subditos ulla competit iurisdictio.

12. Eveniente autem casu, quo vel Episcopus, vel Superior regularis aliquem ex praedictis parochis ab exercitio curae removendum, eademque privandum esse iudicaverint; quoniam hu-

iusmodi parochis, sine praevia Episcopi approbatione, ad curam animarum accedere nequaquam licet, quamvis a suis Superioribus deputati, iidemque ad nutum sint amovibiles; dubitatum propterea fuit, an Episcopus posset ad huiusmodi remotiones procedere sine Superioris regularis consensu, et an remotionis causas eidem adducere, easque verificare deberet; tum etiam an regularis Superior ad similem remotionem et privationem suo iure deveniens, consensum Episcopi exquirere, suasque agendi rationes illi notas atque probatas facere teneretur. Qua de re supradicta Cong. Conc. decrevit, huiusmodi parochos tam ab Episcopo, quam a Superiori regulari, aequo iure, non requisito alterius consensu, ab animarum cura removeri posse, nec unum alteri causas iudicii sui aperire, multoque minus probare et verificare debere. Id quod a Nobis in omnibus approbatur et confirmatur.

13. Postquam vero Tridentina Synodus loco superius laudato declaravit, praedictos curatos seu parochos tam saeculares, quam regulares, animarum curam exercentes in monasteriis seu domibus religiosis, quibus huiusmodi cura personarum saecularium incumbit, subesse debere immediate in iis, quae ad dictam curam et Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni Episcopi, (quod quidem, iuxta magis receptam tribunalium huius Nostrae Curiae sententiam, intelligitur de iurisdictione Episcopi ordinaria, non vero de delegata); illa tamen monasteria seu loca ibidem a Concilio excipiuntur, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos exercent; salvo nihilominus eorum Episcoporum iure, qui alia quapiam ex causa seu titulo maiorem in praedicta loca vel personas iurisdictionem exercent. Quare nonnullis Episcopis contendentibus, licere sibi, saltem tamquam delegatis a Sede Apostolica, in parochos praedictos, sive in parochianos aliquem iurisdictionis actum exercere, Congregatio Concilii respondit, quod, ubi Abbas aut Superior regularis suam probat iurisdictionem episcopalem et temporalem in ipsos parochos et parochianos, et contra Episcopus probare nequit ampliorem in eosdem iurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam fuisse, abstinere omnino debet Episcopus tam a visitatione, quam ab alio quocumque iurisdictionis actu in huiusmodi parochos et parochianos. Quod quidem, veluti ipsius Concilii decretis consonum, Nos etiam Apostolica confirmatione roboramus.

14. Similiter ab Episcopi iurisdictione, visitatione et correctione, etiam in his, quae ad animarum curam et Sacramentorum administrationem spectant, praedicta sancta Synodus excipit tam saeculares quam regulares parochos, qui animarum curam exercent in iis monasteriis seu locis, in quibus Abbates generales aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent. Quae exceptio, sive limitatio, pluribus controversiis occasionem praebuit. Et primo, an ad inducendam huiusmodi exemptionem ab episcopali visitatione satis sit, quod in aliquo monasterio resideat Abbas regularis, licet is Ordinis sui Generalis non existat. Super quo praefata Concilii Congregatio pronuntiavit, non sufficere Abbatis cuiuslibet residentiam, nisi sit Abbas totius Ordinis sui Generalis. Tunc enim Tridentinum Concilium simplices Abbates aut Regularium Superiores nominat, quum ab Episcopi iurisdictione ac visitatione eximit parochos ecclesiarum seu monasteriorum, in quibus Abbates aut alii Regularium Superiores iurisdictionem episcopalem et temporalem exercent; qua iurisdictione compertum est nonnullos etiam simplices Abbates aut Superiores regulares gaudere, quamvis non sint Ordinum Generales. De Abbatibus autem generalibus, seu Ordinum Capitibus tunc loquitur eadem sancta Synodus, quum a iurisdictione et visitatione episcopali exemptos esse indulget eorum monasteriorum seu locorum parochos, in quibus Abbates generales praedicti, aut Capita Ordinum Sedem ordinariam principalem habent. Cumque ea dubio procul sit Concilii mens, in hunc plane modum semper in posterum iudicari et censeri debere statuimus: minime attenta distinctionis nota, quae in plerisque Concilii Tridentini editionibus impressis apposita conspicitur inter verbum *Abbates*, aliudque *generales*, utpote quae nullatenus reperitur in exemplari authentico actorum ipsius Concilii, quod in archivio Sedis Apostolicae in Arce sancti Angeli asservatur (1), quodque, ut genuinam huius loci lectionem certo cognosceremus, diligenter inspici fecimus, proindeque e praedictis exemplaribus impressis eadem distinctionis nota omnino est expungenda.

(1) Ne in edendo Conc. Trid. menda praevalerent, sapientissime caverunt Summi Pontifices, ut authentica eiusdem acta in arce S. Angeli Romae asservarentur. Itaque editio Mainardi Romae 1732. optima habetur, quia collata nedum cum Manutiana Angeli Massarelli, Conc. Trid. Secretarii, sed et cum ipsis actis eo loco asservatis. Vid. Baldassini, *Conc. Trid., in praefatione.*

15. Altera quaestio est, an ad obtinendam exemptionem ab episcopali iurisdictione et visitatione, sufficiat, quod aliquod monasterium Superioris generalis sedes ordinaria existat, an vero praeterea requiratur, ut ipsum monasterium sit caput Ordinis. De quo quidquid alii opinati fuerint, decernimus, sufficere, quod monasterium seu domus sit ordinaria et principalis Sedes Superioris generalis; prout a Congregatione Concilii constanter iudicatum fuit; quum verba Tridentini, de capitibus Ordinum loquentis, non ad loca, sed ad personas Praesulum regularium in locis residentium referantur.

16. Tertio dubitari contingit, an exemptio ab Episcopi visitatione, quam Tridentina Synodus, ut supra, concedit ecclesiis parochialibus eorum monasteriorum, in quibus resident Abbates generales aut capita Ordinum, ad alias quoque parochiales extendatur, quae praedictis monasteriis unitae sunt, et ab eisdem dependent. Sed quum de aliis hisce ecclesiis unitis taceant conciliaria decreta, neque porro eadem ratio honoris cuiusdam et reverentiae habendae erga Superiores Ordinum Generales in propriis monasteriis vel ecclesiis residentes, locum habeat in aliis parochialibus, eisdem monasteriis, ut praefertur, unitis; quod pluries Congregatio Concilii censuit, huiusmodi scilicet ecclesias unitas minime exemptas esse a iurisdictione et visitatione Episcopi, quamvis illae a parochis regularibus administrarentur; id ipsum Nos, praedictae Congregationis resolutionibus inhaerentes, decernimus et constituimus.

17. Quaesitum fuit quarto loco, an ratione exemptionis a iurisdictione Episcopi, quae competit supradictis rectoribus ecclesiarum residentialium Superiorum Generalium, et propter eorumdem rectorum omnimodam subiectionem iuridictioni et correctioni praedictorum Generalium Regularium ius aliquod et iurisdictio attributa sit iisdem Superioribus Generalibus in saeculares subditos huiusmodi ecclesiarum, sive parochianos; an vero dicendum sit, ius istud ad Episcopum privative pertinere. Super quo decernimus, Episcopo plenam et privativam iurisdictionem competere in parochianos, ad eumdemque Episcopum pertinere, non solum propriam auctoritatem et consensum (praevio examine per se ipsum, vel per Vicarium suum faciendo) interponere, quotiescumque Superior huiusmodi Generalis aliquem sive saecularem, sive regularem parochum seu curatum, etiam ad nutum amo-

vibilem, ad exercendam in praedictis ecclesiis animarum curam personarum saecularium deputare voluerit; sed etiam si Episcopus huiusce parochiae regimen a supradictis parochis exemptis, sive saecularibus sive regularibus, non recte administrari cognoverit, posse ipsum, et aliquando etiam debere pro sui officii munere, apud Superiorem Generalem instare, ut parochum seu curatum huiusmodi ab animarum cura removeat; implorata quoque, quatenus opus sit, Apostolicae Sedis auctoritate, si nempe Generalem praedictum aut reluctantem, aut parocho plus aequo faventem invenerit.

18. Praecipua in hac materia quaestio illa fuit, quaenam essent monasteria, in quibus Abbates generales, seu capita Ordinum, sedem ordinariam principalem habent; contendentibus nonnullis, quodlibet monasterium aut locum quemlibet, in quo Abbas generalis sive caput Ordinis manet, inibique moratur, sedem ipsius ordinariam principalem dici oportere, ita ut eiusdem monasterii aut loci parochus ab episcopali iurisdictione et visitatione immunis statim fiat. Verum vaga et arbitraria huiusmodi sedes, quae a sola Superioris generalis praesentia naturam sedis ordinariae et principalis mutuatur, tum rectae rationi, tum Concilii verbis ac sensui plane adversatur. Quapropter quum Nobis compertum sit, in aliquibus Ordinum regularium constitutionibus assignatum reperiri locum pro residentia Superioris generalis, eiusque curiae; in aliis vero Ordinibus, ubi constitutiones de eo nihil statuant, eamdem residentiam veteri consuetudine esse praefinitam: quoties de Ordinum huiusmodi Superioribus Generalibus agatur, eorum sedem ordinariam principalem, ad effectum de quo agitur, illam esse, et censeri decernimus, quae ab ipsorum Constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praedicta praescribi dignoscitur; idque tantummodo monasterium, non vero aliud, in quo, quacumque de causa, Superior generalis commoratus fuerit, pro ordinaria Generalis sede haberi praecipimus, licet ipse Generalis ibi actu non resideat.

19. Quodsi aliqui sint religiosi Ordines seu Congregationes, quarum constitutionibus, vel consuetudinibus minime praefinitum sit monasterium, in quo Abbas generalis, seu caput Ordinis residere debeat, nullum monasterium pro eiusdem Generalis sede ordinaria principali, ad effectum eximendi parochum ab Episcopi iurisdictione et visitatione, ex eo tantum haberi debere statui-

mus, quod solus ipse Superior generalis in eo degat, absque consuetis ministris, quos in Ordine regendo socios habet; sed illud dumtaxat monasterium pro sede Generalis ordinaria principali haberi volumus, quod semel ipse Superior generalis, seu caput Ordinis, initio generalatus, elegerit pro sua stabili residentia, et officialium seu ministrorum praedictorum. Verum si, facta semel huiusmodi electione, eamdem postmodum variare praesumpserit, declaramus, neque monasterium initio electum, neque alterum, etiamsi cum sua Curia eo se transtulerit, privilegia ordinariae et principalis generalitiae sedis habiturum.

20. In omnibus autem praemissis exemptionum casibus salvum semper atque illaesum esse volumus eorum Episcoporum ius, si qui supradictas parochiales ecclesias, earumque rectores visitare consueverint, nimirum tam illas, quae monasteriis seu domibus iis adnexae sunt, in quibus Generales Ordinum Superiores sedem ordinariam principalem, vel a suorum Ordinum constitutionibus, vel ab inveterata consuetudine praefinitam habent, quam eas, quae ab ipsis Superioribus Generalibus alias pro ordinaria principali residentia fuerint electae, et nihilominus, huiusmodi residentia durante, Episcopi visitationi, iurisdictioni et correctioni subiectae fuerint.

21. Decernentes praesentes Nostras Literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, ius vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, seu alias specifica et individua mentione et expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae vel sufficienter, aut ullo modo iustificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensu, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti, vel gratiae remedium intentari vel impetrari, aut etiam motu pari, et de Apostolicae potestatis plenitu-

dine simili concesso vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud, uti, seu se iuvare ullo modo posse: sed ipsas praesentes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari.

22. Sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis praedictae Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere: ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula *de iure quaesito non tollendo*, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus; necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus et indultis, etiam in corpore iuris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis personis, collegiis, locis, ordinibus, etiam militaribus, congregationibus, societatibus et institutis, etiam Societatis Iesu, et sancti Ioannis Hierosolymitani, aliisve quibuslibet specifica et individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, et cum quibusvis etiam clausulis et decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, et irritantibus in genere vel in specie, etiam motu simili, et de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialibus, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et exactissime servatis et specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum plenissime et am-

plissime motu pari derogamus, et derogatum esse volumus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, et eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes et in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta, ad valvas ecclesiae S. Ioann. de Laterano et Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariae Apostolicae Curiaeque generalis Innocentianae in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari et affigi, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere et arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatae et notificatae fuissent.

Utque earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quam extra illud, ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1744. 8. Idus Novemb., Pontificatus Nostri anno IV. – D. Card. Passioneus I. Datarius. Visa de Curia. I. C. Boschi. – L. Eugenius. – Registrata in Secretaria Brevium. Publicat. die 18. eiusdem mensis et anni.

XLIII.

Instructio Sac. Congregationis Fidei Propagandae praepositae super Missae iteratione.

(Ad pag. 465. vol. I.)

1. Facultas iterandi Missam, quam tribuere solet S. Sedes Ordinariis Missionum, quam facultatem communicare possunt suis Missionariis, non pauca excitavit dubia ab iisdem huic S. Congregationi proposita. Horum dubiorum ratio petitur ex ipso clausularum rigore, quae iussu Alexandri VII. adiectae fuerunt articulo formularum, qui de hac facultate agit. Quare opportunum visum est, colligere per praesentem Instructionem principia et

regulas communiores, quae in huius facultatis usu prae oculis sunt habendae.

2. Quisque noscit, regulam generalem esse, iuxta vigentem Ecclesiae disciplinam, fas esse sacerdoti S. Sacrificium offerre semel in die. Sic Innocentius III. (1): « Respondemus, quod » excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis sua- » deat, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo » celebrare. »

3. In casu ergo necessitatis permittitur sacerdoti Missae iteratio eodem die. Id tamen debet intelligi, ut ex ipsis formulae verbis dignoscitur, de venia celebrandi duas tantum Missas, quamvis graves concurrerent causae, quae maiorem numerum celebrare suaderent. Postulavit olim Praefectus Missionis Capuccinorum Tuneti, an uno eodemque die, si necessitas urgeret, plures quam duas Missas celebrare posset, propterea quod omnes eius Missionarii in carceres coniecti erant? Atque S. Congregatio generalis fidei propagandae praeposita die 7. Augusti 1684. respondit: « non posse vigore facultatum celebrare ultra duas » Missas. » Quod iampridem responsum fuerat in generali Congregatione habita coram Summo Pontifice die 17. Februarii 1648.; namque exposito abusu, qui invaluerat inter sacerdotes captivitate detentos in Algeria celebrandi tres Missas, « SSmus... iussit » per dictum Praefectum (Algeriae) praecipi nomine Sanctitatis » Suae sacerdotibus... quod cum Sedes Apostolica in facultatibus » Missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi » bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas » Missas celebrent. » Idem fuit repetitum anno 1818. et 1820. Praefecto Tuneti.

4. Necessitas ergo est unicus titulus, ex quo facultas sacerdotibus fit duas dicendi Missas. Expedit cum Verricelli (2) animadvertere, quod « haec necessitas non est desumenda ex parte inopiae sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et raritate sacerdotum. » Hoc principio posito, facile est quasdam negativas regulas eruere de usu facultatum, de quibus agitur.

5. 1°. Non potest iterari Missa diebus festis suppressis, quibus populus Missam audire non tenetur, quemadmodum monuit

---

(1) Cap. *Consuluisti* de celebratione Missarum.

(2) De Apost. Mission. Tit. IV. quaest. 98. Dub. 18. num. 201.

S. Congregatio anno 1837. his verbis: « Re mature perpensa, » ex ipsius formulae verbis satis clare patuit, non posse facul- » tates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memo- » rata formula declaretur, facultatem valere, si necessitas urgeat, » sequitur ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, » non posse Missam bis ab eodem sacerdote celebrari. »

6. 2°. Pariter interdicta est Missae iteratio in eorum commodum, qui vellent praecepto audiendi Missam satisfacere in suis privatis capellis. Enarraverat anno 1842. Vicarius Apostolicus Limburgensis consuetudinem in suo Vicariatu inolitam permittendi Missae iterationem in castris magnatorum; quum autem non putaret his in adiunctis eam necessitatem esse, quae a formulis exigitur, petiit, tum ratione consuetudinis, tum moralis utilitatis, quae inde proveniebat, ut sibi auctoritas fieret id permittendi. At S. Congregatio Inquisitionis iudicavit: « iuxta exposita non expedire ». Quum autem subiunxisset Vicarius Apostolicus, aliquos sacerdotes ex praehabita facultate ab eius Praedecessore iterationem Missae prosequi, eadem S. Congregatio decrevit: « facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet. »

7. 3°. Ex huiusmodi resolutionibus infertur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem sacerdos offerre bis possit uno eodemque die S. Sacrificium. Quod etiam consonat cum eo quod docuit Benedictus XIV. in Const. *Declarasti nobis*, data die 16. Martii 1746. ad Episcopum Oscensem his verbis: « So- » lum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem praescriptionis » sibi aut praesumptionis comparaverit, et utrumque falsum et » alienum iudicamus. » Et ad praescriptionem quod attinet, scripsit: « Si etenim iuxta civiles leges sanctae res praescribi » non possunt, absonum undique est asserere, fuisse per prae- » scriptionem aliquid obtentum vel acquisitum, quod adversetur » sanctionibus universalibus Ecclesiae, quarum observantiam » S. Concilium Trid. in Missarum celebratione sacerdotibus om- » nibus praecipit. » Ad praesumptionem autem quod attinet, subiunxit: « Sed ceteris praetermissis subdimus haec intelligi posse » de illis privilegiis, quae impetrari potuissent a Sede Aposto- » lica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quae cum postu- » lantur, negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus ha- » beat roboris et momenti quam veritas. » Inde est, quod S. Con-

gregatio, quum cognoverit aliquo in loco inolitam esse consuetudinem iterandi Missam sine necessitate, non omisit eiusmodi reprobare consuetudinem tamquam abusum, zelum Episcoporum excitans ad eam eliminandam.

8. 4°. Etiam presbyterorum paupertas non iustificat Missae iterationem, ut cum Verricelli (1) indicatum est. Quidam Hiberniae Archiepiscopus anno 1688. petiit: « An ex sola paupertatis causa possent Regulares duas Missas diebus festis celebrare id facientes in privatis domibus, quamquam omnes paroeciae et conventus proprias ecclesias et capellas haberent. » S. Congregationis responsum negativum fuit: quum autem relatum esset particulari Congregationi Fidei Propagandae habitae tum die 7. Martii 1743. tum die 28. Iulii 1750, eiusmodi abusum in Hibernia adhuc vigere, quod multi sacerdotes utebantur facultate iterandi Missam non alia de causa, quam ut pinguiores eleemosynas perciperent, atque inde commodius se sustentarent, Emi Patres decreverunt: « Graviter moneantur sacerdotes, ne » facultate celebrandi bis in die abutantur, ut stipendium largius » et pinguius habeant. » Et a Benedicto XIV. (2) appellatur *abusus intolerabilis* concessio alicui sacerdoti facta iterandi Missam » eum in finem, ut duplici eleemoyna decentius se sustentaret. » Solum ut aliquem morem gereret pauperibus Religiosis eius regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta in Synodo provinciali Tuamensi ob damnum inde proveniens sublata sibi eleemosyna, quam Missae occasione percipere solebant ad ecclesiae ianuas, cum ipsi viverent ex fidelium oblationibus, S. Congregatio voluit, ut monerentur Episcopi, ut, « in impertienda de » auctoritate Apostolica sacerdotibus licentia celebrandi diebus fe» stis de praecepto duas Missas ob causas necessitatis ab Aposto» licis Constitutionibus approbatas rationem habeant sacerdotum » regularium ac praesertim illorum, qui in pauperibus coenobiis » moram trahunt. » Ceterum cum declaraverit S. Congregatio Concilii: « ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosy» nam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur, qui » parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa » nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur, »

(1) Loc. cit.

(2) Const. *Apostolicum ministerium* 30. Maii 1753. §. 11.

ut notificatum est per literas circulares S. Congregationis Fidei Propagandae praepositae die 15. Octobris 1863. Ordinariis Missionum, dubium omne ac quilibet obtentus iterandi Missam intuitu stipendii sublatus est. Habita tamen ratione circumstantiarum quarumdam Missionum, SSmus Pater dignatus est auctoritatem facere, ut constat ex dictis Literis circularibus, earum Ordinariis ad permittendum, « ut iusta et gravi causa interce-» dente sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in ea-» dem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant.»

9. 5°. Denique interdicta est sacerdoti Missae iteratio, si alter haberi possit sacerdos, quo satisfiat populi necessitati, ceu expresse docet Benedictus XIV. in citata Constit. *Declarasti nobis*. Atque inde est, ut, priusquam admittatur Missae iteratio, videndum sit, an aliquod medium iure constitutum suppetat ad prospiciendum spirituali populi necessitati: atque in primis tenetur ipse parochus ad dandum stipendium alteri sacerdoti; posita autem eius impotentia, tenetur populus; et denique, si neque populus ob suam paupertatem cogi posset, Ordinarius supplere teneretur (1).

10. Hactenus de casibus, in quibus prohibita est Missae iteratio. Ad casus quod attinet, in quibus ad iterandam Missam necessitas concurrit, hi sunt expositi in Constit. *Declarasti nobis*. Hac in Constitutione consideratur in primis, iuxta unanimem Theologorum consensum permitti iterationem Missae sacerdoti, « qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo seiunctos, » ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo » modo possit ob locorum maximam distantiam. » Atque hic est primus et communior casus: alter, qui ibidem recensetur, est, « quando una tantum sit ecclesia, in qua Missa celebratur, et » ad quam insimul universus populus convenire non potest. »

11. In his casibus iterari Missa potest etiam ab iis, qui facultate non sunt donati per formulas, quae concedi solent per S. Congregationem fidei propagandae praepositae, cum id concedat ipsum commune ius, semper tamen dependenter ab Ordinario, ad quem pertinet iudicium de vera necessitate deque possibilitate applicandi canonica remedia (§. 9). Revera eiusmodi me-

(1) Bened. XIV. l. c. Votum Card. Zelada *Thesaur. Resolutionum*, t. 37. in causa Derthusen. 26. Aug. 1768.

diis indicatis Benedictus XIV. subiungit : « Quae hucusque » dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innitun- » tur. » Quin imo concors est theologorum opinio, quemadmodum et ipse Benedictus XIV. animadvertit, in casu unius parochi cum duabus paroeciis, « parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare (1). » Ex quibus facile consequitur, articulum formularum, cum sit facultativus, protendi ad alios quoque casus necessitatis in communi iure non consideratos; secus enim inutilis ille articulus evaderet, saltem pro iis locis, in quibus paroeciae sunt canonice erectae, ipso iure communi pro his paroeciis disponente. Quod consonat cum eo, quod docet Benedictus XIV. in opere De Sacros. Missae Sacrificio (2), in quo facta mentione : « casum, qui revera contingit, eum esse, cum parochus duas habet parochias » etc., his verbis prosequitur : « Neque tamen quidquam praeiudicatum volumus de aliis » casibus, qui accidunt in Missionibus, quibus consultum est » concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas » eodem die ; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob loco- » rum distantiam, vel ob paucitatem sacerdotum, aut haereti- » corum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, » opus est a sacerdotibus duas Missas celebrari. » Et de huiusmodi quidem causis, quae locum in Missionibus habent, pro quibus Missionum Superioribus datur facultas, agebatur anno 1832., cum ad quendam Missionarium Philippopolitanum, qui non iterabat Missas, quamvis variis populis praesideret, scriptum fuit, iniuncta scilicet Missae iteratione, etiam ex mandato generalis S. Congregationis, adiungebatur : « Si autem quaeras, cur fa- » cultati iterandi Missam in formula indulti adiiciantur illae ri- » goris clausulae, invenies in ipsa formula responsum : obser- » vabis enim indultum non coerceri ad populi indigentias diebus » tantum festivis ; sed quum generalibus terminis contineatur, » comprehendere quoque alios casus, de quibus agitur, quemad- » modum esset necessitas administrandi infirmis Viaticum in » utraque paroecia, et in huiusmodi aliis casibus locum habere » debere praescriptas cautelas. »

---

(1) De Syn. diœc. L. VI. c. VIII. n. 2.
(2) Lib. III. c. V. n. 4.

12. Atque in huiusmodi singillantim casibus minus frequentibus in usu eius facultatis identidem implexi reperti sunt Episcopi et Missionarii ; de causarum praesertim sufficientia dubitantes, quae requirerentur iuxta clausulas facultati adiectas. At vero tot tamque varii sunt casus, qui de hac materia in Missionibus possunt contingere, qui praevideri facile haud possunt, multoque minus reduci ad determinatas regulas; de iisdem enim iudicium variari potest iuxta dispares locorum, temporum personarumque concurrentes circumstantias. Haec est ratio, cur dubiorum particularium resolutio, quae hac de re sunt proposita, plerumque remissa est prudenti Superioris Missionum arbitrio.

13. Pluries regula postulata est de numero fidelium, qui esset satis, ut Missa iterari posset. In Constit. *Apostolicum Ministerium* edita pro Anglia dicitur, eiusmodi facultate posse uti, « cum » eorum numerus, qui diebus festivis tenentur sacris assistere, » talem exhibeat necessitatem, ut, nisi alicui sacerdoti duas Missas » eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiae mandato » plures non satisfacerent. » Eiusmodi tamen generalis norma dubium non aufert de numero iterationi necessario. Idem repeti potest de quodam negativo responso S. Inquisitionis anno 1688. dato quibusdam Missionariis Capucinis in Graecia. Hi quaesiverant: « Utrum Missionarius sacerdos solus in loco degens duas » Missas diebus Dominicis et festivis pro quindecim seu viginti » personis, quae legitime impeditae primae Missae adesse non » valuerunt, celebrare possit ; » et Suprema S. Inquisitio die 28. Ianuarii eiusdem anni decrevit : *non licere*. Si itaque numerus viginti fidelium haud satis existimatur, ut Missa iteretur, ulterius quaeri potest, quinam sit minimus numerus, qui sufficiat.

14. Sed circa eiusmodi dubium, quemadmodum circa ea, quae distantiam respiciunt, S. Congregatio in more habuit, resolvenda haec esse prudenti Ordinariorum Missionum arbitrio, a quibus facultas pendet; ipsi enim in locis, in quibus sunt, recte aestimare possunt concurrentes circumstantias in singulis casibus. Et sane usque ab anno 1688. Praefectus Missionis Tuneti in Mauritania generatim postulabat, ut declararetur, qualis esse numerus fidelium deberet, qui Missa privarentur, ut Missa iterari posset; et S. Congreg. generalis Fidei Propagandae die 16. Novembris respondit: *Relinquatur caritati et conscientiae P. Praefecti*. Similiter Episcopus S. Ludovici in Statibus Americae foe-

dere iunctis anno 1828., exposito suo aliorumque Episcoporum timore propriam conscientiam gravandi ob formularum clausulas, postulavit: « utrum, quoties triginta aut quinquaginta fideles pe» riculo exponuntur Missam de praecepto non audire, bis cele» brare valeant: » iussu Leonis XII Literis datis die 13. Martii rescriptum est: « omnem te anxietatem animi deponere debere, » et quin commovearis verborum rigore, Se (Sanctitatem Suam) » conscientiae ac prudentiae tuae committere, ut iudices, quibus » in casibus ratione habita adiunctorum dioecesis tuae graves » adesse causae censendae sint, facultatem, de qua sermo est, » sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secun» dum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, San» ctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti, » benigne declaravit. »

15. Similis quoque responsio data est anno 1851. Vicario Apostolico Limburgensi, qui dubium super distantia sic proposuerat: « In hac regione ex antiqua consuetudine binandi li» centia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet » parochia vicinior non distet ultra spatium mediae leucae; quae» ritur num recte? » Sacra Congregatio suis literis die 31. Iulii respondit: « Praemisso, Episcoporum esse muneris pro viribus » curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succurrendum fide» lium necessitatibus, praxis generalis servanda in singulis casi» bus assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra par» ticularibus, deficiente presbyterorum copia, aliisque omnibus » circumstantiis mature perpensis, prudenti iudicio Superioris » definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum ad» iuncta, quae tradunt Doctores necessitatis casum efficere (uti » propositus videtur), in quo dispensationi a praecepto univer» sali de non iterando Sacrificio ab eodem presbytero eadem» que die locus fiat, et binandi facultati tribuendae, qua parce » omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius Indulti verbis » apprime perspicitur. » Atque haec Instructio iisdem verbis data fuit Episcopo Trevirensi anno 1853., cuius nomine varia dubia de Missae iteratione proposita fuerant; rescriptum enim ei fuit die 28. Septembris, quod eius quaesitis consideratis, « censuit » S. Congregatio, dandam esse instructionem, quam... Vicarius » Apostolicus Limburgensis obtinuit sub die 31. Iulii anno 1851. »

16. Ceterum inter varia responsa, quae iudicio Superioris

remittunt causarum gravitatem, nonnullae peculiarem mentionem merentur; eiusmodi sunt illae, quae, dum sequuntur consuetam regulam remittendi Superioris iudicio causarum aestimationem, indicant simul aliquo modo genus seu necessitatis gradum, quem iteratio Missae postulat, atque identidem aliquatenus temperant impressionem atque leniunt nimiam animi anxietatem, quam Episcopis et Missionariis illae clausulae creaverant, quibus haec facultas coercetur. Unum ex eiusmodi responsis datum est anno 1848. ad Episcopum in Statibus Americae foedere iunctis; datis enim literis die 9. Maii sic est rescriptum: « Venio ad postulatum » tuum circa modum interpretandi necessitatem, quae requiritur » ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi.... » Noverit ergo Amplitudo Tua necessitatem huiusmodi, de qua » sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem » absolutam, de qua proinde diiudicare in singulis casibus pen- » det a prudenti iudicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo » oportet hac in re ab anxietate nimia in diiudicando, ne frustra » concessa aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas » praedicta videatur. » Notatu dignior est declaratio, quae facta est anno 1828. ad quendam Praefectum Apostolicum in Antillis Americae. Cum enim ille haud fideret tranquille uti facultate, de qua agitur, ob graves conditiones, quibus constringitur, imploravit « ampliorem facultatem a Sede Apostolica co- » piam faciendi presbyteris.... ut diebus Dominicis et festis de » praecepto Missam bis celebrare possint, cum id postulet ne- » cessitas aut spiritualis fidelium utilitas. » Facta huius rei relatione R. Pontifici die 13. Aprilis, responsum est eo modo, qui sequitur: « Talis existimatio est virtutis et prudentiae tuae, ut » SSmus D. N. iusserit, omnem deponere te debere anxietatem » animi, et si existimaveris necessarium esse, vel fidelibus ve- » hementer utile, ut sacerdotes bis Missam eodem festo die ce- » lebrent, verborum, quibus Rescriptum contineri videtur, rigore » commoveri te non debere. Prudentiae itaque et conscientiae » D. T. committit de necessitate ista et causarum gravitate iu- » dicare atque in iis rerum adiunctis facultatem per memoratum » Rescriptum copiam faciendi sacerdotibus, ut Missam bis cele- » brent, te habere Sanctitas Sua benigne declaravit. »

17. Eadem regula committendi arbitrio aut caritati Superioris Missionum applicationem generalium principiorum practicis

casibus servata quoque est, quando in ipsis, prout exponebantur, non appareret ea causarum vis et gravitas (saltem si hae causae considerarentur in se et in abstracto), quam huius facultatis clausulae exigant; quod quidem confirmat, in causis considerandis, quae usum facultatis suadeant, magnam rationem habendam esse omnium conditionum statusque fidelium. Huius rei argumento est responsio a S. C. data anno 1688. Vice-Praefecto Missionis Tripolitanae. Hic ob clausulas incertus quaesierat: « cuinam numero servorum aut liberorum posset praecise » celebrare Missam secundam, quum interdum daretur casus, ut » in balneo extra Tripolim praesentes Sacrificio non adessent » plures quam decem aut duodecim servi... et an in Presbyte- » rorum carentia pro illis solis posset celebrari secunda Missa » diebus festis? » At quin obstaret resolutio eodem anno data a S. Congregatione Inquisitionis, ut notatum est superius §. 13, S. Congregatio Fidei Propagandae praeposita die 5. Octobris respondit: *Relinquatur charitati et conscientiae P. V. Praefecti.* Neque mirum esse debet, si haec S. Congregatio benigniori interpretationi indulsit; agebatur enim de servis, qui ob hanc suam conditionem peculiarem indulgentiam merebantur, quum unicum fortasse solatium eis esset S. Sacrificium. Aliud eiusmodi argumentum, ratione circumstantiarum habita, anno 1860. suppeditavit S. Inquisitio; namque licet die 20. Iunii responderet Vicario Apostolico cuiusdam regni Sinis adiacentis « desi- » derium neophytorum bis aut ter in anno SSmam Eucharistiam » sumere volentium *per se* non esse urgentissimam causam, in » casu, de quo agitur », idest iterandi Missam iuxta facultatem; attamen subiunxit: « sed pensatis omnibus locorum et perso- » narum circumstantiis relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii » Apostolici. » Ex quibus eruitur, eas causas, quae per se atque proinde multis in locis graves non sint, graves evadere posse in aliis locis ob circumstantias, quae casum concomitentur.

18. Haec sunt principia, quae prae oculis sunt habita quoad facultatem Missam iterandi, quaeque profecto in eiusdem facultatis exercitio Missionum Ordinarios tranquillabunt. Quamvis autem prudenti Ordinariorum Missionum arbitrio deferri soleat, attamen ex hactenus dictis apparet, quanta cautela ipsi uti debeant; quum semper eorum conscientia onerata maneat in exercitio huiusmodi extraordinariae facultatis. Nihilominus repetere

hic iuvabit, quod S. Congregatio anno 1832. ad Episcopum Nicopolitanum in Bulgaria rescripsit, clausulas in formulis adhibitas « intelligendas haud esse in extremo rigore, habito prae » oculis principio, Sedem Apostolicam dictam facultatem conce- » dere in bonum spirituale fidelium, cupientem, ut omnes prae- » ceptum ecclesiasticum adimplere facile possint. »

19. Superest nunc de ritu dicere seu de modo, quo iterari Missa possit. Semper a S. Congregatione Missionariis fuit praescriptum atque a Benedicto XIV., eum, qui Missam iterat, consuetas calicis ablutiones sumere non debere ob ieiunium, ita ut « si in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis, pro- » fusionem acceperit, non debeat secundam Missam in praedictis » casibus celebrare » (1): id est etiam in iis casibus, in quibus populus Sacrificio privaretur diebus festis. Quamvis autem in decreto S. Congr. SS. Rituum in *Elusitana* die 16. Septemb. 1815. praescriptum esset, ut unus tantum esset calix, quo uti debeat, qui duas celebret Missas; quum tamen eiusmodi decreti exsecutio haud levibus difficultatibus esset obnoxia, quando celebrari deberet in duabus ecclesiis ab invicem remotis, eadem S. C. in comitiis habitis die 12. Sept. 1857. pro moderamine dicti decreti rescripsit: *usum duorum calicum in casu posse permitti.* Instructio, quae heic adiicitur (2), iussu eiusdem Sacrae Congregationis SS. Rituum concinnata, modum respicit purificandi calicem, qui pro prima Missa inservierit.

Ex Secretaria S. Congregationis Fidei Propagandae praepositae die 24. Maii 1870.

XLIV.

Benedicti PP. XIV. Literae Apostolicae Si datam *d. d. 4. Mart. 1748. de ordine servando in causis super nullitate professionis regularis.*

(Ad pag. 32. vol. II.)

Summarium. Prooemium. Methodus a Sanctitate Sua praescripta in causis matrimonialibus. Ex eisdem rationibus statuit novum ordinem praescribere pro iudiciis super nullitate professionum Regularium. – 1. Reclamatio adversus professionem intra quinquennium quatenus admittatur ex decreto Concilii Tridentini. Quod decretum etiam moniales compre-

(1) Ex Conc. Nemausen. habito anno 1284. apud Bened. XIV. *de Sacr. Missae Sacrif.* L. III. cap. V. n. 4.

(2) Vide vol. VI. pag. 569. ephemeridum *Acta S. Sedis.*

hendit. – 2. Et procedit aeque in casu actionis intentatae ex parte Religionis. – 3. Quinquennium computatur a die professionis, etiam in casu metus permanentis, et impedimenti ad reclamandum. – 4. Actio intentata intra quinquennium licet deserta, tamen iudicatur ab Ordinario et a Superiori regulari. – 5. Regularis Superior ad effectum etc. intelligitur Superior localis de tempore motae litis. Item pro monialibus, nisi immediate subsint Ordinario. Superior regularis abstinere nequit a iudicio. Potest tamen alteri suas vices delegare. Dissentientibus inter se iudicibus causa devolvitur ad Sedem Apostolicam. – 6. Ad eandem Sedem privative pertinent causae professionum emissarum extra coenobia pro novitiatu assignata. – 7. Apostatae repelluntur a limine iudicii, nisi ad religionem redierint etc. – 8. Iudicium inniti debet rigorosis probationibus et processibus iudicialibus. – 9. Citari debent defensores monasterii, et omnes interesse habentes. Defensor professionis ex officio deputandus. Cuius expensis operam praestare debeat. – 10. Defensoris partes eaedem in ulterioribus instantiis. A prima sententia pro nullitate data semper appellari debet. – 11. Unicae sententiae pro nullitate professionis prolatae exsecutio suspenditur. – 12. In secunda et ulteriori instantia causae devolvantur ad quos de iure. Alter regularis Superior ad iudicandum assumendus, non tamen quando causa cognoscitur apud Sedem Apostolicam. – 13. Praemissa locum habent etiam in tribunali Reverendissimi Cardinalis Vicarii Urbis. Post quinquennium omnis instantia adversus professionem olim reiecta. – 14. Inductum postea remedium restitutionis in integrum a sola Apostolica Sede concedendum. Eius concessio tamen iudicibus inferioribus aliquando delegata. – 15. Antiqua praxis concedendi restitutiones in integrum. Ea nunc non conceditur, nisi praevio processu et examine causarum. Sententiae iudicum ordinariorum plerumque conformes sunt iudicio super restitutione in integrum. – 16. Defensor professionis assistere debet tam confectioni processuum de causis restitutionis in integrum, quam examini causarum apud Sanctam Sedem. Examen huiusmodi duplex requiritur antequam Ordinarius et Superior procedere valeant. Quamdiu reclamans in Religione manere debeat. – 17. Praemissorum observantia iniungitur omnibus ad quos pertinet, ac Superioribus regularibus observantia canonum, constitutionum et regularum, utque Religionis et professionis defensionem non deserant. – 18. Episcopi procedant contra inferentes vim et metum. Iudices omnia expendant ad normam iuris. – 19. De variis quaestionibus in hac materia occurrentibus examen instituetur. – 20. Clausulae pro perpetua praesentium firmitate. Quibuscumque in contrarium non obstantibus.

Si datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quae ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere ac violare non

licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque praesertim, utpote sacrarum legum custodes a Deo constitutos, oportet earum pactionum, quae divino et ecclesiastico iure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem et observantiam asserere. Eam ob rem iam usque ab anno Incarnationis Dominicae 1741., Pontificatus Nostri II., Apostolicas Literas dedimus, incipientes *Dei miseratione,* in Bullario Nostro deinde editas *Tom. I. num. 33.,* quibus certum praescripsimus ordinem, in tribunalibus ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti et definiri deberent causae, in quibus de nullitate alicuius matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut, si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate iudicium postulari, aut fieri prohiberemus, sed ut in hoc gravissimo iudicii genere, in quo de sacro connubiorum foedere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque iudices, non sine certissima cognitione omnium, quae ad rem maxime conducunt, huiusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile, sententiis suis tamquam irritum ab initio dissolverent. Cuius quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur: quum ex eo tempore, neque tot causae super praetensa matrimoniorum nullitate in tribunalibus pendeant, nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super matrimonio rato et non consummato: dum scilicet ante omnium oculos propositae sunt difficultates paulo quidem maiores, sed omnino iustae, quae, ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superandae se offerent, antequam optatum finem assequatur.

Quemadmodum itaque pro matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de religiosis videlicet utriusque sexus Regularium professionibus, pari ratione statuere decrevimus: nimirum certam normam ac methodum tradere, quam observare debeant iudices ecclesiastici, quoties iudicia super nullitate professionum in aliquo Ordine regulari a Sede Apostolica approbato factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui iustis de causis huiusmodi actiones intentare velint, ac postulent, professionem a se factam ex capite nullitatis irritam declarari, sed, ut ipsi iudices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque sententias indubiis fundamentis innixas pro-

ferre valeant; ac ne unquam ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte, valida solemnium votorum professione emissa, religioso Ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut et rariores in posterum in tribunalibus futurae sint causae super praetensa professionum nullitate; et qui deinceps huiusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, et consequenter a Religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad officium Poenitentiariae Nostrae Apostolicae, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato (ut moris est) in precibus nomine, fatentes sententiam super professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto iudice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia et dispensatione Apostolica facultas manendi in saeculo ipsis indulgeatur.

1. Ut autem ordinate procedamus, distinguendum initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factae professionis de illius nullitate actionem promovent; et eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum sacrae Tridentinae Synodi *Sess. 25. de Regular. cap. 19.* in haec verba: *Quicumque Regularis praetendat, se per vim et metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit coram Superiore suo et Ordinario.* In quo sane decreto, licet in litera virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam feminae Religionem professae comprehenduntur, quum ex regulis iuris masculinum genus etiam femininum includat, ubi una eademque causa pro feminis aeque, ac pro masculis militat. Quamvis autem decreti verba satis clara sint, variae tamen quaestiones circa eorum sensum ac vim excitatae fuerunt.

2. Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari professo, qui suam professionem nullam fuisse contendat: *Quicumque Regularis praetendat se per vim et metum ingressum esse Religio-*

nem etc., nihil vero expresse statuatur de ipsa Religione, cuius aliquando interest, alicuius alumni sui professionem irritam declarari; ut si quis, exempli causa, comperiatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adiecta declaratione, quod, eo forsan existente et non patefacto, ipsius admissio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in huiusmodi casu solus Superior regularis sine Ordinario procedere posset, an vero etiam in hac facti specie discutienda esset causa coram regulari Superiore simul et Ordinario loci. Super quo Congregatio sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constanter decrevit, causas huiusmodi super nullitate professionis, tam a Regulari professo, quam a Religione, intra quinquennium in iudicium deductas, et a Superiore regulari et ab Ordinario loci simul cognoscendas esse.

3. Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus professionem, sancta Synodus computandum voluerit *a die professionis;* cumque potior atque communior causa, quae pro nullitate professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quaesitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die professionis emissae, an vero a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere coepit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu concessum quinquennii tempus a die emissae professionis esse computandum.

4. Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quaestio, an scilicet praedicti Ordinarius et Superior regularis cognoscere possint causas nullitatis professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe professus intra illius decursum reclamaverit, sed iudicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram praefatis iudicibus a Concilio memoratis agendam esse causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra praescriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

5. De ipsis autem iudicibus pro huiusmodi causarum cognitione a sancta Synodo designatis per ea verba: *coram Superiore suo et Ordinario* complures similiter motae sunt quaestiones, quae maiori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt.

Et primo quaesitum fuit, quisnam censendus esset Superior regularis in casu et ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet provinciae rector, an Generalis Ordinis moderator. Congregatio autem eiusdem Concilii interpres definivit, esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum praepositum, seu rectorem illius monasterii aut coenobii, in quo reclamans professionem emisit; eum nempe, qui huiusmodi monasterii, aut coenobii regimen exercet, quo tempore causa super nullitate professionis in iudicium deducitur. Quaesitum item fuit, quisnam monialium proprius Superior dicendus sit ad effectum iudicandi una cum Ordinario de earum professionis nullitate. Responsum fuit, quod si agatur de monialibus Ordinario loci immediate subiectis, tunc, quum nullus sit earum Superior regularis, solus Ordinarius iudicat de professione reclamantium intra quinquennium: si vero moniales Regularium regimini subsint, tunc huiusmodi causae iudicandae sunt ab Ordinario loci simul, et a Superiore regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium. Dubitatum est etiam, utrum Superior regularis ius suum cedere possit Ordinario loci, eique permittere, ut in huiusmodi causis solus procedat et iudicet; id autem praedicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori regulari, ut, si iudicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam ecclesiasticum saecularem iuris canonici peritum, qui una cum Ordinario iudicis partes exerceat. Denique quaesitum fuit, si forte Ordinarii et Superioris regularis iudicia inter se discrepantia exstiterint, quodnam ex ipsis alteri praevalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, causam ipsam ad Apostolicae Sedis iudicium devolutam censeri.

6. Quum vero inter capita nullitatis professionem regularem irritantia unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis professionem emiserit in coenobio ad novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Praedecessor Noster Clemens Papa VIII. decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicuius professionem ex huiusmodi capite irritam declarari; decretum exstat a fel. record.

Urbano Papa VIII. altero Praedecessore Nostro, iustis gravibusque de causis, ac de consilio praefatae Congregationis Concilii Tridentini interpretis, editum die 5. Ianuarii anni 1636., incipien. *Ad occurrendum,* quo statutum fuit, huiusmodi causas ad eamdem Congregationem privative pertinere. Haec sunt potiora in hoc genere decreta ex regestis praelaudatae Congregationis excerpta, quae licet alias a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica auctoritate non semel approbata fuerint, et confirmata; Nos tamen eadem, praesentium Literarum tenore, atque auctoritate simili, novo approbationis et confirmationis Nostrae robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariae exsecutioni demandari praecipimus.

7. Quibus ita constitutis, firmataque pertinentia causarum, quae intra quinquennium a die professionis emissae adversus illius validitatem introducuntur, consequens est, ut et ea indicemus, quae de ordine ac methodo in huiusmodi iudiciis servanda a maioribus sapienter constituta sunt, tum ea proferamus, quae Nos ipsi opportune addenda censuimus, quaeque pari auctoritate ac praesentium Literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus et mandamus. Iam de ipsa huiusmodi causarum introductione notum est decretum eiusdem Concilii Tridentini *cit. Sess. 25. cap. 19. de Regular.: ut, si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tamquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suae Religionis iuvetur.* Ex quo sequitur, Regularem postulantem iudicium fieri de suae professionis nullitate, ab ipso iudicii limine repelli, nisi constet, eum in Religionis suae claustris morari, et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

8. De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores regulares Ordinariosque locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, iudicia sua fundare in extraiudicialibus attestationibus, quantumvis iuramento firmatis, quae *ad perpetuum* dicuntur; hoc tamen de cetero usurpari prohibemus, volentes atque districte mandantes, ut ad adstruendas probationes in huiusmodi causis necessarias, verus et iudicialis processus omnino conficiatur, in quo et articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus professionem agit, et interrogatoria dentur ab ea parte,

quae stat pro ipsius professionis validitate, et testes tam super articulis, quam iuxta huiusmodi interrogatoria examinentur; utque, hac forma non servata, processus ipse et sententia dependenter ab eo prolata insanabili nullitatis vitio corruere censeantur; salva etiam dispositione iuris communis quoad alia nullitatis capita, si quae forte in ipsa processus compilatione intervenerint.

9. Sub eadem poena nullitatis, decernimus atque statuimus, ut in hoc iudicio citari et audiri debeant tum defensores monasterii seu coenobii, in quo professus vota religiosa suscepit, tum ipsius professi consanguinei, sive propinqui sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius professionem sustineri; in primis autem ii citentur, (si superstites fuerint), qui indicati erunt tamquam auctores aut complices metus eidem incussi, ut votis invitus se obstringeret. Quemadmodum vero in citata Constitutione Nostra, quae incipit *Dei miseratione,* decrevimus, ut in singulis dioecesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cuius officium esset in causis matrimonialibus in iudicio stare pro validitate matrimonii, ita nunc omnibus et singulis locorum Ordinariis committimus et mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus praeditam in suis respective dioecesibus eligant, cui *defensoris professionum* munus imponant, utque huic omnia demandata, iniuncta et respective applicata esse censeantur, quaecumque Nos in praecitatis Literis de matrimonii defensore statuimus. Nos enim eadem omnia praesentium tenore ad huiusmodi professionum defensores expresse extendimus et respective applicamus, et quoad istos pari modo locum habere decernimus. Id solum peculiariter pro defensore professionis in praesentibus statuentes, ut scilicet, quidquid pro ipsius honorario aut mercede, sive pro expensis in defensione causae occurrentibus eidem praestandum esse iudex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a professo renuntiata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si professus nihil renuntiandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quae temporalia bona possident, ad huiusmodi solutiones teneatur; si autem nec adsint bona renuntiata, nec Ordo regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis,

in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis praedictis Literis Nostris de matrimonii defensore statuimus.

10. Lata demum sententia a Superiore regulari et ab Ordinario loci, si ea pro validitate professionis pronuntiata fuerit, neque professus appellationem interponat, causam finitam esse non dubitatur. Si vero professus ad iudicem secundae instantiae appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit, in omnibus hisce iudiciis volumus similiter defensorem professionis ex officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constitutione decrevimus, defensorem matrimonii in secunda et ulteriori instantia iudicio semper adesse. Ac sicuti praeterea statuimus, huiusmodi defensoris partes esse, a sententia iudicis primae instantiae pro matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantiae iudicem provocare, et formam prosequendi iudicium in ulterioribus huiusmodi instantiis praescripsimus, ita porro volumus, ut defensor professionis a sententia in prima instantia pro nullitate professionis edita appellare omnino debeat, atque in secunda seu ulteriori huiusmodi causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quae pro causis matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus.

11. Quemadmodum denique legitimas poenas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam sententiam pro prioris matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam, aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere, atque decrevimus nemini licere ad altera vota transire, nisi duae saltem sententiae conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint, ita, si quis in Ordine regulari professus, post unicam sententiam, favore nullitatis professionis pronuntiatam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, habitum regularem abiicere praesumpserit, volumus atque statuimus, omnibus eum poenis atque censuris a sacris canonibus, et a Constitutionibus Apostolicis contra apostatas latis atque sancitis subiacere et obnoxium esse; decernentes pariter, in huiusmodi causis de professionis nullitate liberum professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit sententias conformes, quibus ab eo emissa professio nulla et irrita declarata fuerit.

12. Et primae quidem instantiae iudices super validitate pro-

fessionum, quae intra quinquennium iudicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior regularis simulque Ordinarius loci esse debent. Si vero eaedem causae in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendae, statuimus, inhaerentes antiquis quibusdam saepedictae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum decretis (quae pariter tenore praesentium approbamus et confirmamus), ut causae huiusmodi ad eos iudices devolvantur, ad quos de iure aliae omnes causae ecclesiasticae post sententiam Ordinarii in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque iudices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum Superiore regulari processit, sic et ipsi procedere et iudicare debeant una cum Superiore regulari, non quidem illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii eiusdem Ordinis in eorum civitate aut dioecesi existentis, vel, eo non exstante, cum Superiore vicinioris monasterii eiusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona ecclesiastica, cui, iuxta praemissa, Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem huiusmodi causae in secunda aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, et a praedicta Congregatione Concilii sive ab altera super consultationibus Episcoporum et Regularium, aut denique ab auditorio Rotae, ut respective assolet, discutiendae fuerint; nullus erit locus ad iudicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii, iuxta relatum superius Urbani Praedecessoris decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas professionis ex eo capite impugnatae, quod facta fuisse asseratur in monasterio aut coenobio religiosis tironibus instituendis minime addicto.

13. Hactenus de iudiciis super nullitate professionis, quae intra quinquennium a die ipsius professionis emissae introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quaecumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere et observari debeant etiam in Curia S. R. E. Cardinalis, Nostri et Romani Pontificis pro tempore in Urbe, eiusque districtu Vicarii in spiritualibus generalis, quoties huiusmodi causas intra idem quinquennium in ipsius tribunali ordinario iudicandas esse contingat. Iam vero videndum est de eiusdem generis causis, quae, post elapsum quinquennium huiusmodi, in iudicium adducuntur.

Porro quum sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissa professione transactos, omnem aditum ad reclamandum professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata: *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis,* adeo inhaerendum huiusmodi sanctionis literae duxerunt maiores Nostri, ut sub piae mem. Praedecessore Nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit ac veluti pro regula statutum, nullius causae introductionem super nullitate professionis, elapso quinquennio, admittendam esse, etiamsi professio per vim, et metum facta diceretur, atque probari vellet, huiusmodi vim et metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba decreti die 5. Martii anni 1598. editi, quae habentur *decretorum Congregationis Concilii tom. 9. fol. 55.* haec sunt: *Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim, et metum se Religionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim et metum semper durasse.*

14. At vero procedentibus temporibus, non sine iustis gravibusque causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiae pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.* De quibus tamen iudicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte professi, sive ex parte Religionis instantiae huiusmodi proponerentur, ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum extraordinarium in iure vocatur, cuius concedendi facultas iudicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio, ut patet ex compluribus in eandem sententiam decretis eiusdem Congregationis Tridentini Concilii interpretis, quae recensita fuerunt in decreto edito die 24. Septembris anni 1740. in causa *Sicula Restitutionis in integrum,* quod a Nobismetipsis die 28. eiusdem mensis et anni approbatum et confirmatum fuit, quodque iterum praesentium tenore approbamus et confirmamus; reservato Nobis et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus iure concedendi Ordinariis et Superioribus localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronuntiandi, antequam ad sententiam ferendam super pro-

fessionis validitate aut nullitate deveniant, ut non semel ex Apostolicae Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

15. Huius autem iudicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quae in praesenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione seu fumo, ut aiunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur; nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram iudicibus competentibus actionem promovere possent; pro cuius iudicii instructione deinceps a Superiore regulari, et ab Ordinario loci legitimus conficiebatur processus, atque sententia super validitate aut nullitate ferebatur. Quae sane methodus si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum praecipue, quae ad huiusmodi iudicium consequentia sunt, rationem habere, ac providere, ne unius tantum sententiae vigore professiones regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in praefatis Congregationibus, seu tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, observatur; nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario loci et Superiori regulari, ut processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario et Superiori locali committitur, ut sententiam proferant super controversa professionis validitate. Sed quamvis in huiusmodi commissionibus plena ipsis relinquatur facultas iudicandi sive pro validitate, sive pro nullitate professionis, prout ipsis iustum visum fuerit, usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint, quam diligenti et gravi iudicio apud Sedem Apostolicam discussae fuerint causae, propter quas restitutio in integrum concessa fuit viso dumtaxat huiusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedunt.

16. Accuratum huiusmodi examen causarum restitutionis in integrum apud Romanae Curiae iudices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum ab

ipsis in posterum observari volumus ac iubemus; hoc tamen addito, ut in commissionibus, quae diriguntur Superioribus regularibus et Ordinariis locorum pro conficiendis processibus, iisdem sub poena nullitatis actuum iniungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu defensoris professionis, ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, iuxta quae examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime praestare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum tam in praefatis Cardinalium Congregationibus Concilii Tridentini interpretationi et Episcoporum ac Regularium consultationibus praepositis, quam in auditorio Rotae, aut in quacumque Congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis poena defensor professionis, ab eo qui tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum, de quibus supra, semper et in omnibus actibus in iudicio stare debeat; neque solum in prima huiusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima reiectus ad novam audientiam admittatur. Denique ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causae examine auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit, quemadmodum in altera Constitutione Nostra praesentis initio allegata de causis super nullitate matrimonii constituimus. Nos enim praesentium tenore decernimus ac sub poenis adversus apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicae resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentae e religiosis claustris migrare, multoque minus habitum regularem deponere audeat seu praesumat: quum ad praedictas poenas declinandas et altera resolutio super restitutione in integrum priori consentanea et sententia super nullitate professionis a Superiore regulari et ab Ordinario ferenda, exspectari omnino debeat, nec nisi per huiusmodi sententiam a praedictis iudicibus praeviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum legitime latam iudicium absolutum censeri queat.

17. Quae omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet ac pertinebit in posterum, sedulo observanda et implenda a Nobis praescribuntur, et enixe inculcantur, profecto non dubitamus, quin multo rariores

in posterum futurae sint instantiae et contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die professionis emissae, vel etiam eo elapso, susceptum religiosae vitae institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque regularium Ordinum in novitiorum admissionibus ea observabuntur, quae et in eorum Constitutionibus, et in decretis felicis recordationis Clementis Papae VIII. Praedecessoris Nostri statuta sunt, quaeque omnia ab ipsis plenissime observari et impleri Nos pariter ipsis praecipimus ac iubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum praebebunt, ut admittantur ad professionem tirones, sive qui aetatem quidem a Concilio praescriptam compleverint, at non ad eam pertigerint, quae a constitutionibus Ordinis statuta est; sive illi, qui licet annum novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, iuxta praescriptum suarum peculiarium constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat tirocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut professi ante legitimam aetatem ad Ordines sacros promoveantur. Quaecumque enim sive in sacris canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis circa praemissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, et ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quae ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas umquam dispensationes in praemissis concedere consuevit, nisi praevio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum regularium, quibus nempe aequum et necessarium est fidem adhiberi in expositione causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quae petuntur. Illud autem nullo modo ferri aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post eius decursum Superiores ipsi contradictores sese non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur; ex falsa nimirum opinione, quod religiosorum virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili monacho utilis fortasse clericus saecularis existere possit. Nunquam

enim licitum est iustitiam deserere aut prodere, quae iubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem et natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo una cum professo ipsa quoque Religio intervenit.

18. Ad praedictum finem praeterea quam maxime proderit, si et ecclesiastici Praesules et iudices debitas officii sui partes explere non praetermittent. Ecclesiarum quidem Praesules, si anathemati subiectos declarabunt omnes et singulos, cuiuscumque qualitatis, conditionis et dignitatis fuerint, qui virgines aut viduas, seu alias quascumque mulieres invitas, praeterquam in casibus in iure expressis, coegerint ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, iuxta sanctionem sacrae Tridentinae Synodi *Sess. 25. cap. 18. de Regular.*, ubi etiam pares censurae statuuntur adversus eos, qui in huiusmodi factis consilium, auxilium vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint compellere viros ad ingrediendam Religionem, et ad vota profitenda, iustis gravibusque poenis afficient; iudices vero, si, falso ante omnia deposito praeiudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam iustitiae lancem expendent et numerum et qualitatem testium, qui ad comprobandam nullitatem professionis inducuntur, et vim maiorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, interclusam a permissa reclamandi facultate discernent, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertent, quae in hoc toto rerum genere ab auctoribus considerari solent.

19. Itaque praedictis omnibus et singulis gravissime denuntiamus, districteque praecipimus, ut in cunctis, quae ad eorum officia pertinent, a iustitiae tramite, et a praescriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant, ac meminerint omnium, quaecunque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud divinum Iudicem, tum apud homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operae conferre intendimus, quo planius atque facilius de causis huius generis ab ipsis in posterum iudicari valeat. Siquidem Nobis propositum est cum consilio selectorum virorum in theologica et canonica facultate praestantium, nonnullas quaestiones accurate examinare ac dirimere, quae variis scriptorum opinionibus iacta-

tae, et varias species induentes, iuxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites atque sollicitos detinere solent iudicantium animos, ut Nobismetipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii praefatae Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum huiusmodi causas ad regulam iuris exigendas prae manibus haberemus. Eiusmodi sunt, exempli causa, quaestiones: utrum professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur? quinam sint actus, ex quibus huiusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur et quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio sacrorum Ordinum *ad titulum religiosae paupertatis?* Praeterea, si quis forte ante legitimam aetatem ignorans professionem emiserit, et in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque valide professum existimans, ea omnia, quae professorum sunt, una cum sociis praestiterit, an hic deinde intelligens, qua aetate vota emiserit, non obstantibus actibus veri professi a se gestis, adhuc, praefatae ignorantiae praesidio, actionem habeat ad reclamandum adversus professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur? Item, an professus, qui in professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam constitutionum, quod scilicet Religio ipsum, cum huiusmodi defectu aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis professus, qui Religioni dolum struxit, eiusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suae professionis ex eo capite impugnare valeat? Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam iudici nullitatem professionis, quod reclamantes professi asserere saepe non dubitant, se in proferendis religiosis votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi? Haec omnia, aliaque similia in huiusmodi iudiciis frequenter occurrentia, et in utramque partem hactenus disputata, tum Nostro, tum aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adiuvante, explanare deliberavimus.

20. Interim praesentes Literas cum omnibus et singulis in ipsis decretis atque statutis, firmas, validas et efficaces existere, ac perpetuo fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri

et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime, et inviolabiliter observari volumus et decernimus. Sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, praedictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes generales et particulares, aliosque eiusdem S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, et S. Sedis Nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, auctoritate et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, ubique iudicari et definiri debere; ac nullum, irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dom. 1747., IV. Nonas Martii, Pontif. Nostri anno 8. – D. Card. Passioneus. – I. Datarius. – Visa de Curia. – I. C. Boschi. – I. B. Eugenius.

XLV.

Innoc. X. Constit. Instaurandae *de suppressione parvorum conventuum et prohibitione erigendi novos in Italia et insulis adiacentibus.*

(Ad pag. 49. vol. II.)

Summarium. 1. Opus instaurandae regularis disciplinae perfici non potuit ob multum parvorum conventuum numerum. In illis enim regularis observantiae officia observari non possunt. Quin imo multis aliis incommodis aditus aperitur. – 2. Itaque Summus Pontifex in Italia, et insulis adiacentibus huiusmodi parvos conventus supprimit, reservatis fundatorum iuribus, aliisque ex lege canonica vel privilegio competentibus. – 3. Proinde Superioribus Regularium imperat, ut intra sex menses eorumdem conventuum possessionem dimittant, alibi Religiosos collocent, facta potestate asportandi supellectilem profanam, minime vero sacram, adiectis poenis contra violatores. – 4. Si intra sex menses non obediant, liceat Episcopis Religiosos eiicere et possessionem inire, satisfactis oneribus. Bona piis usibus applicentur iuxta partitionem a S. Congregatione ordinandam. – 5. In posterum novi conventus non erigantur, nisi de speciali et expressa licentia Sedis Apostolicae sub poena nullitatis. Circa domos ultra Italiam provideri intenditur, prout expedire visum fuerit.

1. Instaurandae regularis disciplinae opus multis laboribus, ac vigiliis a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris iam-

pridem assumptum Nobis in dies magis magisque cogitantibus, cur ad optatum finem hucusque perduci non potuerit, totque saluberrima decreta et ordinationes fere in irritum ceciderint: illa tandem praecipua sese obtulit originis causa, quod Religiones quamplures ex parvis conventibus ac domibus magna ex parte conflantur, in quibus sive ob redituum et eleemosynarum tenuitatem, sive ob aeris intemperiem, sive aliam ob causam non aluntur nec ali possunt tot Religiosi, quot ad peragendum rite divinum cultum, et regularia munia ex cuiusque Ordinis praescripto sunt necessarii.

2. Etenim in tam exiguo numero ibi degentes nec divinum officium nocturnum pariter et diurnum in choro celebrare, nec orationi mentali ac spiritualibus collationibus et exercitiis ac studiis in communi vacare, nec silentium, clausuram, vitam communem caeterasque institutiones servare possunt, quae ad tria principalia vota ordinantur, et sine quibus consistere vix possunt regularis vitae bases et fundamenta. Quamobrem otio immersi nullum religiosae vitae specimen prae se ferunt: soli incedunt per urbes et loca, cum saecularibus vagantur ac mundanis negotiis se involvunt. Inde fit, ut ibi collocari renuant Religiosi probatae vitae ac disciplinae, et Superiores cogantur illic familiam constituere e fratribus vitae laxioris, qui loci licentia peiores fiunt: et si quando ad coenobia, seu monasteria regularis observantiae revocantur, a claustro, quasi a squalore carceris abhorrentes vix adduci possunt, ut communem servent in moribus disciplinam, atque aliorum institutionibus se conforment, dum potius ceteros avertunt, vel certe reddunt suo exemplo segniores. Unde relaxationes derivantur in Ordines, et sensim invalescunt in ipsarum Religionum dedecus et ruinam.

3. Praeterea (quod dolentes referimus) ad huiusmodi conventus praesertim in locis infrequentibus et solitariis tamquam ad asylum facinorosi homines et curiae contumaces, vel proscripti in dies confugiunt, ibique loci immunitate freti turpiter ac dissolute viventes, atque inde in tempore exeuntes graviora perpetrant flagitia, cum maximo populi scandalo. Cumque conventus, sive loca parva huiusmodi in effrenatam quasi excreverint multitudinem, hinc licet omnibus intelligere, quaecumque reformationis remedia cassa fore et irrita, quamdiu non fuerint a Religionibus abscissa. Quae potest enim spes esse corpus languidum

et infirmum ad salutem reducendi, si magna illius pars est curationis incapax, quin potius reliquam partem inficit atque contaminat? Haec quippe sunt zizania, quae cum iam creverint usque ad messem, sunt in fasciculos alliganda, et a religionum tritico separanda. Haec sunt vulpes parvulae quae demoliuntur vineas. Hoc est fermentum, quod totam massam corrumpit.

4. Quae omnia, atque alia plura pro pastorali Nostra sollicitudine diu multumque animo revolventes, ut sacrae Religiones in multitudinem latius incremento foecunditatis per universam Ecclesiam diffusae a vepribus et spinis emundatae uberes germinent fructus: Nos etiam ab ipsismet religionum Superioribus reformationem zelantibus crebris precibus interpellati, et frequentibus populorum querimoniis permoti salutare remedium adhibere consulta ordinatione decrevimus. Itaque de voto Congregationis aliquorum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, et dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum super statu Regularium a Nobis deputatae, cui hoc negotium sedulo ac mature examinandum commisimus, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, omnes et singulos conventus quorumcumque monachorum ac Regularium virorum bona immobilia possidentium, vel non possidentium cuiuscumque Ordinis mendicantium vel non mendicantium, Congregationis, Societatis et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, etiamsi illis animarum cura personarum saecularium incumbat, sintve hospitia vel granciae, seu alterius monasterii membra, existentes intra fines Italiae et insularum adiacentium in literis ab eadem Congregatione propediem expediendis nominatim exprimendos, in quibus ob parvum numerum Religiosorum regularis disciplina iuxta peculiaria cuiusque Ordinis instituta servari non potest, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo exstinguimus, supprimimus et abolemus una cum omnibus eorum dignitatibus, officiis ac ministeriis, illosque ab omni proprietate, dominio, superioritate, iurisdictione ac alio quocumque iure Regularium eximimus et totaliter liberamus, omnemque conventualitatem, titulum, essentiam ac denominationem regularem in eis penitus exstinguentes, illos ad statum saecularem reducimus. Reservata tamen ipsi Congregationi facultate conservandi Religionibus aliquem ex conventibus expressis in memoratis Literis, si hoc ex aliqua rationabili causa expedire

iudicaverit: salvis etiam iuribus, quae fundatoribus conventuum sic suppressorum vel aliis ex sacrorum canonum praescripto, vel ex privilegio Apostolico quomodolibet competunt.

5. Quocirca dilectis filiis quorumcumque Regularium Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus et localibus, quocumque nomine ac titulo nuncupentur, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus et mandamus, ut singuli, ad quos pertinet, infra terminum sex mensium inchoandum a die praesentationis Literarum a praedicta Congregatione, ut praemittitur, expediendarum faciendae in Romana Curia procuratori generali cuiusque Ordinis vel Congregationis, aut societatis dimittant realiter et cum effectu coram Ordinariis locorum sub testimonio publico eidem Congregationi per eosdem Superiores regulares exhibendo possessionem corporalem conventuum in eisdem Literis expressorum, et reservata eis facultate secum asportandi profanam tantum, non autem sacram supellectilem, Religiosos inde amoveant, atque in aliis monasteriis eiusdem Ordinis, vel Congregationis aut Societatis collocent; alioquin poenas privationis vocis activae et passivae, necnon dignitatum et officiorum, quae tunc temporis obtinebunt, et perpetuae inhabilitatis ad illa, vel ad alia imposterum obtinenda ipso facto absque alia declaratione incurrant.

Eoque termino elapso non liceat Regularibus in ecclesiis dictorum conventuum Missas et divina officia celebrare, confessiones sacramentales audire, vel alia Sacramenta administrare, ac functiones parochiales exercere, aut verbum Dei praedicare, vel mortuos sepelire. Quod si secus egerint, eo ipso ecclesiae remaneant suppositae ecclesiastico interdicto. Et nihilominus locorum Ordinarii, ubi per literas ipsius Congregationis fuerint requisiti, Religiosos rebelles et refractarios a praedictis conventibus eiiciant, etiam invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio: et exinde ecclesiarum, domorum bonorumque omnium ad conventus sic suppressos quomodolibet pertinentium regimen, curam, custodiam et administrationem suscipiant, curentque, ut ex eorum reditibus et proventibus universis in primis et ante omnia impleantur onera Missarum tam hucusque non celebratarum, quam in posterum celebrandarum et alia quaecumque ex lege fundationis aut largitione fidelium, vel alias quomodolibet eis incumbentia, quibus nullo modo derogare intendimus, et cura

animarum, si illis immineat, per presbyteros saeculares idoneos ab ipsis Ordinariis approbandos laudabiliter exerceatur, ecclesiaeque debito non fraudentur servitio. Ceterum intendentes de praedictis bonis, quotquot superfuerint, oneribus, ut supra detractis, salubriter providere, earumdem tenore praesentium bona huiusmodi applicamus et applicata esse decernimus et declaramus piis usibus in eisdemmet locis, ubi siti sunt conventus, iisque non indigentibus, in aliis locis eiusdem dioecesis iuxta designationem et partitionem, quam eadem Congregatio, singulorum Episcoporum cum suis Capitulis sententia prius audita, et plena totius negotii relatione habita, de mandato Nostro faciet in suis literis ad eosdem Episcopos scribendis, et in cancellaria episcopali registrandis ad perpetuam rei memoriam.

Verum quia parum est, mala praecidere, nisi etiam malorum causa et radix evellatur, Constitutiones fel. rec. Bonifacii VIII., quae incipit *Cum ex eo,* necnon Clem. VIII. incipient. *Quoniam ad institutam,* aliorumque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum super erectione novorum conventuum editas earumdem tenores innovantes, illisque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinum, mendicantium vel non mendicantium, Congregationis, Societatis, et cuiusvis alterius Instituti, etiam Societatis Iesu in aliqua civitate, castro, villa, seu loco ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu monasteria, conventus, vel collegia incipere, vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem in scriptis et gratis concedenda, praevia examinatione Congregationis negotiis Episcoporum ac Regularium praepositae; si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis et inhabilitatis, ut supra inflictas et nihilominus, receptiones, fundationes et erectiones sint ipso iure nullae et invalidae et domus ac loca ipsa et personae in eis degentes omnimodae iurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subiaceant. Intendimus autem in praemissis etiam ultra Italiam et insulas adiacentes, prout expedire viderimus, providere.

Decernentes, praesentes Literas etiam ex eo quod Superiores segulares et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo umquam tempore de

subreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quamtumvis magno, inexcogitato ac substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum, necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra huiusmodi, et aliis superius expressis, seu relatis nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, et impetrato quempiam uti, seu se iuvare in iudicio, vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari.

Sicque, et non aliter in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum sacri Palatii Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Nuntios, ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes, nunc et pro tempore existentes in quavis causa et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, regula Nostra de non tollendo iure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, ceterisque Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis etiam in Conciliis generalibus editis, etiam specialiter in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam mendicantium, quam

non mendicantium, Congregationum, Societatum et cuiusvis alterius instituti, etiam Societatis Iesu, et monasteriorum, conventuum, collegiorum, domorum ac locorum Regularium quorumcumque, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam ex causa et titulo oneroso vel in limine fundationis et in mari magno, seu Bulla aurea aut aliter nuncupatis sub quibuscumque derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Rerumpublicarum et quorumvis aliorum Principum et personarum quacumque ecclesiastica vel saeculari dignitate fulgentium, seu eorum intuitu et contemplatione, ac etiam consistorialiter et alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis quoad ea, quae praesentibus quomodolibet adversantur, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaevis exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, quod praesentes Literae in valvis ecclesiae Lateranensis et Basilicae Principis Apostolorum, necnon cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de eadem Urbe publicentur et affigantur, quae postquam affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctent et afficiant, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent.

Quodque earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1652. Idibus Octobris, Pontificatus Nostri anno nono.

XLVI.

Bened. XIV. Literae Apost. Pontificia commendatione *ad Episcopum Sancti Pauli in America Lusitana, de Regularibus extra claustra degentibus et sese translatos asserentibus.*

(Ad pag. 61. vol. II.)

Summarium. Nonnulli Regulares se extra claustra degere posse. Alii ad alium Ordinem translatos se esse ex Indulto Apostolico asserebant. Pontifex respondet, Regulares, tam in civilibus, quam extra claustra degentes Ordinario subiectos esse; unde ipsum Ordinarium eos corrigere debere. Circa praetensos translatos refert, ad quos Ordines soleat sancta Sedes translationes concedere, et tradit formam contra ipsos praetensos translatos procedendi.

Pontificia commendatione Nostra prosequimur debitum tuae erga Apostolicam hanc sanctam Sedem obstrictae obedientiae obsequium et laudabile pastoralis sollicitudinis ac vigilantiae officium, quo supplex ab eadem Apostolica Sede consulta petis, quibus instructus in commissa tibi istius dioecesis administratione te pro munere Fraternitati tuae iniuncto provide sapienterque cum aeterna Christifidelium salute gerere debeas. Reperiri siquidem, ad Congregationem venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam refers, quamplurimos in ipsa dioecesi tua Regulares viros, qui habitu et super habitu mozzettam induti extra claustra in saecularium hominum domibus degentes, ad terram colendam, saecularia negotia obeunda ac mercaturam faciendam incumbunt; adeoque mores a religiosa vita longe alienos pravosque non sine bonorum offensione ac scandalo prae se ferunt. Alios praeterea significas Regulares viros esse, qui ex uno ad alterum religiosum Ordinem se Apostolica auctoritate translatos fuisse asserunt: atque adeo in hoc altero Ordine constituti, facultatem licentiamque sibi inesse iactant, qua sibi liceat extra claustra itidem commorari, agriculturam pariter exercere et mercaturae operam navare. Nos itaque Fraternitati tuae in memoriam revocamus, omnes et sin-

gulos Regulares Episcopo in civilibus subiectos esse, eosdemque Religiosos, cuiusvis Ordinis et Instituti sint, extra claustra degentes et delinquentes subiectos esse Ordinario loci, uti Sedis Apostolicae Delegato, qui eos visitare, punire et corrigere potest, uti conceptis verbis statutum est a Concilio Tridentino *Sess. 4. cap. 3. de Reformatione.* Praeterea laudatum Concilium Tridentinum *Sess. 14. de Reformatione cap. 11.* quoad translatos statuit ac praescribit, ut quilibet translatus in Ordine ipso, ad quem transfertur, sub sui Superioris obedientia in claustro perpetuo maneat. Unde fit, ut super quolibet translatorum huiusmodi extra claustra commorante ac degente Antistes loci Ordinarius vigore memorati decreti Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 3. de Reformatione*, omnem habeat iurisdictionem, illamque libere et licite exercere possit et valeat. Quo autem pacto te cum translatis quibuscumque sibi Apostolica auctoritate, ut extra claustra libere vivant, indultum fuisse asserentibus agere oporteat, certiorem facimus, nemini iuxta ordinatas statutasque regulas ex una ad aliam Religionem, nisi in illa, ad quam quemvis transferri contigerit, vigeat claustralis ac regularis observantia, et quae non sit hospitalaria, aut militaris, transitum impertiri. Quod si vero aliquando audieris cum aliquo religioso viro ab Apostolica hac sancta Sede benigne dispensatum fuisse, ut vel in habitu sacerdotis saecularis permanere, vel ad aliam Religionem, in qua claustralis et regularis observantia non vigeat, transire posset, te doctum volumus, id sane perraro et gravissimis rationabilibusque de causis fieri: hisce demum ita expositis, cum ad Fraternitatem tuam relatum fuerit, esse ac reperiri quemlibet religiosum virum, qui se indulto quocumque huiusmodi donatum uti, frui ac gaudere contendat, eumdem opus est, ut ad tale indultum tibi ostendendum primum, etiam adhibita vi, compellas, atque insimul, postquam illud perlegeris, diligenter expendas causas in ipso indulto contentas et expressas, verae ne, an falsae sint. Quod si illud indultum commonstrare et tradere detrectaverit, adversus ipsum, iuris ordine servato, statim procedas iuxta facultatem tibi attributam in supradicto Tridentinae Synodi *cap. 3. Sess. 6. de Reformatione.* Et si indulti causas minime veras esse compereris, ne dubites super eius subreptione seu obreptione pronuntiare, et adversus Religiosum procedere extra claustra sine facultatem degentem. Ceterum Fraternitati tuae persuasum esse

optamus, Nos nunquam passuros esse, ut quaecumque Apostolicae Nostrae charitatis supremaeque auctoritatis ad oves tibi creditas, de quibus districta a te non minus Nobis, quam pastorum Principi Iesu Christo aeterno Iudici ratio reddenda est, saluberrime pascendas regendasque conducentia exoraveris, officia a Fraternitate tua desiderentur. Interim Fraternitati tuae Apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. dioecesis sub annulo Piscatoris die 27. Maii 1746., Pontificatus Nostri anno sexto. – Caietanus Amatus.

XLVII.

Instructio pro examine personali eorum, qui ad habitum admitti postulant, sive examen ipsum fiat ab examinatoribus provincialibus iuxta art. III. primae partis decreti Regulari disciplinae (1) *sive ab examinatore deputato iuxta declarationem ad dubium VI. eiusdem decreti.*

(Ad pag. 94. vol. II.)

1. Examinatores provinciales seu examinator deputatus, interrogent postulantem de eius nomine, parentibus, patria et aetate. Diligenter postulantis voluntatem explorent, et praesertim an coactus, an seductus sit, et quo spiritu, quo consilio, qua ratione ad statum religiosum ducatur, et utrum aliquam cognitionem habeat obligationis votorum, quae deinceps emittere debet.

2. Si recipiendus uti clericus Religionem ingredi postulet, inquirant examinatores, vel examinator, an eam literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores, et suis temporibus maiores Ordines iuxta decreta Sacr. Conc. Tridentini suscipere valeat. Quod si agatur de admittendis ad habitum conversorum, an saltem praecipua doctrinae christianae capita noverint. Quoad omnes vero, et praesertim relate ad postulantes provectioris aetatis, examinatores, vel examinator sagacius, sed prudenter curent odorari, si recte de catholica doctrina sentiant prout conditio cuiusque personae postulet.

3. Exquirant a postulante, utrum eius parentes, vel alter eorum adhuc vivat, quam artem et professionem exerceant, vel exercuerint, et an adeo pauperes sint, ut filii subsidio indigeant.

---

(1) Vid. vol. II. pag. 88. seqq.

4. Exquirant etiam a postulante eius conditionem et statum, an habeat in saeculo media sufficientis sustentationis; si sit aere alieno gravatus; an, et quam artem, vel professionem exerceat; an alicui religioso Instituto nomen dederit, vel saltem uti novitius illius habitum induerit, vel eremitarum habitum susceperit; utrum fuerit inquisitus, aliqua nota, infamia, irregularitate irretitus, gravi morbo affectus.

5. Videant an Postulans notabili deformitate laboret; utrum aliquod signum valde infirmae valetudinis, vel fatuitatem prae se ferat; et cetera exquirant, quae in respectivis constitutionibus ab admittendis ad habitum in eorum personali examine exquirenda praescribuntur.

6. Verum licet ex huiusmodi personali examine, si diligenter fiat, plura agnosci possint, et in scrutinio, de quo in art. III. primae partis decreti *Regulari disciplinae* de eodem personali examine ratio omnino habenda sit, tamen praeter illud a Provinciali exquirenda sunt documenta et informationes, prout in eodem art. III. praescribitur, et reliqua omnia perficienda, quae in enuntiatis decretis cum suis declarationibus decernuntur.

XLVIII.

Instructiones super receptione et educatione novitiorum iussu Clementis VIII. editae. die 19. Martii 1603.

(Ad pag. 101, vol. II.)

Cum ad regularem disciplinam in singulis Religiosorum monasteriis propagandam novitiorum institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem relaxandam maiorem vim habuisse compertum sit, quam vel nimiam in recipiendis novitiis facilitatem supra numerum, quem capere atque alere monasteria ipsa possent vel negligentiam in probando et examinando eorum spiritu, an vere esset ex Deo, atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis: idcirco, ut huiusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus et singulis ad quos spectat, ut in recipiendis novitiis, et in eorum institutione atque educatione, necnon in Magistri et aliorum Ministrorum electione, praeter alia, quae in sacris canonibus ac decretis, praesertim Concilii Tridentini,

Pontificiis et cuiusque Ordinis aut Instituti constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc et in posterum ad hoc designandis monasteriis et conventibus, haec, quae sequuntur, inviolate observari et exsequi perpetuo curent.

Primum, quod attinet ad novitiorum recipiendorum formam, ultra diligentem perquisitionem, quae habenda erit de uniuscuiusque natalibus, corporis habitudine, moribus et vita anteacta, ac praecipue eorum, qui sextumdecimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicuius administrationis rationi obnoxii sint, iuxta formam Constitutionis fel. rec. Sixti V. et moderationum subsecutarum; illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in monasteriis et conventibus ex Apostolica facultate novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullum in posterum admittant, qui et ex honestis parentibus natus non sit, et conditiones a sacris canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus praescriptas non habeat, iuxta decretum super forma recipiendi novitios die 19. Maii 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine regulari etiam mendicantium, in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta et ordinationes requirunt, eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam prae se ferat, ut minores et suis temporibus maiores Ordines, iuxta decreta Sac. Concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimumquintum excedens ad habitum regularem admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit, in conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur: ipsi autem conversi non recipiantur ante vigesimum aetatis suae annum, et nisi saltem praecipua doctrinae capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente ac voluntate id regularis vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint; num zelo melioris frugis ac perfectioris vitae, et ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu aut inordinato animi ducantur, et an eorum parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Provideant quoque, ut omnes etiam conversi recipiendi, priusquam ad habitum regularem admittantur, ab iis, quibus munus hoc incumbit, de regula, quam professuri sunt, tribus votis es-

sentialibus, statuque regulari et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus institutis et constitutionibus diligenter instruantur. Et quia quarumdam Religionum moris est, nedum Conversos ad professionem admittendos, verum et oblatos, ut vocant recipere, circa ipsorum oblatorum receptionem unaquaeque Religio suas peculiares constitutiones specialiaque instituta observare teneatur.

Statim atque novitii ad habitum recepti, et in locum novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum confessionem totius anteactae vitae conscientiam discutiant et expurgent.

Quod vero ad loci qualitatem uniuscuiusque novitiatus spectat, locus huiusmodi propria clausura ab ea parte conventus et monasterii, in qua degunt professi, segregatus sit, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli lectuli commode sterni possint, in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur.

In eo etiam, praeter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collectiones, seu conferentias faciendas, ac lectiones instructionesque Magistri audiendas, et in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igne communi recipiant.

Oratorium insuper, seu Capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, praesertim in caeremoniis ecclesiasticisque functionibus exercendos.

Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus atque munitus adsit, sin minus, hortum ceteris fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. Ipsis vero novitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum loci Superioris auctoritate (si opus fuerit), ne in eumdem quisquam alius ingrediatur.

Ad huiusmodi locum novitiatus nemini eiusdem vel alterius Ordinis Regulari, etiam conventus et monasterii officiali, ullo unquam tempore sub quovis praetextu aditus pateat, praeterquam Magistro, eiusque socio ac etiam monasterii aut conventus Superiori, quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit, quo casu tamen aliquem semper ex senioribus conventus vel monasterii patribus assumat.

Huius loci clausurae clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat, cum gravi tantum causa, ingressum illuc

alicui permittere: si quis autem novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente et non aliter alloquatur.

Novitiorum Magistro socius, si ad novitiorum instruendam multitudinem necessarius fuerit, vita et moribus (quoad fieri poterit) consimilis deputetur, qui in his, quae ad novitiatus regimen spectant, dicto Magistro immediate subiectus existat; eliganturque tam Magister, quam socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus huiusmodi subituri. Quod si aliquo casu extra tempus capitulare nova loca novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri novitiorum et socii huiusmodi in his novis locis per Generalem, vel Provincialem, seu Ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, de Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittatur: idemque servetur, si intra triennium alterum, vel utrumque urgenti aliqua de causa ex illis locis amoveri vel mori contigerit, in cuius, vel quorum locum alii consimiles subrogari debeant.

Tam novitiorum Magister, quam socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae novitiorum curam, et regimen impedire valeant. Ipse Magister sacerdotali Ordine sit initiatus, ac quinto saltem supra trigesimum aetatis suae anno constitutus, et per decennium a professione emissa in Religione perstiterit; socius vero trigesimum annum excedat, sintque ambo doctrina, et, quantum per Superiorum diligentiam et vires fieri poterit, vitae etiam anteactae exemplo praestantes; orationis praeterea et mortificationis operibus addicti, prudentia, charitateque referti, non sine affabilitate graves, zelum Dei cum mansuetudine prae se ferentes, ab omni cordis ac animi perturbatione, irae praesertim et indignationis, quae in se, erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum, qui in omnibus seipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant, quam revereantur, nec illis unquam detrahere quidquam possint.

Habeat etiam Magister plenam et absolutam potestatem circa novitiorum institutionem, ac novitiatus regimen, ita ut in illis nemini (Visitatoribus ac Superioribus maioribus, vel etiam localibus exceptis) quovis colore se ingerere liceat.

Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in regulari disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue divinae, qua digni facti sunt, vocationis praestantiam et excellentiam, quae

vera sit atque perfecta votorum solemnium, et quam necessaria cuiusque Ordinis constitutionum observantia, modum in oratione tum vocali, tum mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, et vitia (ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est, atque proclivis) per sensuum custodiam et mortificationem cohibendi, austeritatem, ieiunia, cilicia, disciplinas, conscientiae puritatem, crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, confessionis praesertim, quae bis saltem singulis mensibus fiat, per aperitionem quotidianam motuum internorum, cordis et tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus, diuturnumque silentium.

Quilibet novitius bis quotidie orationi mentali et vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem et ordinem sibi a Magistro praescriptum, ac pluries in die propriam conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori, etiam locali, si ita expedire iudicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel, aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire.

Quotidie Missae Sacrificio intersint, et statutis horis in choro nocturnis diurnisque divinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam corporalibus vacent, legant, vel scribant res spirituales, modestam animi recreationem interponant, quae in solitario loco et commodo extra novitiatum semel in hebdomada, vel in alternis saltem hebdomadibus longior statuatur; fiatque semper Magistro praesente, vel socio, qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur disiuncti, atque eo tempore cuiusque, in quam natura feratur, propensionem inscrutentur.

Non liceat eis, durante novitiatus et probationis tempore, una cum professis, nisi in choro, in ecclesia tempore officiorum, in processionibus, aut in coenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis professores domo exeuntes comitari.

Pro communibus et propriis cuiusque necessitatibus, quae accidere possunt, unus ex novitiis ipsis, aetate, moribusque provectior deputetur, qui absente socio, Magistro permittente, omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam ianuae custodia, et rerum levioris momenti provisio intra novitiatum committi poterit.

Cum autem, licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, conversorum tamen religiosa instructio non sit praetermittenda; quin potius aequanimiter amplectenda, quandoquidem satis exploratum est, istorum etiam, cum regulam profiteantur eamdem, perfectam educationem, tum Religioni decorem et ornamentum, tum aliis Christifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Conversis ipsis a Clericorum novitiatu separatus ad dormiendum locus (quantum commode fieri poterit) assignari praecipitur. Illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro novitiorum, seu Superioribus monasteriorum et conventuum, iuxta cuiusque Ordinis statuta et constitutiones subditi esse, et obedientiam praestare debebunt, a quo non tantum circa corporalia obsequia probandi et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate et commoditate de spiritualibus, praesertim de modo mentaliter orandi, diligenter instruendi erunt; quod ut commodius fiat, ad capitula et spirituales conciones, quae per Magistros novitiis fieri solent, accersiri debeant, et in ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint.

Tempore vero probationis elapso, ii tantum, qui non solum religiosae perfectionis capaces, sed etiam ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint (dummodo aetatis suae annum, quoad clericos decimumsextum, quo vero ad conversos, vigesimumprimum excesserint), ad professionem admittantur; sed qui ad conversorum habitum recepti fuerint, ad clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.

Superior cuiuslibet conventus, in quo novitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo uniuscuiusque novitii professio registretur, illamque novitius professus propria manu et duo testes, qui praesentes fuerint, subscribant.

Conversus vero literarum ignarus professus in eorumdem testium, qui se subscripserint, praesentia propria manu signum crucis apponat, asserveturque liber, et custodiatur in archivio, ubi scripturae ad monasterium, seu conventum pertinentes reponi consueverunt.

Quia vero in quibusdam Ordinibus filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit, ut novitiis educandis certa monasteria aut conventus designata quilibet Ordo habere debeat, licitum tamen sit Superioribus monasteriorum et conven-

tuum huiusmodi Ordinum, in quibus filiationis usus receptus, eos, quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum locorum filios iuxta cuiusque Ordinis constitutiones adscribere; sicque adscriptos, cum iuxta praesentes institutiones et alias servatis servandis, ad Ordinem recepti fuerint, ad loca novitiatuum, cum testimonialibus literis transmittere, ubi tamquam dictorum conventuum seu monasteriorum filii, eorumdem nomine et instantia recipi, ac in novitiatu probari et deinde, antequam ad eadem monasteria seu conventus filiationis huiusmodi remittantur, in professione ad perfectionem, ut praemissum est, exerceri debebunt.

Porro ne loca unius monasterii seu conventus ab alio praeoccupentur, Capituli generalis, aut provincialis partes erunt, numerum praescribere pro omnibus: et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem (si opus fuerit) inire, ac singulis conventibus et monasteriis praescribere, quae magis expedire videbitur.

Ut autem novitii iam in professorum numerum (sicut praemittitur) recepti, melius in bono spiritu, regularisque disciplinae observantia stabiliantur et confirmentur, mandatur, ut statim post professionem emissam, si in conventibus aut monasteriis pro novitiatibus assignatis locus aderit secundi novitiatus, sive professorii ab ea, quae novitiorum est, atque antiquiorum professorum habitatione distinctus et segregatus, ibi collocentur, si monasterium aut conventus eos alere queat, sin minus, in alium commodiorem conventum aut monasterium transferantur, in quo is locus cum requisitis ad novitiatum supranarratis reperiatur, vel accomodetur, aut de novo construatur.

Ab hoc tamen illae Religiones excipiuntur, quae suarum constitutionum seu institutorum vigore maioris temporis cursu novos professos intra novitiatum detinere consuescunt, quibus in hac parte non derogatur, illis tamen permittitur, ut, praedictis eorum constitutionibus non obstantibus, id ipsum facere possint, si id rationi ac Religioni magis expedire adiudicaverint, quibus in locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores professi, ita quod in negotiis monasteriorum aut conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicuius exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quousque ad aetatem sa-

cris Ordinibus suspiciendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo et debebunt literarum studiis operam navare sub directione ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus novitiorum Magistrum praeditum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod propter praemissa non censeatur concessa licentia recipiendi novitios, nisi in locis pro novitiatu designatis, aut in posterum designandis, et pro numero dumtaxat in eorum singulis praescripto vel praescribendo.

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu et ordine superiores sunt et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafecerint, officiorum omnium, quae tunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant.

Datum Romae apud S. Petrum die 19. Martii 1603.

XLIX.

S. Pii V. Constitutio Circa pastoralis officii *de clausura monialium.*

(Ad pag. 144., vol. II.)

Summarium. 1. Curam habet Pontifex, nequid incongruum in monasteriis sacrarum virginum inveniatur. Itaque innovat decreta sacrorum canonum et Conc. Trid. circa legem clausurae. – 2. Quin contra facere possit consuetudo, etiam immemorabilis, vel instituti, aut fundationis lex. 3. Clausurae subsunt etiam tertiariae solemniter professae: quae vero solemniter professae non sunt, id faciant et clausurae sese subiiciant. – 4. Si secus fiat, novae moniales non recipiantur, et professiones receptionesque nullae sint. – 5. Si moniales vivant ex eleemosynis, eas colligant conversae non professae; quae si professae, in aetate 40 annorum sint, et vivant extra clausuram. – 6. In posterum conversae professae non recipiantur. – 7. Si modo praedicto monialium necessitatibus satis consultum non sit, provideant Episcopi meliori quolibet modo. In posterum moniales non recipiantur ultra numerum, quem proprii reditus, vel consuetae eleemosynae ferant. – 8. 9. Cautiones ac poenae ad praedictorum exsecutionem conducentes. – 10. Ordinarii locorum in monasteriis exemptis nullam suam potestatem extendunt. – 11. 12. Clausulae consuetae.

1. Circa pastoralis officii Nobis, meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quantum Nobis ex alto permittitur, invi-

gilantes, assidue ad ea, per quae singulis erroribus et excessibus obviatur, ac personis quibuslibet, praesertim feminei sexus virginitatem suam Altissimo voventibus, sub Religionis iugo Christo Salvatori in castitatis holocausto famulari affectantibus, semita iustitiae et honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in regularis ponat honestatis gloria maculam, et divinam merito possit offendere maiestatem, opportune succurritur, libenter intendimus, ac in his Nostrae vigilantiae partes propensius impartimur, prout id in Domino salubriter expedire conspicimus.

Hac igitur perpetua valitura Constitutione, inhaerentes etiam Constitutioni fel. record. Bonifacii Papae VIII. Praedecessoris Nostri, quae incipit *Periculoso,* et decretis Concilii Tridentini super clausura monialium editis, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus atque perpetuo decernimus, universas et singulas moniales, praesentes atque futuras, cuiuscumque Religionis, Ordinis vel Militiarum, etiam Hierosolymitanae sint, quae vel iam receptae sint, vel in posterum in quibusvis monasteriis sive domibus recipientur, et tacite vel expresse Religionem professae, etiamsi conversae, aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis vel fundationibus earum regulae ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum monasteriis seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit, sub perpetua in suis monasteriis seu domibus debere de cetero permanere clausura, iuxta formam dictae Constitutionis fel. rec. Bonifacii Papae VIII., Praedecessoris Nostri, quae incipit *Periculoso,* in sacro Concilio Tridentino approbatam et innovatam, quam Nos auctoritate praefata etiam approbamus et innovamus in omnibus et per omnia, ac illam districte observari mandamus.

2. Quod si aliquae moniales forsan reperiantur, quae consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulae suae fretae, animo obstinato huic clausurae resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarii una cum Superioribus earum, omnibus iuris et facti remediis compellant easdem tamquam rebelles et incorrigibiles ad praecise subeundam dictam clausuram, perpetuo observandam.

3. Mulieres quoque, quae tertiariae, seu de poenitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint Ordinis, in congregatione viventes, si et ipsae professae fuerint, ita ut solemne votum emiserint,

ad clausuram praecise, ut praemittitur, et ipsae teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii una cum Superioribus earum hortentur et persuadere studeant, ut illud emittant, et profiteantur, ac post emissionem et professionem eidem clausurae se subiiciant. Quod si recusaverint, et aliquae ex iis inventae fuerint scandalose vivere, severissime puniantur.

4. Ceteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausura vivere omnino volentibus interdicimus et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, Religionem, Congregationemve recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc Nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones et receptiones irritas decernimus et nullas, prout etiam praesenti decreto irritas facimus et annullamus.

5. Porro ne moniales, vel tertiariae praedictae propter hanc clausuram, detrimentum aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maxime in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed ut iis opportune consulatur, auctoritate Apostolica praefata statuimus, decernimus, praecipimus atque mandamus Ordinariis et Superioribus earum, ut curent colligi fidelium eleemosynas per conversas, quae non sint professae, vel si professae fuerint, sint tamen aetatis annorum quadraginta, et in domibus contiguis, extra tamen monasterium degant, et non ingrediantur clausuram aliarum monialium, nisi in casibus ex earum constitutionibus permissis, et de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarii vel earum Superiorum.

6. Et de cetero nullae aliae conversae professae recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum vel Praelatorum possint. Quod si adversus hanc Nostram prohibitionem receptae fuerint, illarum receptio nulla, irrita et inanis sit, prout ex nunc nullam, irritam facimus et annullamus.

7. Quod si praedicto modo necessitatibus monialium et mulierum tertiariarum praedictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinariis et Superioribus earum, ut ipsi provideant de aliis personis piis et Deo devotis, quae fidelium eleemosynas colligant, vel alias eo meliori et commodiori modo quo fieri poterit, etiam ex opere manuum ipsarum monialium

et mulierum praedictarum, arbitrio Ordinariorum et Superiorum earumdem et prout eis congruentius expedire videbitur, provideatur et succurratur. Et ne propter monialium numerum excessivum clausurae observantia violetur, inhaerentes etiam similiter dispositioni dictae Constitutionis Bonifacii et Concilii Tridentini decreto, monialibus praedictis et illarum Superioribus et Ordinariis districte inhibendo praecipimus et mandamus, ne plures in earum monasteriis recipiant et admittant, sive recipi et admitti permittant, quam ex propriis reditibus ipsorum monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commode sustentari possint.

8. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, universis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis, quatenus in civitatibus et dioecesibus propriis praesentes Nostras Literas publicari faciant, ac in monasteriis monialium sibi Ordinario iure subiectis, in iis vero, quae ad Romanam mediate vel immediate spectat Ecclesiam, Sedis Apostolicae auctoritate una cum Superioribus eorumdem monasteriorum clausuram, ut praemittitur, quamprimum poterint, servari procurent. Contradictores atque rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Ac ut hoc tam salutare decretum facilius observetur, omnes Principes saeculares, et alios dominos et magistratus temporales rogamus, requirimus et obsecramus per viscera misericordiae Domini Nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorum iniungentes, quod in praemissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis et aliis monialium Superioribus assistant, ac suum favorem et auxilium praestent, ac impedientes poenis etiam temporalibus afficiant.

9. Praemissis Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam per Sedem Apostolicam approbatis et confirmatis, privilegiis quoque, indultis et Literis Apostolicis etiam in fundatione et institutione eisdem monasteriis, vel domibus et monialibus, sub quibuscumque verborum formis et clausulis irritantibus, et aliis decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis ; quibus omnibus, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus

specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes quoad effectum validitatis Nostrae Constitutionis tantum derogamus, contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, aut suspendi non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem.

10. Per hoc autem in monasteriis exemptis Ordinarii locorum quoad alia nullam sibi credant iurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam.

11. Volumus autem quod praesentes Literae ad valvas Basilicae Beati Petri Apostolorum Principis, et in cancellaria Nostra, ac Acie Campi Florae publicentur, et inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

12. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaecumque loca deferri, volumus et etiam delaramus, quod earum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides ubicumque adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1566. IV. kalend. Iunii, Pontificatus Nostri anno I.

L.

S. Pii V. Constitutio Decori et honestati *de clausura monialium.*

(Ad pag. 145. vol. II.)

Summarium. 1. 2. Dedecet, moniales extra monasterium vagari, etiamsi exinde exeant causa visitandi consanguineos, vel alia monasteria etiam sibi subiecta ex praetextu infirmitatis et cuiuscumque causae. Itaque Pontifex sacris canonibus, et Conc. Trident. aliisque sanctionibus inhaerens egressum ex ea causa Abbatissis, ac monialibus ceteris gravissime prohibet, excepta causa magni incendii, aliorumque periculorum, cognita ab Episcopo re, et licentia expressa tribuenda. Contra personas omnes aliter agentes poenae constituuntur. – 3. Idem Pontifex revocat generales quas-

libet, et speciales facultates ac privilegia ante concessa, et etiam intuitu regum impetrata. – 4. 5. 6. 7. Sequuntur clausulae derogatoriae.

Decori et honestati omnium sanctimonialium, quarum Iesus Christus Dominus Noster sponsus est, ut in puritate et castitate superaedificantes in ipso feliciter habitare valeant, consulentes, ea quae illarum existimationi detrahere possent, decet Nos consulto summovere.

1. Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur, sanctimoniales aliquando parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos, vel cognatos necnon monasteria et alias filiationes nuncupata, etiam eis subiecta visitandi, aut infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domus discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt.

2. Unde Nos malo huic pro Nostro pastoralis officii debito salubriter occurrere volentes, inhaerentes etiam decreto sacri Concilii Tridentini de clausura monialium disponentis, ac aliis Nostris Literis super huiusmodi clausura editis adiicientis, volumus, sancimus et ordinamus, nulli Abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Chartusiensium, Cisterciensium, sancti Benedicti, et mendicantium, et quorumcumque aliorum Ordinum, etiam militiarum, ac statuum, graduum et conditionum, dignitatum ac praeeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum, de cetero etiam infirmitatis, seu aliorum monasteriorum, etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum, aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae, aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios Ordinum Superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempta esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis exire, sed nec in praedictis casibus extra illas, nisi ad necessarium tempus, stare licere; aliter autem, quam, ut praefertur, egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut saeculares, vel ecclesiasticas, consanguineas,

vel non, excommunicationis maioris latae sententiae vinculo statim eo ipso absque alia declaratione subiacere, a quo praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequant. Et insuper tam egressas, quam Praesidentes, et alios Superiores praedictos eis licentiam huiusmodi concedentes dignitatibus, officiis et administrationibus, per eas et eos, tunc obtentis, privamus, et illas et illos ad obtenta et alia in posterum obtinenda inhabiles declaramus.

3. Necnon licentias et facultates, seu indulta et privilegia exeundi a monasteriis et extra illa standi, a Nobis, seu alio Romano Pontifice Praedecessore Nostro, ac Sedis Apostolicae Nuntiis, et Legatis etiam de latere, ac maiore Poenitentiario, aut Ordinum praedictorum Superioribus, aliisque personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis restitutivis, praeservativis, mentis attestativis, etiam novam gratiam, et datam concernentibus, aliisque efficacioribus ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, etiam Imperatoris, Regum, Ducum et aliorum Principum, necnon sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium intuitu et contemplatione, ac instantia vel alias quomodolibet concessa (quae prorsus abolemus) ac literas desuper confectas, et in posterum concedendas et conficiendas, nullas et invalidas, nulliusque roboris ac momenti fore, nec illas habentibus et habituris suffragari posse.

4. Et ita per quosque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

5. Mandantes universis et singulis venerabilibus Fratribus Nostris, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis in virtute sanctae obedientiae, et sub obtestatione divini iudicii, et interminatione maledictionis aeternae, quatenus per se vel alium, seu alios praesentes Literas in civitatibus et dioecesibus propriis quolibet anno publicent, omniaque in illis contenta, necnon praefatum decretum ipsius Concilii, quod incipit *Bonifacii VIII.*, diligenter et inviolabiliter sub

censuris ecclesiasticis, aliisque praefatis poenis, et in eodem decreto contentis observent et observari faciant et procurent. Contradictores quoslibet et rebelles, ac praemissis non parentes etiam aliis poenis auctoritate Nostra, appellatione postposita, compescendo, necnon legitimis super his habendis servatis processibus poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

6. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Aliis Apostolicis Constitutionibus et iuribus de huiusmodi clausura disponentibus nihilominus in suo robore duraturis.

7. Ceterum volumus, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique terrarum, tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1570. kalend. Februarii, Pontificatus Nostri anno V.

LI.

Gregorii XIII. Constitutio Deo sacris virginibus *de eleemosynis monialibus clausuram servantibus praestandis.*

(Ad pag. 146. vol. II.)

Summarium. 1. Innovantur Conc. Trid. *Sess. 25 cap. 5.*, caput *Periculoso* in 6., S. Pii V. Constit. *Circa pastoralis.* – 2. Causa huius Constitutionis, ut videlicet modus inveniatur, quo Tertiariarum sub clausura viventium sustentationi prospiciatur. – 3. Modus a Pontifice praescriptus in eo situs est, ut applicetur iisdem monialibus medietas eleemosynarum pro Christi pauperum victu et vestitu destinatarum et erogandarum. – 4. Episcopis aliisque Ordinariis locorum munus iniungitur exigendi, applicandi et distribuendi huiusmodi eleemosynas. – 5. Iisdem Ordinariis

committitur, ut parentes ac fratres monialium earumdem aliosque consanguineos hortentur ad impertiendam iisdem aliquam pro eorum charitate eleemosynam. – 6. Quod pertinet ad moniales tertiarias, quarum sustentationi stabiliter provisum fuisse constiterit, declaratur, quod conversae professae, quibus extra clausuram vivere a S. Pio V. permissum fuerat ad hoc, ut eleemosynas recolligerent, in clausurae septa reducantur, neque amplius a monasterio exire permittantur. Conversae non professae habitum dimittant, suamque domum redeant; neque in posterum conversae recipiantur, nisi professionem sint suo tempore emissurae, et amplius a monasterio non egrediantur. Eleemosynarum contributio tamdiu durat, donec numerus monialium ita diminutus fuerit, ut reliquae moniales commode ali possint sustentarique ex propriis bonis, vel consuetis eleemosynis. Super quo Ordinariorum conscientia oneratur. Summus Pontifex declarat monialibus non licere habere ostium, per quod intretur in ecclesiam exteriorem; neque exire a ianua monasterii ad claudendam ianuam ulteriorem, vel ad crates, aliaque id genus. – 7. Dominorum temporalium auxilium ad praemissorum exsecutionem invocat.

Deo sacris virginibus, quae contemptis illecebris saeculi divinis se obsequiis manciparunt, aequissimum est praecipua quadam a Nobis, ac singulari sollicitudine provideri, tum ut ab eis omnia, quae sanctum ipsarum propositum impedire possent, removeantur, tum etiam ut eis in cultu Dei caste ac religiose permanentibus, quae ad victum necessaria sunt, subministrentur.

1. Et quidem post s. Conc. Trid. decretum, quo Constit. fel. rec. Bonif. PP. VIII. Praedecessoris Nostri, quae incipit *Periculoso,* renovatur, prohibens ne aut ipsis monialibus ex monasteriis suis egredi, aut ulli cuiuscumque sexus aut ordinis personae ad eos ingredi liceat; et praeterea universis Episcopis praecipitur, ut in omnibus monasteriis sibi subiectis, in aliis vero Sedis Apost. auctoritate clausuram sanctimonialium, ubi violata, diligenter restitui, ubi vero inviolata, conservari maxime procurent, piae mem. Pius V., etiam Praedecessor Noster, victui quoque et necessitatibus ipsarum prospicere cupiens, cum superiora illa approbasset atque innovasset, eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque militiarum, etiam Hierosolymitanae, omnibusque aliis tacite vel expresse Religionem professis, quocumque nomine censerentur, locum habere decrevisset; ne illae quicquam detrimenti in necessitatibus suis hac occasione paterentur, etiam praecepit locorum Ordinariis et Superioribus earum, ut fidelium eleemosynas per conversas non professas, vel professas quidem sed aetatis saltem

quadraginta annorum et iampridem conversas, quae in domibus contiguis, extra tamen monasterium degerent, colligendas curarent; ita tamen, ut praedictae conversae neque clausuram aliarum monialium, nisi in casibus permissis ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum aut Superiorum suorum exire possent. Quod si ne hoc quidem sufficere videretur, idem Pius Praedecessor mandavit ipsis Ordinariis et Superioribus, ut negotium darent aliquibus personis piis tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerent, quae ad sublevandam monialium inopiam expedire iudicarent.

2. Cum autem, sicut accepimus, multae moniales, etiam quae tertiariae vocantur, sub solemni Religionis voto, perpetuaque clausura degentes, aliaeque talibus literis comprehensae, et in ipsa clausura permanentes, multis praeterea ad se sustentandas necessariis egeant, neque usque ad hoc tempus ullo sufficienti remedio earum necessitatibus subventum sit, quin etiam aliae tertiariae citra ullum solemne hucusque votum vivant, quae ad suas suarumve domos neutiquam rediturae essent, sed sub solemni Religionis voto et clausura praedictis permanerent, si earum congruae sustentationi provideretur; Nos, qui illas necessariis rebus destitui nolumus, certioresque facti sumus, in multis civitatibus, oppidis, villis, aut aliis locis tam in ecclesiis et monasteriis, quam hospitalibus, collegiis, confraternitatibus et aliis locis piis, etiam quae a privatis hominibus, tum ecclesiasticis, tum laicis, multas ac diversas eleemosynas Christi pauperibus erogari, considerantes in eiusmodi personas vel in primis exercendam esse charitatem, quae voluntaria paupertate suscepta ab omni hominum commercio segregatae Deo serviunt, et assiduis precibus iram ipsius ob peccata conceptam christiano populo deprecantur; illud quoque cogitantes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca praedicta conferre se liceret, viam fore, ut praedicta monasteria, ecclesiae, loca, ac personae eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis aliis pauperibus eodem concurrentibus solent, universo illi Deo devotarum mulierum generi de opportunae ac sufficientis obventionis auxilio providere cupientes,

3. De Nobis attributae potestatis plenitudine statuimus et ordinamus, ut omnes et quicumque Patriarchae, Primates, Archie-

piscopi, Episcopi et alii ecclesiarum Praelati, necnon Abbates, Priores, Praepositi et alii ecclesias patriarchales, primatiales, metropolitanas, cathedrales et alias ecclesias, necnon monasteria, prioratus, praeposituras, canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, saecularia, et S. Benedicti, S. August., Cistercien., Cluniacen., Praemonstratensis, Cartusiensis, Camaldulensis, S. Basilii, Cassinensis alias S. Iustinae, Montis Oliveti, S. Salvatoris, ac Lateranensis et Cruciferorum, seu fratrum S. Hieronymi, necnon Praedicatorum, Minorum, Minimorum et Carmelitarum, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Servorum B. Mariae, S. Clarae, et quorumcumque aliorum tam virorum, quam mulierum etiam mendicantium Ordinum et Congregationum, et militiarum regularia, etiam de iure patronatus laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum et aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, et alias quomodocumque obtinentes, necnon rectores, gubernatores, confratres, administratores, ceterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, conventuum, mensarum, hospitalium etiam laicorum, et per laicos administrari solitorum, Christifidelium confraternitatum, scholarum, collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, et in quibusvis mundi partibus consistentium, quae singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex ecclesiarum, monasteriorum, prioratuum, officiorum, dignitatum et beneficiorum, ac congregationum, hospitalium, confraternitatum, scholarum, collegiorum, piorum et aliorum locorum praedictorum fructibus, reditibus et proventibus, pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, eduliis, pecunia, seu aliis ad victum vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem et preces, et per schedulas et bollettina, aut alias distribuere et elargiri ab immemorabili tempore consueverunt, aut alio quocumque iure tenentur ex dictis fructibus, reditibus et proventibus, et quoad hospitalia praedicta ex iis, quae servata in illis actuali hospitalitate supersunt seu supererint, necnon quaecumque personae particulares etiam laicae, vel universitates etiam laicorum, quod testamento, ultima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter vivos, aliquales tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, et quarumcumque eleemosynarum et largitionum huiusmodi, quocumque nomine nuncupa-

tarum, quocumque tempore et modo distribui solitarum, etiam si speciali nota dignae, et secundum pias defunctorum, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis in testamento, vel alia quacumque dispositione distribuendae sint (dummodo non in certas personas, nec ad certos usus pios alios quam victus et alimenta pauperum distribuantur) quibuslibet praedictarum monialium etiam tertiariarum sub solemni Religionis voto et perpetua clausura de cetero viventibus, et in terris, et locis, quorum pauperibus huiusmodi eleemosynae distribuuntur, consistentibus, vere, realiter et cum effectu, et absque ulla eleemosynarum et largitionum huiusmodi petitione, exactione et conquisitione, aut alia desuper a Nobis exspectata iussione, aut mentis Nostrae declaratione, ac quibusvis mora, subterfugio, ac exemptione cessantibus et eiectis, dare atque distribuere omnino teneantur, et quam dimidiam partem nos illis applicamus.

4. Ut autem praemissa omnia cum charitate et pietate procedant, et efficaciter suum effectum sortiantur, universis et singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et aliis locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut quisque per se, vel alium seu alios ad praesentium exsecutionem in suis civitatibus et dioecesibus procedens, ab ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, confraternitatibus, scholis, collegiis et locis, ecclesiasticis ac laicis personis praedictis, etiam quomodolibet exemptis, dimidium eleemosynarum huiusmodi exigant, ac pro portione, ut Ordinariis ipsis locorum aequum esse videbitur, singulis pauperum monialium etiam tertiariarum monasteriis huiusmodi suarum civitatum et dioecesum, etiamsi aliis Superioribus subiectae sint, cum effectu distribuant.

Nos enim eisdem locorum Ordinariis etiam tamquam Apostolicae Sedis Delegatis ac cuilibet illorum tam per se quam alium, vel alios, praemissa faciendi, ac etiam contradictores quoslibet et rebelles per poenas pecuniarias eorumdem Ordinariorum, et cuiuslibet illorum arbitrio infligendas et applicandas, ac in subsidium sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, quacumque appellatione postposita, respective compescendi, auxiliumque brachii saecularis invocandi, aliaque in praemissis, et circa ea necessaria et opportuna faciendi, gerendi, mandandi et exsequendi, plenam et liberam facultatem et auctoritatem concedimus et impertimur.

5. Insuper, quia valde rationi consonum est, ut etiam ii, qui ipsis monialibus, etiam tertiariis indigentibus praefatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in praemissis subsidium conferant, cum ratio sanguinis et debitum charitatis et honestatis id postulet, singulis locorum Ordinariis committimus, ut omni eos officio et diligentia monere, eisque persuadere studeant, parentes vero et fratres ac alios, ad quos illas, si in saeculo permansissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona et successiones devenerunt, et qui, si eas nuptui tradidissent, multo amplius, quam ingredientibus monasterium dedissent, qui, si eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur, quibuscumque viis ipsis benevisis inducant, ut monialibus, etiam tertiariis praedictis iuxta eorum facultates charitative subveniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum.

6. Ceterum quod attinet ad conversas professas, quas praedictus Pius Praedecessor per praedictas Literas sub certis conditionibus ibi contentis permisit posse manere extra monasteria pro colligendis eleemosynis, eisdem locorum Ordinariis iniungimus, ut quibus monasteriis praedictarum monialium quotidianis laboribus computatis, supradicta vel alia qualibet ratione de sufficienti subventione et sustentatione provisum esse cognoverint, easdem conversas sub eadem clausura cum aliis monialibus reducant, neque a suis monasteriis amplius exire permittant. Conversas vero non professas, et profiteri nolentes, dimisso habitu domum remittant, neque alias in futurum, nisi professionem suo tempore emissuras, atque sub perpetua clausura mansuras in monasteria huiusmodi recipi permittatur. Quod autem idem Pius Praedecessor statuit, de cetero nullas alias conversas professas recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum posse, ita esse intelligendum declaramus, praeter illas conversas, quae extra monasterium in domibus contiguis degerent. Eleemosynarum vero praedictarum contributionem et applicationem durare et valere decernimus, ac suos effectus ad plenum sortiri debere, donec numerus monialium etiam tertiariarum huiusmodi (quem per ipsos locorum Ordinarios etiam in monasteriis ab eorum cura et regimine quomodocumque exemptis, cum illarum Superiorum interventu stabiliri et ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu Superiorum suorum, volumus et

mandamus) ita imminutus fuerit, ut reliquae moniales etiam tertiariae ex propriis reditibus monasteriorum ipsorum, vel consuetis eleemosynis se commode sustentare queant: super quo eorumdem Ordinariorum conscientiam oneramus, ita tamen, ut decedentibus singulis ex tribus earumdem monialium partibus, tertiae quoque earumdem eleemosynarum partis distributio, et sic successive in totum exstinguatur atque in pristinum statum sub debitis aut solitis oneribus revertantur et remaneant.

Declaramus praeterea nullis monialibus etiam tertiariis licere, habere ostium, per quod ex monasterio introiri possit in ipsarum monialium ecclesiam exteriorem, in quam saecularibus ad Missas et divina officia sua patere solet accessus, sed omnino muro obstruendum, neque itidem licere monialibus etiam tertiariis egredi a ianua monasterii, quae est pro clausura ipsius monasterii etiam ad claudendum aliam ulteriorem ianuam, qua patere solet aditus saecularibus venientibus, vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquiis destinata, quae vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulsandam ipsam ianuam clausurae; quae loca, cum saltem pro causis praedictis patere soleant saecularibus, extra clausuram censeri debent, etiam pro tempore clausa sunt.

7. Insuper quoscumque dominos et magistratus temporales in Domino hortamur, monemus et requirimus, ut ad omnem ipsorum Ordinariorum, aut alicuius ipsorum petitionem, vel simplicem requisitionem, illis in praemissis assistentes, omnem opportunum favorem et auxilium praestent et exhibeant.....

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae 1572., III. kal. Ian., Pontificatus Nostri anno I.

LII.

Benedicti XIV. Breve Salutare *de clausura monialium.*

(Ad pag. 147. vol. II.)

Summarium. 1. Accurata monialium clausura semper in ecclesiis servata fuit. Relaxatio huius disciplinae ab aliquibus invecta. – 2. Pontifex confirmat Praedecessorum Constitutiones. – 3. Adimit et revocat facultates dispensandi quibuslibet concessas, salva auctoritate Ordinariorum. – 4. Usum facultatum huiusmodi interdicit et irritum decernit.

Salutare in catholica Ecclesia institutum, ab ipsa antiquitate susceptum, ac tanta cum sollicitudine et pastorali zelo custodi-

tum, ut flos ille ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritualis, laeta indoles, laudis et honoris opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, sacrae virgines, quarum, quo sublimior gloria est, maior et cura est, intra monasteriorum septa et claustra vigili sollicitaque custodia servarentur, tam ante, quam post Tridentinae Synodi decreta Romani Pontifices, Praedecessores Nostri, tot sanctissimis legibus et initis Apostolicae providentiae charitatisque consiliis communire et confirmare studuerunt, ut, quae se Christo dicaverint, et a carnali concupiscentia recedentes, tam carne quam mente se Deo voverint, consumment opus suum magno praemio destinatum.

1. Quoniam autem etsi providas huiusmodi sanctiones constitutionesque, si ea, qua decet, regularis disciplinae observantia custodirentur, satis esse scimus, ut virgines ea, quae coelestis earumdem Sponsi Iesu Christi sunt, cogitantes, sint sanctae et corpore et spiritu; longa tamen experientia edocti, et assiduis venerabilium Fratrum aliarum ecclesiarum Antistitum querelis admoniti, supremas Apostolicae auctoritatis providentiaeque partes requiri, ut abusibus quamplurimis ex nimia quorumcumque, aut sibi quocumque pacto arrogantium aut praetendentium, aut obtendentium facultatem alias sibi quomodolibet, sive a iure, sive ab homine concessam vel demandatorum munerum ratione debitam esse, ut sive ipsi sive alii ingredi clausuram monialium, aut ipsae moniales e clausura ob quascumque etiam non legitimas causas egredi, et extra clausuram huiusmodi commorari possint, licentiam concedendi, indulgentia sensim invectis, opportune occurratur,

2. Hinc est, quod Nos, pro suprema omnium Christifidelium procuratione imbecillitati Nostrae in universalis orthodoxae Ecclesiae regimine divinitus imposita, opportunum abusibus huiusmodi remedium, quantum cum Domino possumus, adhibere satagentes, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, omnes et singulas constitutiones a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, tam ante, quam post Concilii Tridentini decreta super clausura monialium editas renovamus et confirmamus, necnon imposterum ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et in futurum spectabit, sub iisdem poenis in Constitutionibus eorumdem Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum et decretis Concilii Trident.

praefati contentis inviolabiliter observandas esse statuimus, decernimus, praecipimus atque mandamus.

3. Praeterea motu proprio, et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, earumdem praesentium tenore, omnia et singula indulta, privilegia, praerogativas, facultates, licentias et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones, omnibus et singulis quibuscumque ecclesiasticis personis, quacumque auctoritate, dignitate, honore, praeeminentia ac iurisdictione fungentibus, etiam venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, sive singulis sive eorumdem Cardinalium Congregationibus, etiam de latere Legatis, sive qui provinciis et legationibus Status Nostri Ecclesiastici pro tempore praesunt, sive quos ad charissimos in Christo Filios Nostros Romanorum Regem in Imperatorem pro tempore eligendum, vel electum, Reges et reginas illustres aliasque summas potestates, prout rerum conditio postulaverit, mitti et ablegari contigerit; sive qui, licet aliarum insignium ecclesiarum Antistites, tamen tamquam Apostolicae huius S. Sedis Legati de latere alias nuncupati, et habiti sunt, et fortasse habentur aut haberi et esse praetendunt et imposterum habendi sunt; sive ordinarii sive extraordinarii Nostri et eiusdem Apostolicae Sedis ubicumque, etiam apud ipsos Imperatorem et Reges, ac summas potestates Nuntii sive Inter-Nuntii resident (exceptis dumtaxat locorum Ordinariis, iisque omnibus Superioribus, quibus tamquam Ordinariis et ordinaria iurisdictione utentibus monialium monasteria subiecta et addicta sunt, in casibus tamen necessariis et servatis aliis de iure servandis, et non aliter omnino) ac demum quibuscumque aliis quocumque nomine et expressione nuncupatis personis, quocumque tempore, a quibusvis, etiam ab ipsis Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, quacumque de causa, occasione, titulo, colore et praetextu, per quascumque Apostolicas, sive in simili forma Brevis, sive sub plumbo expeditas Literas, sub quibuscumque verborum formis facta, data, concessa et impertita, sive factas, datas, concessas et impertitas super huiusmodi ingressu, revocamus, abolemus, annullamus atque irritamus; necnon a datarum earumdem praesentium die revocata, abolita, annullata et irrita, ac nullius prorsus momenti ac vigoris esse et fore, neminique cuilibet quocumque tempore suffragari.

4. Ac quemlibet omnium antedictorum, etiam speciali men-

tione dignorum, quacumque facultate huiusmodi, sive pro se sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto, absque ulla alia declaratione, poenas et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium inflictas, a quibus, praeterquam a Nobis et pro tempore existente Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit, incurrere et incursurum esse; licentiamque huiusmodi concessam nullo modo suffragari, atque nullius momenti, perinde ac si minime concessa fuisset, ipso facto fore et haberi, ac poenas et censuras ecclesiasticas ipso etiam facto, ut praemittitur, per contrafacientem incurri et incursas esse statuimus, decernimus ac declaramus.....

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die III. Ianuarii 1742., Pontificatus Nostri anno secundo.

LIII.

Benedicti XIV. Breve Per binas *die 24. Ianuarii 1747. de clausura monialium et admissione famularum in monasteria.*

(Ad pag. 147. vol. II.)

Summarium. Leges super clausura a Pontifice latae enumerantur. Novi abusus ad eumdem delati. Apostolica et conciliaria statuta innovantur. Praescribitur ordo servandus pro ingressu mulierum in monasteria, sub poenis etc.

Per binas alias Nostras in simili forma Brevis Literas, quarum unae quidem datae fuerunt die 1. mensis Iunii anno 1741. incipientes *Cum Sacrarum Virginum*, alterae vero die 3. mensis Ianuarii anno 1742. itidem incipientes *Salutare in catholica Ecclesia institutum*, ea opportuna adhibere curavimus Apostolicae providentiae supremaeque auctoritatis Nostrae remedia, quae ad instaurandam regularem quoad clausuram monialium observantiam, a primaeva disciplina per Praedecessores Nostros Romanos Pontifices et sacros canones confirmata, sensim dilabentem, satis esse in Domino duximus. Quoniam autem non sine gravissimo animi Nostri angore accepimus novas artes ac nova inventa, etsi antiqua sint, ac toties proscripta, sub variis exquisitisque causis et rationibus in dies excogitari, quae non solum per praescriptas leges prohibentur, sed quamplurimis etiam inordinationibus et offendiculis aditum patefaciunt: ac primum quidem eo pervenit famularum ad monialium ministerium in monasteria admitten-

darum abusus, ut indultum, quod ab Apostolica hac Sancta Sede sub tot salutaribus conditionibus concedi solet, etsi pro prima vice servatis iisdem conditionibus exsecutioni demandetur, deinceps tamen, quoties admissam famulam aut e monasterio egredi, aut viam universae carnis ingredi contingat, toties, nulla indulti huiusmodi habita ratione, ad libitum monialium, sine alia Antistitum Ordinariorum locorum, ad quos spectat, scientia et licentia, sed de Superiorum regularium earumdem monasteriorum dumtaxat aliquando consensu, aliae atque aliae in monasterium inducantur famulae, de quarum moribus, fama, vitiis ac virtutibus nulla praecesserit legitima cognitio; unde fit, ut sub famularum nomine ac praetextu feminae quaecumque in clausuras non sine clausurae violatione admittantur: illud praeterea in more positum esse dolentes audivimus, ostia nimirum monasteriorum, quae semper clausa esse, nec nisi ad necessaria eorumdem monasteriorum commoda recludi debent, ita assidue patefieri, ut moniales, et quaecumque aliae in monasteriis degentes virgines in propatulo sedentes, sive stantes, cum quibusvis utriusque sexus hominibus illuc accedentibus indiscriminatim colloqui et iocari etiam non erubescant, ut saepe quamlibet feminam in quacumque aetate constitutam sive consanguineam, sive affinem, sive tamquam famulam cuiuslibet earundem monialium in ipsam clausuram accersant; et quamvis ipsae moniales impellant, sponte tamen ingressam deinde asserant; nec religioni ducant censuras ac poenas canonicas, quibus ea propter obnoxiae fiunt: Nos sane, qui pro imposita Nobis divinitus suprema Apostolicae servitutis procuratione saluberrime occurrere debemus hisce abusibus et inordinationibus, etsi abusus et inordinationes huiusmodi in ista Fraternitatis tuae dioecesi neque unquam irrepsisse, neque unquam irrepturas esse in Domino confidimus; Fraternitati tamen tuae notum esse volumus, quod Nos non solum omnes et singulas Constitutiones tam ab iisdem Praedecessoribus Nostris, Romanis Pontificibus, quam a Nobis ipsis super clausura monialium editas, verum etiam omnia et singula decreta tam a Concilio Tridentino, quam a Congregationibus venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium super eadem clausura, et admissione et receptione educandarum puellarum et famularum, sive quarumcumque feminarum promulgata, quatenus opus sit, tenore praesentium auctoritate Apostolica confirmamus, et sub

poenis etiam per easdem Constitutiones et decreta contra inobedientes inflictis, servari mandamus ac praecipimus. Insuper tenore et auctoritate paribus statuimus ac declaramus, admissionem receptionemque quarumcumque feminarum sive puellarum educandarum, sive famularum in monasteria, quacumque ex causa, sine legitima authenticaque eiusdem Apostolicae Sedis licentia, toties quoties opus fuerit, impetranda et praevio examine super moribus, fama, habilitate et necessitate ipsarum educandarum puellarum vel famularum, per Antistites locorum Ordinarios tantummodo, et non alios quoscumque Superiores toties itidem, quoties necessitas postulaverit, habendo, non obstante quacumque consuetudine etiam longi temporis, fieri non debere. Quod si secus factum, ac fieri in posterum contingat, statuimus pariter ac declaramus, tam moniales et quascumque in monasteriis degentes, quae feminas quascumque in eadem monasteria quomodocumque admiserint receperintque, quam ipsas feminas admissas et receptas, canonicis censuris et poenis obstrictas esse ac fore, a quibus easdem moniales et feminas huiusmodi eiusdem tuae dioecesis, si fortasse hac in parte deliquisse contigerit, de praeterito tantum absolvendi facultatem Fraternitati tuae, cum facultate etiam alios subdelegandi, tribuimus et impertimur. Ceterum Fraternitati tuae iniungimus, ac praecipimus, ut omnium et singularum ordinationum per laudatum Concilium Tridentinum et Apostolicas Constitutiones et dictarum Congregationum decreta super clausura monialium, et delegata Antistitibus locorum Ordinariis visitatione tam interna, quam externa praescriptarum memor, easdem ordinationes sub poenis desuper inflictis debitae exsecutioni mandare satagas et studeas, necnon mandari facias, cures et adnitaris. Interim ad prosperi successus auspicium tibi, venerabilis Frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die 24. Ianuarii 1747., Pontificatus Nostri Anno VII.

LIV.

Causa Americana votorum *(S. Congr. Episc. et Regul.) de votis solemnibus et de clausura.*

(Ad pag. 148. vol. II.)

Anno 1800. D. Veale quasdam pias mulieres in civitate Georgestoren. in communitatem collegit data eis regula et constitutionibus monialium Visitationis, sive S. Francisci Salesii, ut puellas catholicas instituerent ac etiam in convictum reciperent. Cum huius institutionis utilitatem experientia comprobasset, eas regere coepit ad instar monialium, quae regularem professionem emittunt, constituta Moderatricis electione, novitiatu et professione trium votorum paupertatis, castitatis et obedientiae, quae ad annum perdurarent et quotannis, permittente Archiepiscopo Baltimoren. renovarentur. Memorato D. Veale ad archiepiscopalem ecclesiam Baltimoren. promoto, ipse anno 1816. Summum Pontificem deprecatus est, *ut velit gratiose mihi conferre potestatem admittendi eas* (idest dictas Sorores Salesianas) *ad vota solemnia Religionis, et efficiendi dictam communitatem vere religiosam,* subiectam regulis Instituti Visitationis cum omnibus privilegiis eidem concessis: et Pius VII. s. m. die 14. Iulii 1816. per S. Congr. de Propaganda Fide Archiepiscopo concessit facultatem eas *admittendi, servatis servandis, ad solemnem votorum professionem...* et cum extensione indulgentiarum et privilegiorum, quibus gaudent moniales Visitationis B. M. V.

Anno 1823. Archiepiscopus Baltimoren. petiit et obtinuit a Sancta Sede, ut ad institutionem puellarum extra monasterium deputare posset prius duas Sorores conversas, deinde *tot ex illis, quot opus esse iudicaret.*

Anno 1829. per Rescriptum eiusdem S. C. sub die 10. Maii a Pio VIII. fel. rec. assequutus est sanationem nonnullarum immutationum factarum in constitutionibus ab Ordinario et in posterum forsan faciendas ob locorum circumstantias, praesertim quoad educandatum externum praeter alium internum, quem auctorante Episcopo iam constituerant, quin impedimento essent, quominus dictae moniales de Visitatione censerentur.

Tandem anno 1840. idem Archiepiscopus, postquam Gregorio XVI. s. m. exposuerat, praefatum Rescriptum anni 1829. et erectiones aliarum domorum Visitationis factas in civitatibus Mobilensi, Kaskakiensi et Baltimorensi, deprecabatur, « ut omnia, » et singula privilegia, iura et indulgentiae, quae Summi Pon» tifices hucusque monialibus Georgiopolitanis concesserant, . . . » respective extendantur ad omnia et singula monasteria, quae » a praefatis monialibus Visitationis iam erecta fuerunt, et in » posterum sunt erigenda,.... et ut S. V.... earum vota (idest » a monialibus in praefatis tribus novis monasteriis emissa), » posito quod sint nulla quatenus solemnia, revalidet et confir» met, dummodo illae consensum renovent et professionem suam » votis saltem privatis iterum emissis ratificent: » hisce precibus die 22. Novembris 1840. *SSmus mature perpensis expositis benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta petita.* Hoc Rescriptum uti alia a S. C. de Propaganda Fide expeditum fuit.

Verum anno 1843. Rmus Rosati, Episcopus S. Ludovici, in cuius Dioecesi monasterium Kaskakiense extabat, cum Romam advenisset, dubium de solemnitate votorum proposuit, fortasse quia supra relatum Rescriptum anni 1840. ignorabat. Tres rationes dubitandi proponebat, nempe: 1. defectus clausurae, quae integre servari non poterat ob ingressum puellarum et aliarum extranearum personarum; 2. dispositio legum civilium, quae effectus professionis quoad votum paupertatis minime admittunt; 3. defectus vis coactivae ad coercendam aliquam monialem, quae professionis religiosae pertaesa e monasterio egredi vellet, leges enim civiles huiusmodi professionem haud agnoscunt. Hinc cum de re gravissima ageretur proposito dubio:

« Utrum vota monialium monasterii Visitationis in civitate » Kaskakiensi solemnia essent et cum clausura Papali, an tan» tum simplicia; an saltem conveniens foret Suae Sanctitati sup» plicare, ut extendere dignaretur pro monialibus eiusdem dioe» ceseos, quae in posterum professurae essent, declarationem da» tam pro monialibus Galliarum? »

Emi Patres S. C. EE. et RR. die 13. Ianuarii 1843. rescripserunt: *Dilata, et audiatur votum proximi Concilii Provincialis, certiorata S. C. de Propaganda Fide.*

Episcopi in bifariam abiere sententiam, nonnulli enim vota uti solemnia, nonnulli uti simplicia existimabant. Porro in Con-

cilio Provinciali Baltimorensi anno 1858. hac super re sedulo disputatum est, et Patres Concilii decreverunt, ad Summum Pontificem scribendum esse. Et revera epistolam die 9. Maii 1858. scripserunt, in qua legebatur: « Habemus in pluribus huius pro» vinciae dioecesibus moniales quasdam, de quarum votis saepe » dubitatur, sintne simplicia an solemnia. Aliquae Communita» tes videntur facultatem solemnia vota emittendi a S. Sede con» cessam certe possidere; de aliis non ita clare constat. Non» nulla sunt, quae pro certo habent, sua vota esse solemnia; » iure tamen timeri potest, ne fallantur, cum conditiones omnes » ad hoc requisitas non adimpleverint..... Nos.... rem hanc.... se» dulo ad examen revocavimus..... eodem tempore aliam quoque » quaestionem e priori inter disputandum enatam, scilicet: utrum » et quatenus expediat vota solemnia a religiosis mulieribus in » hac provincia in posterum emitti . . . . perpendimus. » Deinde exponebant, quid ipsis visum fuerit: « Primo loco lectis et per» pensis Rescriptis aliisque documentis... (a S. Sede acceptis), » omnes uno consensu iudicavimus, vota a monialibus Visitatio» nis in hac provincia emissa, esse procul dubio solemnia. Nihil » obstare arbitramur monasteriis in hac regione erigendis, in » quibus vota solemnia emitti possint, modo conditiones omnes, » quas Concilium Tridentinum et Romanarum Congregationum » praxis requirere solet, quoad substantiam adimpletae fuerint.

» Verum quidem est, vota solemnia non rata haberi, nec agno» sci quidem a legibus civilibus huius regionis; sed in hoc nul» lam causam videmus, quare vota huiusmodi emittenda non » sint... Denique... petimus a Sanctitate Tua, ut instructionem » quamdam parandam, et nobis transmittendam curet, in qua » clare et plene exponantur conditiones omnes, quas pro hac » regione necessarias S. Sedes iudicat, ut monasteria, in quibus » vota sint solemnia, constitui possint. » Deinceps Archiepiscopus Baltimoren. die 4. Octobris 1858. scripsit epistolam, in qua legebatur: « Haerent plures Praesules sacerdotesque, utrum expediat » vota solemnia in posterum emittere, quae tamen moniales ipsae » plurimi faciunt utpote decus et praesidium suum. »

Ex quibus omnibus patet, non agi in casu dumtaxat de votis monialium Visitationis, verum etiam de votis aliarum monialium, quae exstant in statibus confoederatis Americae, uti sunt moniales Carmelitae, S. Ursulae, aliaeque, quae profitentur regulam

alicuius Ordinis a S. Sede approbati, in quo illius alumnae vota solemnia emittere solent (1). Secunda quaestio in eo posita erat, ut expenderetur, an ob peculiares circumstantias locorum ac legum expediret praescribere in Statibus foederatis Americae quoad moniales professionem dumtaxat votorum simplicium. Porro SSmus D. N. Pius PP. IX. huius quaestionis examen commisit Congregationi particulari Patrum Cardinalium Patrizi, Clarelli, Quaglia, De Luca, Bizzarri, ex Sacra Congregatione EE. et RR. delectorum, ut eorum votum panderent. Insuper deputati fuerunt duo Consultores, qui rem penitius perpenderent, et eorum animadversiones Congregationi deputatae subiicerent. Hinc quatuor dubia discutienda Consultores sibi proposuerunt, nempe: « 1 An » monasteria monialium erecta in statibus foederatis Americae » absque beneplacito, et concessione Sanctae Sedis vota solemnia » habeant? 2. An moniales Visitationis in domibus Georgestoren. » Mobilien. Kaskakien. et Baltimoren. emittere valuerint, et va» leant professionem votorum solemnium? 3. An expediat exten» dere declarationes datas pro monialibus regni Galliarum ad » moniales statuum foederatorum Americae, ita ut ipsae vota sim» plicia tantum emittere possint? 4. An et quae instructio in » casu danda sit? »

Hic summatim referuntur, quae Consultores diffuso calamo scripserunt. Et relate ad primum dubium nempe ad necessitatem beneplaciti Apostolici quatuor doctorum sententiae relatae sunt, ex quibus prima docet, post Concilium Tridentinum, quod *Sess. 25. cap. 3. de Regul.* loquitur dumtaxat de Episcopi venia, extra Italiam sufficere licentiam Episcopi, et non requiri beneplacitum Apostolicum; cum enim Concilium de licentia tantum Episcopi mentionem faciat, praecedentibus dispositionibus canonicis derogasse censendum est.

Secunda sententia tradit, legem beneplaciti Apostolici dumtaxat Religiosos mendicantes afficere; eos enim tantum respicit Constit. Bonifacii VIII. *Cum ex eo, de excessibus Praelatorum in 6.*, cum id ex citata Constitutione clare appareat. Quodsi Constitutio *Instaurandae* Innocentii X. omnes Ordines, etiam non mendican-

(1) Quaestio igitur non respicit alumnas novarum Congregationum, in quibus ex ipsa institutione vota simplicia tantum emittuntur.

tes comprehendat, eius dispositio intra limites Italiae et insularum adiacentium cohibetur (1).

Tertia sententia respicit beneplacitum Apostolicum relate ad erectionem monasteriorum sanctimonialium, et tradit, posse erigi monasteria monialium cum votis solemnibus etiam in Italia absque Apostolico beneplacito obtenta tantum licentia ab Episcopo; nam moniales in citatis Constit. Bonifacii VIII. et Innocentii X. non comprehenduntur, dummodo profiteantur Ordinem a S. Sede approbatum.

Quarta sententia affirmat, omnino requiri beneplacitum Apostolicum pro canonica erectione novorum monasteriorum, conventuum et domorum religiosarum tam intra quam extra Italiam cuiuscumque Ordinis sive mendicantium, sive non mendicantium, et hanc beneplaciti necessitatem etiam ad monasteria sanctimonialium extendendam esse.

Prior Consultor quartam sententiam magno eruditionis apparatu tuebatur. Primo quidem referebat monachos et moniales a vetustissimis temporibus consuevisse S. Sedem adire ad canonicam erectionem et firmitatem consequendam; idque ex antiquis diplomatibus et recentioribus continuis Apostolicae Sedis concessionibus demonstrabat (2). Cum autem, prosequebatur, mendicantes privilegia sacculo XIII. obtinuerint erigendi conventus sine venia Apostolicae Sedis, religiosae domus plus aequo et inconsulto excreverant; quare Bonifacius VIII. citata Constit. *Cum ex eo* privilegia revocavit, eisque sub excommunicationis poena mandavit, ne inconsulta Apostolica Sede novos conventus reciperent et erigerent. Haec Constitutio diligenter servata est

---

(1) « Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinum » mendicantium vel non mendicantium, Congregationum, Societatum, et cuiusvis » alterius Instituti, etiam Societatis Iesu, in aliqua civitate, castro, villa seu loco » ad habitandum domos vel loca quaecumque de novo recipere, seu monasteria, con- » ventus vel collegia incipere vel fundare praesumat absque Sedis Apostolicae li- » centia speciali plenam et expressam faciente de prohibitione huiusmodi mentionem » in scriptis et gratis concedenda, praevia examinatione Congregationis negotiis » EE. et RR. praepositae; si secus egerint, eo ipso incurrant poenas privationis et » inhabilitatis ut supra inflictas; et nihilominus receptiones, fundationes et ere- » ctiones sint ipso iure nullae et invalidae. Intendimus autem in praemissis etiam » ultra Italiam et insulas adiacentes providere. » Ita in Constit. *Instaurandae*.

(2) Videri possunt *Annales Benedictini* a Mabillonio, *Bullarium Romanum*, *Monasticon Anglicanum*, *Annales Camaldulenses* a Mittarellio et *Cistercienses* a Maurique editi, et historia *Ordinis Carthusiani* a Tromby edita.

etiam quoad moniales usque ad Concilium Tridentinum, prout constat ex Bullariis Ordinum, et ex Annalibus Waddingi. Post Tridentini decretum Regulares prosequebantur a S. Sede beneplacitum Apostolicum petere, et Romani Pontifices in expediendis Literis, quibus venia concedebatur novas domos erigendi, Constit. Bonifacii VIII. derogare semper consueverunt: ideoque facto confirmabant, memoratam Const. etiam post Concilium Tridentinum in suo robore permanere, ei enim neque explicite, neque implicite derogatum fuit, cum incompatibilis dici nequeat necessitas assensus Antistitum et Apostolici beneplaciti. Quod vero ad monasteria sanctimonialium spectat, suam sententiam confirmabat ex Constit. Sancti Pii V. et Gregorii XIII., quibus papalis clausura constituta fuit. Clerici Regulares, Consultor inquiebat, saeculo XVI. specialia privilegia pro erectione eorum domorum, et collegiorum a S. Sede consequuti fuerant, quae deinde Urbanus VIII. revocavit, prohibens Constit. *Romanus Pontifex* die 28. Aug. 1624. non solum mendicantibus, verum etiam aliis Institutis regularibus, ne monasteria, collegia, domos, conventus nisi de expressa Ordinarii licentia, et servata in omnibus et per omnia sacrorum canonum, et Apostolicarum Constit. et decretorum forma fundare praesumerent. Quapropter Didacus de Aragona in opere, cui titulus *Dilucidatio privil. Ordinum Regul. praesertim mendic.* habet: *Quia dicta privilegia fuerunt revocata ab Urbano VIII. per suam 25. Constit., requiritur copulative assensus Sedis Apostolicae,* quod Donatus quoque tradit in tom. 4. *Praxis regularis.* » Quae cum ita res essent ante Constit. *Instaurandae* Innoc. X. tam intra quam extra Italiam, mirum non est, si huius Constitutionis dispositionem relate ad erectionem novarum domorum religiosarum ubique, ac etiam quoad moniales tribunalia et Sacrae Urbis Congregationes servandam esse edixerint, prout refert Benedictus XIV. de Synod. dioeces. lib. 9. cap. 1. n. 9. inquiens: « Com» munis hodie et in tribunalibus recepta est opinio, non licere » Regularibus tam intra quam extra Italiam nova monasteria, » aut conventus sola Episcopi localis auctoritate, sed Apostolicae » Sedis licentiam praeterea necessariam esse (1). » Nec obstare

(1) Vide decis. Rotae in *Barchinonen. Conventus* 20. Novembris 1637., in *Toletana Manutentionis* 7. Febr. 1658., in *Caesaraugustana Fundationis Conventus* 17. Martii 1659., quibus edicitur, assensum Summi Pontificis praeter alterum

arbitrabatur restrictionem appositam in dicta Constitutione *Instaurandae* relate ad Italiam et insulas adiacentes, ea enim non respicit omnia, quae in Constitutione praescribuntur, sed dumtaxat suppressionem parvorum conventuum; etenim in eorum suppressione extra Italiam cautius et graviori consilio procedendum erat.

Deinde Rmus Consultor accurate inspectis regestis S. C. EE. et RR. testabatur, etiam recentioribus temporibus, nempe a saeculo XVIII. usque ad praesens pro erectione monasteriorum sanctimonialium tam intra quam extra Italiam beneplacitum Apostolicum passim expeditum fuisse, et speciales casus referebat, quibus directe facultas pro canonica erectione conceditur, et non privilegia tantum, prout nonnulli scriptores censuerunt. Insuper plures proferebat eiusdem S. C. resolutiones, quibus vota monialium simplicia tantum et non solemnia declarata sunt ob beneplaciti Apostolici defectum in erectione monasteriorum (1).

Postea idem Consultor ne aliqua exceptio quoad Americam proferretur, plurima indulta et Rescripta huius S.C. ab anno 1571. usque ad nostram aetatem recensebat, idque auctoritate Solarzani in tract. *de iure Indiarum* comprobabat.

Quibus praehabitis concludebat, vota, quae emittuntur in monasteriis in statibus foederatis Americae sine Apostolico beneplacito erectis, non esse solemnia sed simplicia.

Alter Reverendissimus Consultor certum esse edicebat, requiri pro canonica erectione monasteriorum et conventuum virorum cuiuscumque Ordinis et Instituti in Italia et insulis adiacentibus beneplacitum Apostolicum vi Constit. *Instaurandae*. Fatebatur, communiorem fortasse esse sententiam illorum, qui necessitatem beneplaciti Sanctae Sedis etiam extra Italiam extendunt; verum arbitrabatur, eam valido fundamento haud fulciri relate ad Ordines non mendicantes, licet quoad mendicantes retinenda omnino sit. Et revera, ipse inquiebat, ante Bonifacium VIII. nulla

---

Ordinarii copulative necessarium esse : necnon resolutionem S. C. EE. et RR. diei 25. Nov. 1672., quae « declaravit, non esse locum praetensae fundationi Conventus » Carm. Excalc. in oppido de Bilbao, non obstantibus eorum assertis privilegiis.»

(1) In Cap. *Auctoritate, de Privileg. in 6.* statuitur, quod Religiosi a iurisdictione Episcopi exempti non possunt in locis exemptis, inconsulta S. Sede, novas ecclesias erigere. Hanc decretalem scriptores in utramque partem ad tuendam propriam sententiam interpretari pro viribus student.

lex reperitur, quae veniam Apostolicae Sedis praescribat. Bonifacius VIII. vero de mendicantibus dumtaxat loquitur, quod pariter dicendum est *de Clement. Cupientes de poenis*, et de *cap. unic. de Religios. dom. in 6.* Cum igitur Urbanus VIII. in citata superius Constitutione privilegia revocaverit, et formam a sacris canonibus praescriptam servandam esse mandaverit, dumtaxat mendicantes, qui ea lege tantum tenebantur, respicere poterat.

Idem Reverendissimus Consultor addebat, gratuito et absque fundamento asseri, limitationem appositam in Constit. *Instaurandae* referri tantum ad parvorum conventuum suppressionem, minime vero ad aliam Constitutionis partem; hanc enim distinctionem minime probat Fagnanus in cit. Cap. *Non amplius, de Instit.* Nec Consultor aliquid difficultatis facessere arbitrabatur decisiones Rotae, nam in Decis. 745. *part. 2. Recent.* Rota opinabatur, non esse necessarium beneplacitum Apostolicum; sed deinde sententiam mutavit, eo quod acceperit, S. C. EE. et RR. contrariam profiteri (1). In decisionibus autem *Cracovien. Fundationis monasterii* 19. Aprilis 1649., 20. Iunii 1650. *coram Celso et Eystetten. coram Ratta* de mendicantibus agebatur. Ad auctoritatem Benedicti XIV. quod attinet, animadvertebat, in citato loco non agi hac super re *ex professo*, sed *obiter* tantum, et fortasse dumtaxat de mendicantibus (2).

Quibus praemissis Reverendissimus Consultor gradum faciebat ad canonicam erectionem monasteriorum sanctimonialium virginum, et exponebat, scriptores duas sequi sententias, scilicet quosdem docere, moniales quoque ex paritate rationis in enuntiatis canonibus, et Constitutionibus Apostolicis comprehendi, eo

---

(1) Ipso fatente Consultore constat de antiqua S. C. EE. et RR. praxi.

(2) Pignatellius in Consult. 199. tom. 1. plura hac super re habet. Tradit, legem beneplaciti Apostolici esse favorabilem, nam « lex censenda est favorabilis, etiamsi » contineat odium alicuius, quando per ipsam primario intenditur favor alicuius. » In hoc autem casu Pontifices principaliter intendunt favorem Regularium.» Docet, esse *communiter reprobatam* sententiam, quae post Concilium Trid. beneplacitum Apostolicum excludit. Et §. 41.: « Quare non subsistit, quod fundatio novi mona» sterii sit prohibita solum quando agitur de mendicantibus, ut resolvit decis. 745. » part. 2. Recent... Ex quibus verbis constat, necessariam esse facultatem Apostoli» cam.» Et Card. de Luca *de Regul.* p. 1. tom. 14. *in summa* pag. 44. §. 3. num. 46. habet: « Plura sunt novae fundationis requisita copulative desiderata, ut ea legiti» ma dicatur, nempe: 1. Sedis Apostolicae beneplacitum; quamvis enim aliquorum sit » sensus, ut in mendicantium, non autem in Monachorum Ordine id procedat, contra» rium tamen magis receptum est, ut indistincte istud accedere debeat requisitum...»

vel magis, quod S. C. Conc. declaraverit, Constitutionem Clementis VIII. etiam pro sanctimonialium monasteriis locum habere. Quibus accedunt duae declarationes S. C. EE. et RR., nempe prima sub die 12. Aprilis 1615. citata a Lezana, et relata a Gavanto *in Manual. verb. monialium monasteria,* qua edicitur, non debere monialium monasteria erigi sine speciali S. Sedis venia: et altera 15. Iulii 1615. citata a Barbosa *verb. monialium translatio,* quae est sequentis tenoris: « moniales transferri non pos» sunt in monasteria noviter erecta, nisi eadem monasteria au» ctoritate Apostolica exstructa fuisse prius constiterit, ipsaque » praevia visitatione earumdem monialium capacia, eisque accom» modata, atque ita absoluta reperta fuerint, ut caementariis » aliisque fabris nulla aedificationis causa in ipsa postea ingre» diendi necessitas relinquatur » 15. Iulii in Ulissyponensi.

Scriptores contrariae sententiae putant, moniales non comprehendi, quia dici non possunt mendicantes, nec *in odiosis* sub Regularium nomine veniunt; et quando a S. Concil. Trid. et a Constitutionibus Apostolicis comprehendi voluerunt, de eis expressa mentio facta reperitur. Praefatis S. C. EE. et RR. resolutionibus opponunt resolutiones S. C. Conc. a Fagnano in dicto *cap.* Amplius, *de instit.* citatas.

Hanc sententiam Rm̃us Consultor amplectebatur, quia, si Scriptores dissentiunt, si S. Congregationes conformes non sunt, de certa lege constare non potest. Nec obstare ei videbantur recursus ad S. C., eiusque praxis, et innitebatur auctoritati Fagnani *Cap.* Grave *de officio Ordinarii n. 53.,* ubi legitur: « Consuevit quando» que dubitari, an Episcopis liceat ordinaria auctoritate monaste» rium monialium erigere in vim dicti *cap. 3. Sess. 25. de Regul.* » Practica est, ut erectiones fiant a Sede Apostolica, tum propter » gratias, indulgentias, privilegia et exemptiones, quae ab illa » impetrantur, tum propter facultatem educendi Abbatissam ex » aliis monasteriis pro novi monasterii institutione. Cum enim » haec facultas fuerit Episcopis adempta per Constit. S. Pii V. » super clausura monialium...., illa non consuevit concedi nisi » pro monasteriis erigendis auctoritate Apostolica. » Quo posito Rm̃us Consultor argumentabatur, obligationem recurrendi ad Sanctam Sedem non oriri *directe* a lege praecipiente beneplacitum Apostolicum pro fundatione monasteriorum, sed *indirecte* ex obligatione servandi legem clausurae. Nec obstare arbitrabatur reso-

lutiones S. C., cum aliae contrariae habeantur, et insuper resolutiones Sacrarum Congregationum, licet in casu concreto obligent, non tamen ad casus similes passim extendi debent (1).

Exinde concludebat, quod, si agatur de monasterio sola Ordinarii auctoritate erecto, in quo sanctimoniales regulam a Sancta Sede approbatam profiteantur, dici non posse professiones irritas esse ex beneplaciti Apostolici defectu (2).

Secundo dubio prior Consultor negative respondendum esse existimabat, nam dicta Visitationis monasteria licet Apostolica auctoritate confirmata fuerint, tamen perfecta papali clausura carebant, et in Rescripto Pii VII. apposita erat clausula *servatis servandis*. At quis nescit (ita Consultor) in praesenti Ecclesiae disciplina necessariam prorsus esse pontificiam clausuram ad solemnia vota emittenda? Et revera Sanctus Pius V. in Constit. *Circa pastoralis officii* anno 1566. lata edixit: « Eatenus autem » omnibus (monialibus) sic absque emissione professionis et clau- » sura vivere omnino volentibus interdicimus, et perpetuo pro- » hibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum Ordinem, » Religionem, congregationemque recipiant; quodsi contra huius- » modi hanc Nostram prohibitionem et decretum aliquas recepe- » rint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illa-

---

(1) Resolutiones S. C. EE. et RR., quibus declarantur simplicia vota, quae emittuntur in monasteriis sine beneplacito Apostolico erectis, plures et constantes sunt, et non innituntur specialibus facti circumstantiis, sed solo fundamento quod monasteria sine venia S. Sedis erecta sint: hinc si pro casu proposito valent, etiam pro aliis valere debent, quia unica est in omnibus decidendi ratio.

(2) Hic referre iuvat, quae tradit Card. de Luca tom. XIV. *de Regul.* p. 1. suppl. lib. 16. part. 4. pag. 16. « Sed quodlibet monasterium (Monialium) regitur » per se independenter: atque licet plura adsint monasteria in eadem civitate sub » eadem regula..., attamen unum monasterium vel Institutum est magis latum, et » alterum magis arctum sub diversis vivendi modis. Igitur manifestus error est » cum dicta generalitate procedere, quoniam est quidem valde professionis regularis » necessarium requisitum, ut sit sub aliqua regula per Sedem Apostolicam appro- » bata, sed approbatio debet esse specifica in eo speciali ac praeciso statu ac in- » stituto. » Et Pignatellius in citata Consult. 199. tom. I. post prolatas rationes ad demonstrandum non requiri beneplacitum Apostolicum pro erectione monasteriorum sanctimonialium, notat huius sententiae assertores putare, « tutius esse, quod (mona- » steria) confirmentur etiam a Sede Apostolica. » Et deinde concludit: « Solum urget » declaratio S. C. EE. et RR. et S. C. C., verum his declarationibus opponimus de- » clarationem aliam a D. Fagnano relatam, qui ita tamen concludit, ut standum » sit stylo Romanae Curiae, quae hodie in fundationibus monasteriorum monialium » expedit etiam Breve Apostolicum, et sic copulative requiritur licentia Sedis Apo- » stolicae et Ordinarii. »

» rum quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et » annullamus. » Si igitur Sanctus Pius V. exstinguere voluerat Instituta, quae clausuram papalem servare nolebant, consequens est, eam fuisse Summi Pontificis mentem, ut in posterum erigi minime possent monasteria votorum solemnium absque papali clausura. Hinc factum est, Rmus Consultor prosequebatur, ut Apostolica Sedes non soleat permittere erectionem novorum monasteriorum sine clausura, et simplicia declaraverit vota, quae fiunt in monasteriis, ubi clausura praescripta non reperitur; quae omnia in viridi observantia etiam in America esse pluribus recensitis casibus demonstrabat: nec contrariam consuetudinem vim habere asserebat, cum S. C. C. proposito dubio: « An decretis conciliaria » ribus et Constitutionibus Apostolicis clausuram praecipientibus » obstet contraria consuetudo etiam post Concilium introducta? » Respondit « decretis conciliaribus et Constitutionibus Apostolicis » clausuram praecipientibus nullam consuetudinem obstare. » Quin imo si aliquando peculiares circumstantiae exigant, ut papalis clausura in episcopalem converti debeat, S. C. vota solemnia ad simplicia reducit. Quare cum quoddam Visitationis monasterium canonicam erectionem cum votis solemnibus et papali clausura a S. C. die 29. Ianuarii 1840. obtinuerit, et deinde postulaverit, ut papalis clausura in episcopalem converteretur, ne educandatus, quam prius habebant, detrimentum pateretur, in Congregatione generali diei 17. Martii 1848., Emi Patres, referente Emo Ostini, rescripserunt: « Praefatum monasterium reducendum » esse ad institutum votorum simplicium cum episcopali clausura, » ita ut sanctimoniales, quae post datam huius decreti profiten- » tur, nonnisi vota simplicia emittere possint... Et facta de prae- » missis relatione SSmo D. N. in audientia habita eadem die, » Sanctitas Sua resolutionem S. C. approbavit, ac servari man- » davit. » Cum igitur in Rescripto Pii VII. anni 1816. favore monasterii Georgestoren. legi clausurae derogatum non fuerit, quin imo clausula apposita legatur *servatis servandis*, vota ab iis monialibus emissa ex clausurae defectu nonnisi simplicia esse poterant (1).

(1) Ni fallor, in casu animadvertendum videtur, quod Pius VII. nonnullis monialibus permiserit egressum ad instituendas in scholis puellas catholicas, et a Pio VIII. Rescripto anni 1829. fuerint sanatae aliquae immutationes factae ab Ordinario, et aliae in posterum forsan faciendae ob locorum circumstantias praesertim

Secundus Consultor de clausura loquens in memoriam revocabat eam duas partes habere, nempe *una est observatio claustri non egrediendo extra illud, alia est eiusdem claustri observatio, non admittendo personas extraneas sacculares, vel laicas intra illud:* et clausurae essentiam iuxta Suarez non consistere in eo, quod numquam egredi possint, sed quod sine licentia egredi nequeant. Deinde Consultor commemorabat fontes, ex quibus obligatio clausurae orta et progressa est, scilicet ex Const. Bonifacii VIII. cap. *Periculoso, de statu Regularium in 6:* ex Concilii Trident. *Sess. 25. cap. 5.* et ex Const. S. Pii V. *Circa pastoralis officii,* qua clausura papalis decreta est, sublata Episcopis dispensandi facultate, nonnullis tantum exceptis casibus, cui accesserunt Const. Gregorii XIII. incipien. *Deo sacris* et Bened. XIV. *Salutare* et *Regularis disciplinae,* ex quibus omnibus Consultor aiebat deduci, omnes moniales vere professas et vere religiosas, quae nempe vota solemnia emittunt, clausurae obligatione sub gravi praecepto teneri. Verum dumtaxat in dicta Constit. S. Pii V. professiones irritae declarantur emissae in monasteriis, in quibus moniales *absque clausura omnino vivere volunt;* vel si moniales hac conditione non servandi clausuram professionem emittant. Sed cum accidentale sit discrimen inter clausuram papalem et episcopalem, papalis clausura, dummodo episcopalis servetur, vel moniales, licet eam non servent, tamen paratae sunt ad illius observantiam, si S. Sedes vel Episcopus urgeat, non est conditio essentialis ad vota solemnia emittenda (1).

Nec Consultori videtur obstare obligatio servandi clausuram papalem, quae in Rescriptis a S. Congreg. expresse exprimitur, quando concedit licentiam erigendi aliquod monasterium ; nam talis praescriptio nec *explicite,* neque *implicite* formam substantialem inducit, cum decretum irritans non addatur (2).

---

quoad educandatum externum. Igitur fortasse asseri poterat, quod clausura papalis non omnino deerat ; sed quamdam clausurae moderationem a S. Sede moniales consequutae fuerint, quae attenta Apostolica dispensatione solemnitati votorum officere minime poterat.

(1) S. Pius V. constituit clausuram papalem in citata Constit., et in eadem irritas professiones declarat. Videtur igitur Pontifex clausuram papalem et non episcopalem tantum exigere.

(2) Lucius Ferraris *Verb. Monial.* art. III. n. 5. haec habet: « Quamvis enim » clausura non contineatur formaliter in regula cuiuscumque monialis, continetur » tamen virtualiter sub tribus votis : (S. C. EE. in *Zamaren.* 7. Februarii 1592. et

Quae cum ita sint, et habeantur Rescripta Pii VII., Pii VIII. et Gregorii XVI. in casu, quibus professio votorum solemnium conceditur, et ob speciales circumstantias rigor clausurae remittitur, concludebat Rmus Consultor, nullum dubium remanere quominus vota monialium Visitationis, de quibus agitur, solemnia habeantur. Idem iudicium ferendum esse arbitrabatur de votis monialium S. Ursulae, licet earum monasteria auctoritate tantum Episcopi erecta fuerint, nec clausuram papalem servarent; nam regulam a S. Sede approbatam profitebantur, et aliunde beneplacitum Apostolicum pro canonica erectione necessarium non est, nec papalis clausura est conditio substantialis ad votorum solemnitatem. Tandem relate ad Theresianas et Benedictinas, aliasque, quae profitentur regulam a S. Sede approbatam cum votis solemnibus, existimabat *pro nunc non esse interloquendum*, cum de erectione earum monasteriorum certae notitiae desiderarentur.

Circa generalem extensionem declarationis factae pro monialibus regni Galliarum, nempe quod earum vota sint simplicia, primus Consultor praesertim quoad status foederatos meridionales anceps haerebat; et secundus autumabat vota solemnia servanda esse, sed decernendum, ut antequam alumnae vota solemnia emittant, vota simplicia profiteantur, et in eis per decennium permaneant, quo elapso ad solemnia vota nuncupanda recipiantur.

Hic tamen pro coronide referre praestat, quae S. C. de Propaganda Fide scripserat die 5. Augusti 1855.: « Equidem perspe» cta gentis indole et institutis, quae libertati favent, vix expe» dire videtur, ut solemnia emittantur vota; nam saepe contingit, » puellas proposito mutato e monasterio exire velle, quae ne» queunt detineri absque turbarum periculo: irruunt enim de fa» cto cives, eas in libertatem vindicantes.» Quare caute admodum

---

» signanter sub voto obedientiae: eadem S. C. 16. Aprilis 1619.). Hinc moniales pro» fitentes hac conditione, ut clausura non obligentur, non sunt verae professae, quia » S. Pius V. in Constit. incipien. *Circa pastoralis officii* dictas professiones irritat.»

Et Card. de Luca loc. cit. pag. 2. n. 13. ait: « Numquam Apostolica Sedes prae» sertim intra Italiam erectionem novi monasterii, vel continuationem antiqui sine » ista rigorosa clausura permisit; atque si aliqua ultra montes dignoscitur per» missio, illa nimirum rara est cum maxima difficultate ad preces magnorum Prin» cipum cum speciali huiusmodi Constit. derogatione sequuta... Ideoque aliud est » considerare clausuram tamquam requisitum essentiale professionis religiosae, et » aliud illius defectum considerare ad arguendam Pontificis voluntatem non erigendi » formale monasterium. »

procedendum videtur in permittenda in posterum votorum solemnium professione in aliis monasteriis Statuum foederatorum.

Tandem Consultores dandam esse instructionem existimabant sed diverso modo conceptam secundum propriam cuiusque sententiam in resolutione praecedentium dubiorum expressam.

Emi Patres Cardinales deputati die 1. Septembris 1864. universam rei rationem sedulo diligenterque perpenderunt et votum pandiderunt, quod die 2. eiusdem mensis et anni SSmo D. N. Pio PP. IX. a D. Pro-Secretario S. C. EE. et RR. relatum fuit: et Sanctitas Sua mandavit dari instructionem R. P. D. Archiepiscopo Baltimorensi per epistolam eiusdem S. C. sequentis tenoris:

Perillustris ac Rme Domine uti Frater – Pluribus abhinc annis, ut optime novit Amplitudo Tua, nonnulla Sacrae huic Congregationi EE. et RR. proposita fuere dubia quoad votorum naturam, quae ab istarum regionum monialibus emittuntur. Cum vero nihil super iisdem S. Congregatio decernendum ante putaverit, quam locorum Episcopos sententiam rogasset, acceptis tandem illorum responsionibus, minime distulit de universa rei ratione SSmo Domino Nostro referre. Porro Sanctitas Sua, praevio rei examine ab aliquibus Emis ac Rmis huius S. Congregationis Patribus habito, auditoque eorum voto, haec quae sequuntur statuit, ac declaravit:

1. Vota, quae a monialibus a Visitatione B. M. V. nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgestoren., Mobile, Kaskakien., S. Aloysii et Baltimorae vi Rescriptorum a S. Sede ab eisdem iam obtentorum, esse solemnia.

2. Quoad clausuram, praedictas moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a S. Sede concessis.

3. Ratione habita ad temporum locorumque circumstantias, in posterum ab eisdem monialibus Visitationis post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque annis a votorum simplicium professione, admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, praeviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professae votorum solemnium fruuntur et gaudent.

4. Vota, quae ab aliis monialibus in monasteriis iam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu, quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint.

5. Tandem in monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis vota a monialibus emittenda esse simplicia.

Itaque de mandato Sanctitatis Suae declaratio haec ad Amplitudinem Tuam per praesentes transmittitur, ut eam cum ceteris istorum locorum Ordinariis communicare velis ad rectum monasteriorum regimen ac disciplinam: quod dum perficere curabis, cuncta fausta ac prospera Tibi adprecor a Domino.

Amplitudinis Tuae...

Datum Romae ex Secretaria S. Congreg. Episcoporum et Regularium hac die 30. Septembris 1864.

2. Septembris 1864.

LV.

Alexandri PP. VII. Constit. Felici, *diei 10. Oct. 1664. determinans, quomodo et quando liceat Superioribus regularibus monialium earumque confessariis ingredi septa monasterii et prope illud commorari.*

(Ad pag. 157. vol. II.)

Summarium. Prooemium. 1. Superior semel tantum in anno ingredi potest monasterium in visitatione. – 2. Extra visitationem cum facultate Ordinarii. – 3. Superior per seipsum visitet cum unico socio. Generalis Ordinis cum duobus sociis. – 4. Visitatori assistant quatuor moniales. – 5. Confessarius non ingrediatur absque necessitate. – 6. Confessarii pernoctare debent in proprio conventu. – 7. Quando autem non teneantur pernoctare in conventu. – 8. Poenae contra inobedientes. – 9. Decretum irritans.

Felici sacrarum virginum statui, quae contemptis illecebris saeculi, divinis se obsequiis manciparunt, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere volentes, motu Nostro proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex Nostra mera deliberatione, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, de voto tamen nonnullorum ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum, quibus negotium sedulo ac mature examinandum commisimus,

1. Praesentibus perpetuo valituris sancimus, ut imposterum intra fines Italiae et insularum adiacentium Generalibus, Provincialibus, Abbatibus et quibuscumque aliis Superioribus regularibus, quibus alioquin cura, et regimen monasteriorum sanctimonialium quovis modo incumbit, intra septa eorumdem mona-

steriorum nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa visitationis localis, et hoc semel tantum in anno, ita ut in eo anno, in quo unus ex memoratis Superioribus visitaverit, alius Superior a visitatione huiusmodi se omnino abstineat.

2. Quod si ob clausuram, quae a sancta Tridentina Synodo, etiam in monasteriis exemptis curae et vigilantiae Episcopi in primis committitur, aut ob aliam urgentem ac necessariam causam oportuerit Superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingrediatur, quam cum praesentia Episcopi dioecesani, vel alterius personae ecclesiasticae saecularis boni exempli ac maturae aetatis ab ipso Episcopo ad hoc specialiter deputatae.

3. Visitet autem Superior regularis interiorem clausuram per seipsum, non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat, neque ipse visitator, neque eius socii ullam sumant in monasterio refectionem. Porro si visitet Generalis, possit secum habere duos socios sui Ordinis, si alius a Generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii. Qui quidem socii assumantur exemplares et maturae aetatis, et in actu visitationis a visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, et ab ipso aspici semper possint.

4. Ac praeterea visitatori assistant quatuor moniales ex senioribus monasterii, quae similiter visitatione durante nunquam separentur a visitatore et sociis. Reliquae vero moniales et quaecumque aliae mulieres et puellae saeculares in monasterio degentes, nisi legitimo detineantur impedimento, conveniant omnes in choro antequam visitator ingrediatur interiorem clausuram, et in eo permaneant durante visitatione, et quousque idem visitator cum sociis e monasterio exierit. Ideoque curet visitator, ut tempestive admoneatur Abbatissa, seu monasterii Praefecta de praestituta die et hora visitationis. Visitatio vero personalis fiat ad crates, et omnino extra clausuram monasterii, et per ipsummet Superiorem dumtaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clausurae.

5. Ad haec confessor sanctimonialium tam ordinarius, quam extraordinarius minime ingrediatur septa monasterii, nisi ad Sacramenta Poenitentiae, Eucharistiae et Extremae Unctionis mi-

nistranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, necnon ad commendandam animam agonizantium, nec unquam ingrediatur, nisi cum socio, qui sit probatae vitae et maturae aetatis, semperque maneat in ea parte monasterii, qua confessorem videre, et ab ipso videri semper possit.

6. Insuper districte praecipimus memoratis Superioribus regularibus, ut infra terminum duorum mensium a publicatione praesentis Constitutionis computandorum revocent ad claustra confessores, eorumque socios, concionatores et alios quoscumque Regulares apud monasteria sanctimonialium, vel assidue vel ad tempus quocumque titulo pernoctare solitos; neve permittant eosdem, seu alios Regulares intra seu prope septa monasteriorum huiusmodi habitare vel commorari, quin etiam infra eumdem terminum quascumque cellas, mansiones seu cubicula prope monasteria praedicta ad usum memoratorum Regularium existentia, si clausurae monasteriorum earumdem monialium contigua sint, eidem clausurae includi, vel dirui omnino faciant: si vero sint extra septa, vendi, pretiumque in monasterii utilitatem converti; nec in posterum alia similia aptari, aedificari aut emi permittant. Quod si infra dictum terminum Superiores regulares praemissa cum effectu non adimpleverint, teneatur Ordinarius loci tanquam Sedis Apostolicae Delegatus illa adimplere, et omnino exsequi, etiam invocato, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio.

7. Verumtamen si monasterium sanctimonialium sit extra moenia urbis vel oppidi, et monasterium Regularium virorum, quibus moniales sunt subiectae, sit intra dicta moenia, vel e converso, habeantur vel conducantur, si commode fieri possit, mansiones ad usum confessoris, quae non sint coniunctae seu contiguae ipsi monasterio monialium, sed ab eo penitus disiunctae, non solum per parietes, sed etiam per tecta; sin autem utrumque monasterium sit intra moenia, et unum ab altero Episcopi iudicio multum distans, tunc habeantur vel conducantur huiusmodi mansiones, ut supra dictae et separatae a monasterio monialium, distantia ab ipso Episcopo recognoscenda et approbanda; ita tamen, ut in mansionibus confessoris, sive intra sive extra moenia constitutis, excepto ipso confessore cum suo socio alii Regulares, etiamsi Superiores sint, minime pernoctent.

8. Si quis vero praedictorum Regularium aliquid contra praesentium tenorem facere vel moliri praescripserit, aut adimplere

neglexerit, ipso facto poenam excommunicationis et privationis omnium officiorum, quae obtinet, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activae et passivae absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis et exemptionibus tueri se possit, quominus ab Episcopo loci, tamquam ad hoc Sedis Apostolicae Delegato, quoties, et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat.

9. Decernentes easdem praesentes, etiam ex eo, quod Superiores regulares, et ceteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, nullitatis aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato ac substantiali, sive etiam ex eo, quod in praemissis, seu eorum aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex aliquo alio capite quocumque a iure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio colore, etiam in corpore iuris clauso, seu occasione, vel causa quantumvis iusta, rationabili et privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra huiusmodi nihil ullibi appareret, seu aliter probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, facti, gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso et impetrato quempiam uti, seu se iuvare in iudicio, vel extra posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuoque validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos et Sedis

Apostolicae Nuntios ac alios quavis auctoritate et potestate fungentes nunc et pro tempore existentes in quavis causa et instantia, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Datum in Arce Gandulphi dioecesis Albanensis, anno Incarnationis Dominicae 1664., XIII. kalendas Novembris, Pontificatus Nostri anno X.

LVI.

Pagella pro educandarum admissione.

(Ad pag. 161. vol. II.)

Summarium. 1. Requiritur primo, ut monasterium possit, ac soleat educandas recipere, neve ulla sit prohibitio particularis. – 2. Ut in monasterio locus pro iis adsit commodus ac separatus a monialibus. – 3. Ut numerus educandarum respondeat loci capacitati, nec superet dimidium sanctimonialium. – 4. Ut educandae capitulariter per vota secreta acceptentur. – 5. Ut non sint minores annis septem, neve maiores viginti quinque. – 6. Ne sint ultra numerum praefixum. – 7. Ut idonea detur fideiussio. – 8. Ut solae ingrediantur modesto habitu, et clausurae legem servent. – 9. Ut semel egressae regredi nequeant, nisi ad eum finem, ut moniales efficiantur. – 10. Ut haec pagella ei, ad quem remissa est, exsequenda tradatur et in cancellaria asservetur, neque valeat ultra sex menses a data.

Gabriel tituli S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. presbyter Cardinalis De Genga Sermattei, Sacrae Congregationis super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium Praefectus.

Ab his Emis et Rmis Dominis meis Cardinalibus S. Congr. Episc. et Regul. facultas conceditur . . . . . ut vi huius pagellae possit recipere in monasterium . . . . . honestam puellam . . . . . educandi causa; non aliter tamen, quam sub conditionibus subsequentibus:

1. Ut dictum monasterium possit et soleat puellas suscipere educandas, neve ulla adsit prohibitio; quod si foret, neque haec neque quaevis alia licentia ullius esset valoris, nisi literae S. C. in medium afferantur, quae expressam mentionem facientes dictae prohibitioni derogent.

2. Ut pro educandis adsit locus particularis, maxime ubi dormiant et laborent, commodus, distinctus et separatus ab eo, ubi moniales professae necnon novitiae habitare solent; et quidem eius sit capacitatis, ut unaquaeque sola ibi dormire possit.

3. Ut educandarum numerus sit praefixus parque loci capacitati, neve superare possit dimidiam partem monialium, non computatis novitiis et conversis.

4. Ut educanda munita sit requisitis necessariis atque a monialibus capitulariter et per vota secreta acceptetur.

5. Ne minor sit septem annis, neve maior viginti quinque, et ut, simul atque ad annum 25. pervenit, ipsa illico sub poena violatae clausurae ipso facto sine alia declaratione ineunda egredi debeat; praeterea proximi cognati obligantur, ut eam tum aetate supra dicta, tum in quovis alio casu suscipiant, quo Ordinarius vel moniales expedire iudicaverint eam dimittere.

6. Ne sint ultra numerum praefixum.

7. Ut pro ea idonea detur fideiussio, singulis semestris solvendi Abbatissae pro tempore existenti in pecunia numerata alimenta anticipata, quae monasterio emolumento considerabilique esse debeant utilitati; et si moriatur fideiussor, vel per aliud accidens fideiussio deficiat, infra mensem renovari debeat, quo praeterlapso, si nondum data fuerit, illico puella dimittatur.

8. Ut sola ingrediatur, habitu induta modesto, et, non secus ac ipsae moniales, leges clausurae et locutorii observet.

9. Ut semel egressa neque in hoc neque in aliud monasterium recipi queat, nisi ad eum finem, ut monialis fiat.

10. Tandem ut haec pagella iis, ad quos remissa est, exsequenda tradetur, necnon in actibus eorum cancellariae inscribatur; id quod omnino gratis et sine ulla specie mercedis aut muneris fieri debeat; utantur autem hac pagella intra sex menses, ultra quos nullius amplius erit valoris. Si vero quidpiam supra lineis adiunctum fuerit aut sublatum, nullo modo executioni mandari poterit. In quorum fidem praesentes manu secretarii eiusdem S. Congregationis roborari et signi impressione muniri iussimus.

Datum Romae die... mensis...

—

LVII.

Benedict. XIV. Epistola encyclica Gravissimo *diei 3. Octob. 1749. qua prohibetur, ne quis, etiam exemptus et ecclesiastica dignitate praefulgens, ad monasteria monialium accedat sine Ordinarii loci licentia.*

(Ad pag. 162. vol. II.)

Summarium. Facultas accedendi ad monialium coenobia sine permissu Ordinarii ab aliquibus praesumpta. – 1. Antiqua decreta, quae vel ignorantur, vel contemnuntur, innovari oportet. – 2. Non solum Regularibus exemptis, Praesulibus et Gubernatoribus, sed etiam Episcopis aliarum dioecesum prohibitus fuit accessus ad moniales sine Ordinarii loci permissu. – 3. Ordinarius localis custos est clausurae monialium iure ordinario quoad monasteria sibi subiecta et iure delegato quoad exempta. Nec aliquis ab eius directiva auctoritate hac in re exemptus censeri potest. – 4. Decreta super hoc edita confirmantur et innovantur a Pontifice. – 5. Distinctio inter auctoritatem directivam et coactivam. Si quis illam contemnere praesumpserit, Summo Pontifici denuntiari praecipitur. – 6. Praesentium exsecutio Ordinariis demandatur.

Gravissimo animi moerore affecti fuimus, dum a certis viris renuntiatum Nobis est, aliquos esse Praesules, qui regimen civitatum ditionis Nostrae obtinentes, nec habita, immo nec petita quidem ab Episcopis locorumque Ordinariis facultate, ad monialium monasteria se conferunt et libere cum iis colloquuntur; Synodorum decreta et Episcoporum constitutiones omnino infringentes, in quibus huiusmodi licentia dignis poenis prohibetur: sed non solum in iis civitatibus, in quibus sunt cum imperio, eos ita se gerere audivimus, verum in ceteris quoque, per quas casu transeunt, ea ratione innixi, quod a peculiaribus Episcoporum aliorumque Ordinariorum constitutionibus sese exceptos esse contendant. Haec, quae ad Nos delata sunt, excipere ac credere non dubitavimus; quum id Nobis etiam Anconitanam et Bononiensem ecclesias regentibus coram contigerit, quamvis aegre id ferentes, acriter, sed frustra, quos decebat, admonere non praetermiserimus.

1. Nihil aut parum negotii res facesseret, si ante oculos ponerent tribunalium Urbis decreta confirmata a Praedecessoribus Nostris, qui res omnes praeteritis temporibus non providerunt solum, verum etiam iis sapientissime consuluerunt. Sed quoniam

aut illa ignorant, aut si sciunt, arbitratu suo vivere contendunt, ad eum, qui Ecclesiae praeest, omnino spectat, illa ad memoriam revocare, tum iubere eadem observari.

2. Praeteritis temporibus Sacrae Congregationes, annuentibus Summis Pontificibus, Praedecessoribus Nostris, opportune statuerunt, quae sibi necessaria visa sunt quoad Regulares, qui suis fulti legibus, sive immunitatibus, putabant iniussu Episcopi libere se adire posse sibi addicta monialium claustra, ut videre licet in Nostro Tractatu *de Synodo lib. 7. cap. 11. n. 7.*, ubi eadem decreta indicantur; sed providentes etiam non tam Gubernatoribus, quam Episcopis, qui aut in civitates, aut oppida alterius Episcopi iuri subiecta veniunt, aut inibi commorantur, sanxerunt, ne quis inscio Ordinario monasteria adiret, aut moniales alloqueretur; cuiusmodi decreta a recentioribus auctoribus indicantur, ut legitur apud Pellizarium de *Monialibus cap. 5. sect. 5. n. 210.*, apud Gratianum *discept. 392. num. 1.*, apud Tamburinum *de Iure Abbatissarum disput. 25. quaest. 2.*, et apud Ferrar. *in sua Bibliotheca, in* verbo *Moniales art. 4. num. 34.*

3. Canonicis sanctionibus monialium custodia iuri ordinario Episcopi, si monasteria eius potestati subiecta fuerint, delegato, si exempta, committitur; quemadmodum statutum fuit a Pontifice Praedecessore Nostro Bonifacio VIII. *in cap. Periculoso, de statu monachor. in sexto*, atque a sacro Tridentino Concilio renovatum *in cap. 5. Sess. 25. de Regularibus et monialibus*. Hinc porro omnino sequitur, monasteria adire monialesque invisere sine custodis iussu licere nemini; ac propterea debere omnes huiusce rei veniam ab Episcopo impetrare, omnes demum subesse directivae interdicti auctoritati, sicut probant citati auctores et argui facile potest ex praeteritis Congregationum decretis.

4. Quae quidem confirmata omnino volumus, ac, si opus sit, quod non putamus, nova lege sancimus imperamusque, ne Episcopi alienae dioecesis monasteria conveniant, atque cum monialibus colloquantur inscio Ordinario loci; eademque omnia firma rataque esse iubemus, etiam quoad Vicelegatos et Gubernatores licet Praesules, quibus ad monasteria accessum sine debita venia, in iis quoque civitatibus, in quibus cum imperio fuerint, interdicimus.

5. Iam dictum est, hosce omnes directivae Episcoporum auctoritati eorumque constitutionibus subiacere, quae omnino acces-

sum vetant ad monialium claustra sine debita facultate. Cum vero iidem ordinariae Episcoporum iurisdictioni minime subsint, ideo sunt immunes a vi coactiva, id est a poenis contra transgressores statutis, uti ex responso patet Clementis III. Praedecessoris Nostri *in cap. A nobis 21. de sententia excommunicationis.* Ne vero ab huiusmodi immunitate aliquid mali exoriatur, volumus et mandamus, ut, si aliquando contigerit, quod futurum non credimus, ut eorum aliqui, quos supra memoravimus, ad monasteria monialium se conferant et cum iis Episcopi iniussu agant, infringentes Synodorum sanctiones atque Episcoporum edicta volumus inquam et imperamus, ut Episcopi Nos aut Congregationem Episcoporum et Regularium certiorem faciant, ut aliqua ratione contempta episcopalis auctoritas vindicetur; eoque libentius huiusmodi consilium amplectimur, quod idem a Praedecessoribus Nostris decretum novimus, quoties ab Ordinariis adversus personas immunes et Sedi Apostolicae immediate subiectas procedendum sit; Ioannes XXII. *in cap. Cum Matthaeus, de haereticis, in Extravag. com.,* Eugenius IV. *in cap. Divina, de privileg. in Extravag. com.*

6. Haec sunt, quae a Nobis facienda esse duximus. Tuum nunc est, venerabilis Frater, hanc Epistolam Nostram in Cancellaria tua diligenter servare, eamque meliori, qua decet, forma promulgare, iisque, ad quos pertinet, indicere, eiusque exsecutionem procurare: ac Fraternitatem tuam in Domino amplectentes, tibi et gregi tibi credito Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 31. Octobris, Anno Domini 1749. Pontificatus Nostri anno X.

LVIII.

Bened. XIV. Constit. Quamvis iusto *super conservatione Virginum Anglicanarum.*

(Ad pag. 247. vol. II.)

Summarium. 1. Pontifex pro Ecclesiae regimine quandoque causas ad se avocat, illasque cum aliorum consilio decidit. Controversia orta fuit inter curiam episcopalem Augustanam et conservatoria virginum Anglicanarum, alias Iesuitissarum, super obedientia Episcopo Augustano praestanda. Huius controversiae occasione aliae quaestiones excitatae sunt super essentia et identitate instituti dictarum virginum, et super persona

quondam Mariae Warth fundatricis alterius reprobati instituti. Pontifex super integro negotio deputat Congregationem particularem. Decreta dictae Congregationis, auditis partibus facta, a Pontifice ut infra, approbantur. – 2. Praemittuntur ea, quae de gestis dictae Mariae, eiusque praetenso instituto in tabulariis Sacrae Congregationis de Propaganda Fide habentur; quarum rerum historia enucleatim per omnes partes ordine explicita, breviter enarratur. – 3. Postero tempore aliud fundatum fuit in Bavaria institutum virginum Anglicanarum, ab eo, quod fundavit Maria Warth, et Apostolica Sedes peremptorie reprobavit, plane dissimile ac diversum, adeoque cum eo minime confundendum. – 4. Huius alterius instituti constitutiones approbavit Clemens XI. – 5. Ibi de Iesuitissis nulla fit mentio, neque reprobationi ab Apostolica Sede iam emissae derogatur. Approbatio Constitutionum praedicta non extenditur ad institutum ipsum. – 6. Multoque minus ad institutum Mariae Warth. – 7. Clemens XI. Urbani VIII. Constitutionem non modo non abrogare, sed nec moderari voluit. – 8. Resolutio trium priorum dubiorum, quae resolvenda proponebantur, quam Pontifex confirmat, Urbani VIII. Constitutionem innovat, et Clementis XI. Constitutionis sensum declarat. – 9. Exemplum affert ab illis quaestuariis, nempe eleemosynarum quaestoribus petitum, qui a Conciliis reprobati fuerunt. – 10. Quin tamen omnes omnino eleemosynarum pro piis locis quaestores reprobati fuerint. – 11. Series vitae Mariae Warth, cuius memoriam publico cultu minime dignam esse decernitur. – 12. Namque absque Sedis Apostolicae auctoritate non licet attribuere cuiquam cultum aliosque actus sanctis coelitibus proprios. – 13. Pontifex progreditur ad decisionem propositae controversiae, quae pendet a qualitate instituti et votorum, quae emittuntur. Resolutio quinti ac sexti dubii. Ad essentiam status religiosi requiritur approbatio S. Sedis, quin suffragetur approbatio constitutionum. Vota non censentur solemnia, nisi emittantur in Ordine, quem S. Sedes approbavit. – 14. Congregatio Episc. et Regul. iam definivit, virgines Anglicanas non esse vere Religiosas, quia vota solemnia non emittunt, aliisque de causis. Nihilominus observatio iniungitur Constit. *Pastoralis curae* super confessariis ordinariis et extraordinariis. – 15. Plura conservatoria praeter Superiorissam localem, aliam generalem agnoscunt, et exempla afferuntur. – 16. De auctoritate Superiorissae generalis, quae coercetur intra limites assignatos in responsione ad septimum dubium. – 17. Huiusmodi Generalissae pro meliori regimine institutae sunt, ac Ordinariis subiiciuntur, et comprobatur exemplis. – 18. Generalissa non habet facultatem sine Episcopi licentia ad professionem candidatas admittendi, quae facultas eidem Generalissae delegari non vetatur. – 19. Enumerantur actus, in quibus Generalissa suam potest auctoritatem exercere. – 20. Ex instituto, de quo res est, sub Episcopi dependentia spiritualis utilitatis fructus spe-

rare fas est, neque iuramentum Generalissae a suis virginibus praestitum praeiudicat subiectioni Episcopo debitae. – 21. Adducitur exemplum Magistrarum piarum. – 22. Quae Superiorissas generales habent sine praeiudicio obedientiae Episcopo praestandae. – 23. Episcopi virgines Anglicanas benigne tractare, et instruere debent in iis rebus, quae institutum ipsum et virginum officia respiciunt. Indicatur, qua ratione virgines ipsae erga Episcopum sese gerere debeant. – 24. Resolutio octavi dubii. Pontifex laetatur de conservatorii virginum Anglicanarum obedientia et gratia Episcopi iis restituta. Licentiam Eucharistiae asservandae ecclesiis parochialibus tantum propriam conservatorio impertitur. Sequuntur solitae clausulae.

Quamvis iusto Dei omnipotentis iudicio nullus finis sit arduis acerbisque curis, gravibusque molestiis, quae Nobis undique ac sine intermissione circumstant, et opprimunt: attamen constitutum Nobis est, coelestis auxilii fiducia, animum non despondere: et quoniam, ipsius Dei beneficio, neque vires, neque rerum et negotiorum reminiscentia Nos in hac provecta iam aetate destituunt, nullum Nobis credimus detrectandum esse laborem, quemcumque ad optimum Ecclesiae sanctae regimen humilitati Nostrae commissum conducere posse reputemus. Itaque quoties exorientium controversiarum natura Apostolicae auctoritatis iudicium requirere videtur, Nostramque operam, aliorum consilio adiutam ad earum rectam decisionem haud inulilem fore iudicamus; eas ipsas ab inferioribus quibuscumque iudicibus et tribunalibus avocatas, cognitioni Nostrae reservare, ac iudiciali sententia prolata dirimere ac terminare consuevimus.

1. Huic instituto Nostro inhaerentes, quum quaedam controversia non ita pridem exorta fuisset inter Curiam episcopalem Augustanam ex una, et duo conservatoria virginum Anglicanarum nuncupatarum, unum nimirum in ipsa civitate Augustae Vindelicorum, alterum vero Mindelheimi, eiusdem Augustanae dioecesis oppido existentia, ex altera partibus: et dicta quidem episcopalis Curia praefatis conservatoriis praeceptum fecisset, ut suam ordinariam auctoritatem recognoscerent, sibique debitam exhiberent obedientiam, quam cuidam praetensae generali Superiorissae Monachii commoranti ab illis praestari asserebat; praefatum vero conservatorium in civitate Augustana positum huiusmodi praecepto prompte paruisset, sed alterum Mindelheimi existens eidem obtemperare recusasset; quapropter praedicta episco-

palis Curia ad quosdam actus adversus conservatorium huiusmodi processisset, cumque animadversum a Nobis esset, occasione huius controversiae nonnullas alias moveri quaestiones tam super instituto Iesuitissarum, quod idem esse dicebatur cum praedictarum Anglicanarum virginum instituto, quam super persona, et meritis defunctae quondam Mariae Warth, seu de Guardia nuncupatae, dictarum Iesuitissarum instituti olim Fundatricis: Nos, quibus compertum erat, plura de huiusmodi instituto, eiusque fundatrice praedicta, a scriptoribus referri et asseri, quae minime consentanea sunt actis authenticis et indubiis monumentis, quae super ipsis, in regestis Congregationum venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, tam generalium Inquisitorum adversus haereticam pravitatem deputatorum, quam negotiis Propagandae Fidei praepositorum, asservantur; haec omnia ad Nos afferri iussimus; ac deputata peculiari Congregatione, in quam adlegimus venerabilem Fratrem Nostrum Xaverium, Episcopum Praenestinum S. R. E. Cardinalem *Gentili*, dilectosque filios Nostros Ioachimum tituli S. Caeciliae *Portocarrero*, Carolum Albertum tituli sanctae Mariae de Pace *Cavalchini*, et Ioachimum tituli Sanctae Crucis in Hierusalem *Besozzi*, eiusdem S. R. E. presbyteros Cardinales respective nuncupatos, necnon venerabilem Fratrem Iosephum Archiepiscopum Damascenum, Congregationis super negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium, Secretarium, quem huic etiam peculiari Congregationi a secretis esse iussimus, ac dilectum Filium magistrum Clementem Argenvillers Auditorem Nostrum; atque his omnibus coram Nobis die 21. mensis Iulii an. Domini 1748. congregatis, et diligenti super praemissis omnibus tractatu habito; quum eorum sententia fuerit, ut nonnulla, quae inferius subiicientur, decreta et rescripta fierent atque ederentur, ea Nos quidem iam tunc approbavimus et rata esse voluimus; et nihilominus nunc iterum, tenore praesentium, atque evidentiore hac Apostolicae auctoritatis significatione roborata, perpetuam vim et firmitatem habere decernimus atque statuimus.

2. Sed quoniam difficile, imo fere impossibile foret, intelligere, quibus veluti fundamentis huiusmodi decretorum iustitia innitatur, non cognitis prius his, quae ex praefatis regestis iuridice desumpta esse diximus, necesse est, hic nonnullas facti notitias praeponere. Eae autem sunt, quae sequuntur.

I. Quaedam Maria Warth, seu de Guardia nuncupata, postquam anno 1609. quemdam mulierum convictum Audomaropoli ad bonum finem, ut credi potest, aperuerat aliosque similes deinde in aliis Belgii locis et in Leodiensi, Trevirensi et Coloniensi civitatibus constituerat sub Pontificatu felicis recordationis Praedecessoris Nostri Gregorii Papae XV. anno 1621. ad Urbem accessit, novi instituti sui confirmationem ab Apostolica Sede impetratura.

II. Comparuit anno 1624. apud Congregationem Cardinalium negotii Propagandae Fidei praepositorum Procurator cleri Anglicani, graviter expostulans, quod magnum detrimentum missionibus inferretur ex ratione vivendi, quam praefati instituti mulieres sequebantur; id quod in causa fuit, ut ipsius instituti examen tunc existenti Cardinali Millino committeretur.

III. Quum anno 1628. Episcopus Viennensis tunc pariter existens S. R. E. Cardinalis Clesselius nuncupatus eidem Congregationi exposuisset, quamdam huiusmodi mulierum domum in sua civitate, seipso inconsulto, apertam fuisse, et quid sibi circa eam agendum esset ab ipsa Congregatione exquisiisset, coacta eodem anno coram recolendae memoriae Urbano Papa VIII. praedictorum Cardinalium Congregatione, decretum fuit ipso Praedecessore Urbano annuente, ut Apostolicae Sedis Nuntiis per diversas regiones constitutis demandaretur praefati instituti et erectarum respective domuum omnimoda exstirpatio et suppressio. Et quoniam praedictae mulieres se a presbyteris Societatis Iesu directas esse iactabant, iniunctum fuit tunc existenti Generali ipsius Societatis Praeposito, ut, quatenus id verum esset, subditis suis omnibus directe inhiberet, ne se in directione convictuum quarumcumque mulierum immiscerent: quum id ipsius Societatis instituto contrarium dignosceretur, cuius fundator S. Ignatius, quum Romam advenisset pro obtinenda eiusdem Instituti confirmatione accepissetque piam quamdam mulierem Elisabetham Rosellam nomine, in Urbem se pariter contulisse, eo consilio, ut facultatem obtineret, una cum aliis piis mulieribus sub Instituti regula convivendi, postulavit ipse et obtinuit a Romano Pontifice, tam pro se, quam pro universa presbyterorum a se institutorum Societate, ut a cura et directione mulierum in religiosis domibus conviventium perpetuo liberi et immunes esse deberent.

IV. Dum anno sequenti Apostolicae Sedis Nuntii Pontificiorum mandatorum exsecutionem respective urgebant, iamque suppres-

sae fuerant dictarum mulierum domus, quae Audomaropoli, Leodii et Coloniae Agrippinae ante exstiterant; quum Nuntius Coloniae agens Trevirensem similiter earum domum supprimere aggrederetur, comparuit quaedam mulier, Cambiani nuncupata, quae se ipsius instituti Visitatricem asserens, vigore literarum patentium sibi a praetensa Praeposita generali Maria Warth concessarum, ipsius Nuntii conatibus, magna vi et contentione se opposuit. Maria enim, in Urbe adhuc degens, statim ac intellexit, quid ferrent Pontificia mandata, omnem rationem inire studuit, ut ea effectu fraudaret, suasque sequaces ubique existentes per encyclicas Literas admonuit, ne iis obtemperarent. Itaque praedictus Nuntius, ad evitanda maiora scandala, nunc quidem ab incoepto desistere satius habuit.

V. Huius rei relatione a Nuntio Romam transmissa, praedictoque Cardinali Clesselio magis magisque instante pro intelligenda Pontificis voluntate circa domum, quae Viennae, ut supra dictum est, aperta fuerat: quum etiam nonnulli huiusmodi instituti mulierum convictus, quos Bononiae, Forosempronii atque etiam Romae clam constitutos fuisse compertum est, quamprimum suppressi et extirpati fuissent; totius negotii cognitio ab ipso Urbano Praedecessore ad alteram praedictam Congregationem Cardinalium, S. Officii nuncupatam, remissa fuit.

VI. Ex huius Congregationis sententia et consilio quum iudicatum fuerit, opportunum et expediens fore, ut Pontificia decreta pro suppressione praedicti instituti iam prolata, Apostolicae Constitutionis robore firmarentur, idem Urbanus Praedecessor anno Incarnationis Dominicae 1631. Idibus Ianuarii Apostolicas Literas sub plumbo edidit, incipientes *Pastoralis Romani Pontificis,* quibus praetensam congregationem mulierum, seu virginum, Iesuitissarum nuncupatarum, penitus et perpetuo abolevit, eiusque congregationis assertas Visitatrices, Rectrices et Praepositam generalem, aliasque officiales quascumque, officiis, muneribus suis de facto usurpatis privavit, eisdemque et aliis mulieribus, seu virginibus, huiusmodi praetensae congregationi antea de facto adscriptis, ne insimul et in communi de cetero degere et tractare, aut se pro religiosis, seu praetensae huiusmodi congregationis sequacibus, ullo modo gerere, multoque magis ne alias virgines, seu mulieres in ipsius reprobati instituti societatem deinceps admittere aut recipere auderent, sub

excommunicationis maioris, aliisque poenis districte prohibuit, easque omnes, quae in ipsa suppressa congregatione, et relative ad illius legitimam subsistentiam, vota quaecumque emiserant, ab huiusmodi votorum obligatione omnino solutas et liberas esse declaravit; ut fusius legi potest in ipsa Constitutione. Denique tam ipsam Mariam Warth, quae interim in Belgium se receperat, quam praefatam Cambiani in custodiam dari iussit.

VII. Sequuta utriusque detentione, ambae ad Urbem decenter translatae, atque hic clementer exceptae fuerunt, ipsiusque Apostolicae Sedis sumptibus in libera custodia asservatae, facto utrique praecepto, ut Urbem ipsam carceris loco haberent, atque una ab altera seorsim viverent. Cum autem agnitum fuerit, Mariam quidem seditiosas illas encyclicas Literas, de quibus supra dictum est, aliis Literis tempestive datis revocasse; alteram vero, Cambiani nomine, muliebri potius levitate atque impetu abreptam, quam consulto et malitiose peccasse, post factam iisdem facultatem simul convivendi, ac sedulo exploratam utriusque agendi rationem, quum praedicta Maria Warth adversa conflictaretur valetudine, eamque ob rem Viterbii balnea, de licentia praefatae Cardinalium Congregationis, nullo fructu adiisset, tandem anno 1637. indultum illi fuit, ut Leodium cum suo comitatu proficisceretur, quo convalescere posset beneficio illius aeris, quem alias salubrem experta fuerat.

VIII. Non ideo tamen Apostolica Sedes susceptum consilium curamque abiecit de Iesuitissarum domibus seu convictibus abolendis et exstirpandis; qua de re exstant posteriora mandata a praedicta sancti Officii Congregatione transmissa, et praecise ad Apostolicum Nuntium Coloniae degentem anno 1640. Cumque deinceps de earum instituto nihil amplius auditum fuerit, sub Pontificatu demum felicis recordationis Praedecessoris Nostri Innocentii Papae XIII. plurium tam ecclesiasticorum, quam saecularium Germaniae Principum preces ad Apostolicam Sedem delatae fuerunt, quibus petebatur confirmatio instituti quarumdam virginum Anglicanarum nuncupatarum, quae in variis per Angliam et Belgium locis constitutae dicebantur. Cuius rei cognitio quum a Pontifice demandata fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, ab hac vero exhibitarum constitutionum revisio delegata fuisset bonae memoriae Leandro Cardinali Colloredo nuncupato; his demum aliisque ad

rei summam pertinentibus in ipsa Congregatione mature perpensis, approbatae fuerunt praedictarum virginum regulae; earumque approbatio deinde a sanctae memoriae Praedecessore Nostro Clem. Papa XI., praefati Innocentii Successore, confirmata fuit, quum is Apostolicas Literas edidit, incipientes *Inscrutabili* datas sub annulo piscatoris die 13. Iulii anni 1703.

3. Verum, ex eo quod praefatae Mariae Warth permissus fuit regressus in partes Belgii, ipsaque deinde marte suo in Angliam transmisit, sequentibus vero temporibus, alia Iesuitissarum conservatoria, ut asseritur, fundata fuerunt, ac tandem Clemens XI. supracitatas edidit Literas super approbatione constitutionum virginum Anglicanarum, duo religiosi viri Corbinianus Khamm et Franciscus Schmalzgrueber, ille in *Hierarchia Augustana, in Prodromo partis tertiae regularis, relatione VI. pag. 506. et seqq.* hic autem in suo *Consilio LVI. tom. 1.* hanc deduxerunt consequentiam, quod scilicet restitutum fuerit Iesuitissarum institutum, Urbani vero Constitutio abrogata fuerit; id quod a veritate longissime abest. Nec enim ea, quae ab Apostolica Sede benigne aut remisse gesta sunt erga praedictam Mariam Warth, sive quum Romae detineretur, sive quum valetudinis causa permissum ei fuit salubriorem adire regionem, non ea, inquam, adversus ipsam Sedem Apostolicam converti, aut in argumentum innocentiae eiusdem Mariae usurpari debent. Quae etenim a gravioribus poenis ideo exempta fuit, quod literas a se contumaciter et seditiose scriptas in tempore revocasse probavit; nec nisi post diuturnam detentionem in Urbe, loco carceris ipsi assignata, facultatem discedendi, et quidem ex praemissa causa, obtinuit; hanc profecto sine culpa agnitam, aut pro innocente dimissam fuisse, dici non potest. Neque vero recte infertur abrogatio Constitutionis Urbanae ex subsequutis novorum earumdem Iesuitissarum convictuum erectionibus, quae, si verae essent, nil aliud probarent, quam continuatam adversus Apostolica decreta inobedientiam et contumaciam. Ita de aliquibus Bizochis, seu Beguinis, qui, postquam proscripta fuerat ipsorum secta, huiusmodi suppressi instituti habitum a quibusdam ecclesiasticis Praesulibus susceperant, Praedecessor Noster Ioannes Papa XXII. in sua *Extravag. Sancta Romana, de religios. dom.* pronuntiasse legitur: *Quidam autem eorum dictum habitum et vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum Superioribus, vel aliis eccle-*

siarum Praelatis habuisse profitentur: quod nec eis concedere licuit contra formam Concilii generalis. Quod idem a Nobis diceretur de Iesuitissarum domibus, si quas post Urbani Constitutionem apertas fuisse constaret; videlicet id nulliter et indebite factum fuisse *contra formam Apostolicae Constitutionis.* Et sane Praedecessores quoque nostri Romani Pontifices in eadem sententia fuisse comprobantur, dum omnia huiusmodi conservatoria, de quibus post praedictam Constitutionem ad ipsos relatum est, supprimi et aboleri mandarunt.

4. Quod autem pertinet ad Literas Apostolicas Clementis XI. super approbatione regulae virginum Anglicanarum, ante omnia sciendum est, quod eidem Clementi Praedecessori ex parte bonae memoriae Maximiliani Emmanuelis, utriusque Bavariae Ducis, et sacri Romani imperii Principis Electoris expositum fuit, nonnullas ex Anglia catholicas puellas nobiles, a patria sua catholicae religionis odio expulsas, in ditionis suae terras olim pervenisse, ibique ab ipsius Ducis Exponentis avo benigne exceptas, piisque, et liberalibus subsidiis adiutas sibi quandam domum, seu conservatorium constituisse, ibique vixisse, aliasque subinde puellas, inter eas postmodum receptas, nunc pariter vivere, ac praeter alia pietatis opera, puellis, quae ipsis erudiendae tradebantur, docendis et instruendis incumbere. Cumque eaedem nonnullas pie vivendi regulas sibi observandas praescripsissent, quas Apostolicae confirmationis patrocinio communiri magnopere optabant, ideo ipse Maximilianus Dux et Princeps Elector pro huiusmodi approbatione eidem Clementi Praedessori humiliter supplicabat, prout latius in eiusdem Clementis Literis continetur. Cumque huiusmodi regularum revisio antea commissa fuisset Congregationi S. R. E. Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum, haec autem, regulis ipsis mature examinatis, eidem Clementi sententiam suam pro earum approbatione aperuisset, Pontifex ipse per supradictas Literas Apostolicas easdem confirmare non dubitavit.

5. In his autem Literis nulla mentio fit de Iesuitissis, quae quidem in Urbani Constitutione appellantur: *certae mulieres, seu virgines, Iesuïtissarum nomine assumpto:* illae vero, de quibus agunt Clementis Literae *Catholicae puellae nobiles Anglae* nuncupantur. Praeterea in Urbani Constitutione agitur de mulieribus, quae exercebant *opera permulta, sexus et ingenii imbecillitati, et modestiae muliebri, ac virginali praesertim pudori mi-*

nime convenientia: cum aliis, quae fuse leguntur in libello a Procuratore cleri Anglicani exhibito praefatae Congregationi Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praepositae; in quo dicitur, eas catholicae religioni nostrae apud haereticos opprobrium et ignominiam inferre. Contra vero de nobilibus puellis Anglis in Clementino Brevi dicitur, quod e patria *odio catholicae religionis, quae ibi persecutionem patiebatur expulsae et extorres erant.* In his etiam Literis nullum verbum fit de ipsa Urbani Constitutione; quum tamen, ex perpetua praxi Apostolicae Sedis, quoties aliquid per Literas Apostolicas statuitur de quacumque re, de qua praecedentes Pontifices aliqua decreverunt, earum expressa mentio nunquam omitti soleat. Neque vero in iisdem Clementis Literis derogatur praefatae Urbani Constitutioni, cui quidem per clausulas generales derogari non poterat, sed ad eam infirmandam speciali et expressa derogatione opus erat. Ipsis denique Literis apposita legitur clausula salutaris, videlicet: *Ceterum non intendimus per praesentes ipsum conservatorium in aliquo approbare:* quae tunc apponi consuevit, quum approbantur, seu confirmantur regulae alicuius conservatorii aut monasterii mulierum, sine clausura viventium, contra praescriptum Decretalis Bonifacii VIII. et decretorum Concilii Tridentini, necnon Constitutionis S. Pii Papae V., quae incipit *Circa pastoralis.*

6. In summa, neque verum, neque verosimile est, magnum Pontificem Clementem XI., eximia doctrina et vastissima negotiorum Apostolicae Sedis cognitione praeditum (de quo Nos ipsi, qui olim in minoribus constituti plures annos in variis muneribus ipsius singulari erga Nos benignitate Nobis iniunctis, eidem officia et ministeria Nostra praestitimus, et testificari possumus, et libenter testificamur) unius peculiaris conservatorii regulas approbando, in quo nonnullae catholicae virgines ex Anglia extorres sese receperant, in integrum restituere voluisse Iesuitissarum institutum, quod ignorare non poterat, ab Urbano Papa VIII. tamquam generalium Conciliorum Lateranensis et Lugdunensis, aliisque Apostolicis sanctionibus contrarium, et quidem gravissimis de causis in ipsius Urbani Constitutione relatis, atque in duabus Congregationibus sancti Officii, et Propagandae Fidei diu et mature perpensis, suppressum atque abolitum iam pridem fuisse.

7. Sane post damnatam abolitamque in Concilio Viennensi a Praedecessore Nostro Clemente Papa V. quarumdam mulierum

sectam, quae vulgo Beguinae vocabantur, de quibus agitur *in Clementin.* Ad Nostram, *tit. de haereticis,* ubi etiam earum perditi mores enuntiantur, quum alter Praedecessor Noster Ioannes Papa XXII. nonnullas ex illis ab aliarum criminibus immunes esse atque honeste vivere comperisset, declaravit has minime comprehendi debere sub abolitione Beguinarum a Clemente facta; ut videre est in *Extravag. comm. cap.* Ratio recta, *de relig. domib.* sed quum praefatus Clemens XI. Anglicanarum virginum regulas approbando, nihil prorsus innuerit, quod ad Iesuitissas, et ad Urbani Constitutionem referri possit, id etiam argumento esse debet, nec illi propositum fuisse praedictam Urbani Constitutionem revocare, nec eam aliqua ex parte temperare.

8. Quapropter, quum in praefata Congregatione die 21. elapsi mensis Iulii, ut praefertur, coram Nobis habita decretum fuerit: « Primo, adhuc vigere Constitutionem editam a Summo Pontifice » Urbano VIII. super suppressione Iesuitissarum, nec ei unquam » fuisse derogatum, nec subsistere assertum a nonnullis fundamentum Pontificiae tolerantiae dictae Constitutioni adversantis: » secundo, institutum virginum Anglicanarum non esse institutum Iesuitissarum: tertio, virgines Anglicanas, reprobatis ceteris » aliis constitutionibus, teneri ad observantiam earum tantummodo constitutionum, quae fuerunt confirmatae a sanctae memoriae Clemente XI.: posse tamen ad Sedem Apostolicam habere » recursum, quatenus alias edendas censuerint.» Nos, qui iam tunc tria huiusmodi decreta verbo comprobavimus, eadem nunc praesentium Literarum tenore approbamus et confirmamus dictaeque Urbani Constitutioni debitam obedientiam ab omnibus exhiberi mandamus, omnesque et singulas poenas adversus illius transgressores in eadem propositas iterum statuimus, et innovamus; atque insuper praedicti Clementis XI. Literas plenum effectum habere, nec aliter, quam iuxta eorum germanum sensum, et iuxta praemissam declarationem Nostram intelligendas et interpretandas esse statuimus atque decernimus; prohibentes expresse sub poenis, quae contra transgredientes mandata Apostolica sancitae sunt, ne quis asserere audeat, praedictum abolitum Iesuitissarum institutum ab eodem Clemente redintegratum et restitutum fuisse, quantumvis forsan a virginibus Anglicanis, omissis iis, quae a praefato Urbano Praedecessore in Iesuitissarum abolitione damnata et vetita fuerunt, aliqua pia opera exerceri

comperiantur, ex iis, quae exercebantur ab ipsis Iesuitissis, ideoque istarum institutum in aliquibus simile videri posset.

9. Quam in rem aptissimum et satis notum est exemplum quaestorum eleemosynarum, qui etiam *Quaestuarii* appellabantur. Hi duorum generalium Conciliorum, Lateranensis et Viennensis, censura primum constricti, ob plures deplorabiles abusus, quibus in exercenda piarum largitionum quaestura universae Ecclesiae Dei scandalum inferebant, ut videre est in Constitutionibus Praedecessorum Nostrorum Innocentii Papae III. *in cap.* Cum ex eo, *de poenit. et remiss.*, et Clementis Papae V. *in Clementin.* Abusionibus eorum, *eod. tit.*, radicitus demum exstirpati fuerunt in novissimo generali Tridentino Concilio *Sess. 21. cap. 9. de Reform.*, ubi statuitur: « Ut posthac in quibuscumque christianae reli» gionis locis eorum nomen atque usus penitus aboleatur, nec » ad officium huiusmodi exercendum ullatenus admittantur, non » obstantibus contrariis quibuscumque privilegiis, aut consuetu» dinibus, etiam immemorabilibus. »

10. Nihilominus post Tridentinum Concilium, et semper alias, et Nostris etiam temporibus plures invenire licet pro monasteriis, hospitalibus, aliisque piis locis eleemosynas colligentes, quod olim ab iis fiebat, qui per relatas canonicas sanctiones aboliti fuerunt. Nec tamen quisquam dicere audebit, recentiores hosce eleemosynarum collectores ab iis dumtaxat excessibus immunes, quorum veteres illi rei erant, unum idemque institutum cum ipsis iamdudum abolitis quaestoribus profiteri: quum contra ad diversum omnino genus pertinere dignoscantur, cui novas ex integro leges praescripsit saepe laudatus Praedecessor, Urbanus Papa VIII., mandans, ut omnes et singuli, qui pro monasteriis, locis piis et hospitalibus eleemosynas conquirunt, providas huiusmodi regulas observare debeant, atque hanc etiam inter alias, ut *eleemosynarum petitores* nuncupentur, non vero *quaestores*, quorum nomen sacra Tridentina Synodus detestatur, ut latius continetur in decreto eiusdem Urbani die 12. mensis Iulii anni Domini 1649. solemniter edito et relato *lib. 17.* decretorum Congregationis Concilii Tridentini *pag. 350. et seq.*

11. Cum autem, occasione praesentis controversiae, animadversum fuerit, certisque argumentis comprobatum, huiusmodi virgines Anglicanas, errore forsan ductas, consuevisse supradictam Mariam Warth tamquam instituti sui fundatricem agnoscere,

eiusque emortualem diem festivis ritibus palam celebrare, atque illius laudes hymno prosequi, et nomen peculiari Collecta et Litania invocare, denique Beatae titulum tam voce quam scripto passim illi tribuere; de his in praefata peculiari Congregatione decretum fuit: *quarto, non posse* (Anglicanas virgines) *recognoscere in matrem, seu fundatricem Mariam Warth, seu della Guardia; multoque minus fas esse ipsis et quibuscumque aliis, eam invocare, tamquam in coelis regnantem, ipsique exhibere cultum publicum, vel alium quemcumque actum, per quem eius asserta sanctitas approbari censeatur.* Quod pariter decretum tunc approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate roboramus. Facile enim est intelligere, exhibitos huiusmodi venerationis actus erga praedictam mulierem (quam quidem, nisi aliquid in contrarium asseratur, pie credimus, delictorum suorum labe expiatam, ac Deo in charitate coniunctam ex hac vita migrasse) non alio tendere, quam ut hominum animis insinuetur, eam immeritis in vita persecutionibus vexatam, ab omni demum culpa immunem agnitam fuisse, quum contra, bene perpensis illius vitae actionibus, magna potius dicenda sit Urbani Pontificis clementia erga ipsam fuisse, dum eam errantem et Apostolicis iussionibus obluctantem benignitate potius obstringere, quam poenis ipsi debitis ad legum praescriptum plectere voluit.

12. Sed quamvis etiam illius vita innocenter traducta, ac perpetuo virtutum fulgore illustris appareret, atque etiamsi post illius mortem ad eius invocationem miracula facta fuisse, aut fieri constaret, nihilominus absque praevia Nostra seu Romani pro tempore Pontificis auctoritate minime liceret publicum cultum eidem exhibere, per generalem, et notam Alexandri Papae III. legem *in cap.* Audivimus, *de reliq. et venerat. Sanctor.* Nec dubitari potest, quin publici cultus rationem habeant illi quoque actus, qui privatim exercentur, ubi sint ex eorum genere, qui ab Ecclesia instituti sunt ad solemnem Beatis aut Sanctis venerationem exhibendam, cuiusmodi sunt illi, quos supra enuntiavimus. Neque licet *Beati* titulo eos appellare, quibus ab Apostolica Sede beatificationis honores tributi non fuerint, praesertim si appellatio huiusmodi supra personam potius cadat, quam supra mores et opinionem; qua de re adest decretum inter alia a praefato Urbano VIII. Praedecessore Nostro super his edita, de protestationibus in principio librorum apponendis ab his, qui

servorum Dei vitas conscribunt. Denique interdictum est, ne in die anniversaria obitus cuiuscumque fidelis, qui nondum ab Ecclesia inter Beatos adscriptus sit, omissis suffragiis pro illius animae requie fieri solitis, Missa de Sanctissima Trinitate, vel de Sanctis omnibus celebretur, aut panegyricae conciones habeantur; haec enim omnia ad Servorum Dei cultum, sine auctoritate Apostolicae Sedis, inducendum, fovendum, aut amplificandum collineare dignoscuntur: quibus de rebus a Nobis olim fuse actum est in opere *de Servor. Dei beatif. et beator. canoniz. lib. 2. cap. 7. n. 3. et 7. cap. 12. num. 2. et seq. cap. 13. num. 4. iuxta editionem Patavinam.* Quare, approbato, ut praefertur, confirmatoque decreto superius relato, venerabiles Fratres, dilectosque filios, locorum Episcopos et Ordinarios, qui in locis sibi subiectis similia usurpari cognoverint, hortamur in Domino, et admonemus, ut pro eorum officii debito consultissimarum huiusmodi legum transgressores compescere non praetermittant, per legitimas poenas in ipsis Apostolicis Constitutionibus statutas, de quibus Nos in praefato opere Nostro *Lib. 2. cap. 16.*

13. His ita constitutis, assertoque inviolabili vigore Apostolicae Constitutionis, per quam Urbanus VIII. Praedecessor praefatus Iesuitissarum Institutum perpetuae abolitioni subiecit, quum simul demonstratum fuerit, alterius Praedecessoris Clementis XI. Literas pro approbatione regularum praefati conservatorii virginum Anglicanarum editas ad huiusmodi Iesuitissarum Institutum nullo modo pertinere; dictarum vero virginum conservatoria, licet ab Apostolica Sede, ut praefertur, non approbata, ab hac tamen benigne tolerari, utpote ab eodem reprobato Iesuitissarum instituto realiter distincta, et omnino independentia; cumque nihil adversus huiusmodi virginum mores coram Nobis deductum exstiterit; quin immo eorum opera in instituenda muliebris sexus iuventute plurimum apud Nos commendata fuerit; ad dirimendas controversias inter Augustanam Episcopalem Curiam, et praefatum conservatorium Mindelheimii in eiusdem dioecesi existens, ut initio diximus, exortas, visum est, in praedicta Congregatione inquiri oportere, utrum eiusmodi virgines pro veris Religiosis haberi debeant, ac vota, quae ab ipsis fieri dicuntur, solemnia, an potius simplicia censenda sint, et an ordinariae iurisdictioni Episcoporum aliorumque Praesulum, in quorum dioecesibus earum conservatoria sita sunt, subiecta esse debeant. Super qui-

bus, re mature pensata, responsum fuit: « *Quinto,* virgines An- » glicanas non esse vere Religiosas: promissiones, quae ab ipsis » emittuntur, non esse ad summum nisi vota simplicia, et trans- » mittendam esse formam, et notificanda verba, quibus dictae » promissiones emittuntur: *sexto,* virgines Anglicanas, earumque » coetus, esse iurisdictioni ordinariae Episcoporum subditos, in » quorum dioecesibus sunt, et ad Ordinarios praedictos pertinere, » deputare directores spirituales et confessarios, qui sibi apti » videbuntur, sive ex coetu presbyterorum saecularium, sive re- » gularium. » Quae quidem responsa Nos pariter tunc approba- vimus, et nunc praesentium tenore et Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus et roboramus. Si enim ad essentiam status vere religiosi requiritur, ut Religio, seu Ordo, in huiusmdi statu Apostolicae Sedis confirmatione stabiliatur, iuxta canonicas sanctiones, de quibus *in cap. unic. de religios. domib. in VI.,* nec sufficit ab eadem Apostolica Sede obtinuisse dumtaxat approbationem et confirmationem regularum, quas aliqua virorum, aut mulierum societas sibi observandas praescripserit; si vota paupertatis, obedientiae et castitatis, ab Anglicanis virginibus emissa ad formam regularum a Clemente XI. approbatarum, coniuncta dici nequeunt cum expressa, aut tacita professione in aliquo Ordine per Sedem Apostolicam in statu verae Religionis, ut praefertur, approbato, clare patet, et statum virginum Anglicanarum non esse statum verae Religionis, et vota, quae ab ipsis fiunt, simplicia ad summum vota, non vero solemnia censeri debere, ad tramites Decretalis Bonifacii Papae VIII., quae unica exstat sub titulo *de voto, et voti redempt. in sexto.*

14. Et haec quidem ex variis facti notitiis et animadversionibus ex rei natura desumptis, maiori etiam in luce collocantur: quod enim praedictae virgines veris Religiosis accenseri non debeant, id iam usque ab anno 1706. responsum fuit a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, in causa tunc inter conservatorium huiusmodi virginum Monachii existens, et Ordinarium loci, Frisingensem videlicet Episcopum, vertente, eiusque Congregationis resolutio a saepe laudato Praedecessore Clemente XI. confirmata et approbata fuit per Literas in forma Brevis datas V. Martii eiusdem anni incipientes *Emanavit.* Quod item earum vota simplicia, non solemnia

dicenda sint, ex ipsis verbis constitutionum ab eodem Clemente XI. pro illis approbatarum eruitur, siquidem ibi sic legitur: « Licet regulae nostrae non tendant ad statum, sive Ordinem » religiosum, tria tamen vota emitti solita, paupertatis, obedien» tiae et castitatis, veluti triplicem vivendi modo murum, omnes » peculiari studio conservare studeant, nihilque, quod illum ul» latenus debilitare aut violare possit, admittant ». Denique quum in supradicta causae Frisingensis resolutione, Apostolica auctoritate, ut praefertur, approbata, decretum fuerit, easdem virgines immediate subiectas esse iurisdictioni et correctioni Ordinarii, in earum vero regulis similiter approbatis expresse legatur, quod *duo confessarii a Superioribus, si commode fieri possit,* earum coetibus *proponendi sint;* Superiorum autem appellatione non alii intelligi debeant, quam Ordinarii locorum, quorum iurisdictioni eas immediate subiectas esse iam demonstratum est; ex his simul iunctis aperte comprobatur iustitia decreti sub *num. sexto* superius relati, in eo, quod pertinet ad deputationem confessariorum et directorum spiritualium. In hac autem decreti parte exsequenda, minime dubitamus, quin Episcopi, Ordinarii locorum Apostolicas Nostras Literas superiore anno 1748. Nonis Augusti editas, quarum initium est *Pastoralis curae* prae oculis habituri sint; quibus nempe Literis et plura constituimus observanda in deputationibus confessariorum ordinariorum et extraordinariorum tam pro monialibus, quam pro aliis mulieribus, seu virginibus, in piis domibus et conservatoriis degentibus, et Superiorum animos ad moderatae facilitatis et indulgentiae sensus induendos erga eas, quae iustis de causis confessarios extra ordinem sibi concedi postulaverint, magnopere hortati sumus.

15. Porro non haec duo sola virginum Anglicanarum conservatoria, quae controversiae causam dederunt, in partibus Germaniae sunt, sed praeter aliud superius memoratum Monachii in Frisingensi dioecesi existens, unum etiam in sancti Hippolyti, et aliud in Krembsi, dioecesis Passaviensis oppidis seu civitatibus, aliaque forsan alibi existunt. Unumquodque eorum a sua Superiorissa locali gubernatur; at praeter hanc aliam quoque Superiorissam supremam agnoscit, quae Generalis etiam dicitur; propterea quod omnia conservatoria huiusmodi praecipua quadam auctoritate moderatur. Nec ea tamen unica est pro omnibus eiusdem instituti conservatoriis. Etenim non ita pridem contigit,

ut in praefata Cardinalium Congregatione Episcoporum et Regularium negotiis praeposita disputaretur, an conservatorium Krembsense in Austria erectum, et alia forsan in posterum in eadem Austriae provincia sub regulis a Clemente XI. approbatis erigenda, Superiorissae generali in oppido seu civitate sancti Hippolyti residenti, an vero alteri Superiorissae generali in Bavaria commoranti subesse deberet: cumque Rescriptum emanaverit pro Superiorissa sancti Hippolyti, Nos illud per Literas in forma Brevis incipientes *Exponi Nobis* datas die XXV. mensis Maii anni Domini 1742., ac dilecto Filio Nostro Iosepho Dominico presbytero Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Lamberg nuncupato Passaviae Episcopo pro exsecutione directas confirmavimus et approbavimus. Contra vero praedicta duo conservatoria, Augustae Vindelicorum et Mindelheimii constituta, Bavaricae Superiorissae generali obediunt. Unde quum superioribus annis universa Bavaria ab externis militibus occuparetur, atque interim advenisset tempus, quo ad novae Superiorissae generalis electionem procedendum erat, venerabilis Frater Ioseph Episcopus Augustanus, pro pastorali sua providentia et circumspectione, vetuit, ne Superiorissa localis Augustani conservatorii, ad eiusmodi electionem peragendam, incommodum et periculosum iter Monachium versus susciperet; sed electionem ipsam, nova methodo pro ea vice prudenter praescripta, Augustae fieri curavit, ut constat ex ipsius Episcopi mandato, facto die 6. Iunii 1745.

16. Propter hanc igitur supremam seu generalem Superiorissam, aliud vertebatur controversiae caput inter praefatam Augustanam Episcopalem Curiam et dictum Mindelheimense conservatorium; quum virgines Anglicanae in hoc commorantes, speciem quamdam exemptionis et independentiae ab ipsius Episcopalis Curiae auctoritate sibi arrogare volentes, hoc inter alia obtenderent, quod scilicet obedientiam suam huiusmodi generali Superiorissae promiserant. Super quo, matura deliberatione in praedicta Congregatione habita, quum rescriptum fuerit, ut sequitur: » Septimo, nihil innovandum quoad Superiorissam: eius » tamen auctoritatem coercendam esse ad visitationem, super- » intendentiam in materiam educationis puellarum, translationem » virginum de uno in alium locum, accedente debita subordi- » natione in praedictis ab Ordinariis locorum; prout latius ex- » plicabitur a Sanctitate Sua in Constitutione suis tempore et

» loco edenda: » Nos huiusmodi Rescriptum et tunc oretenus approbavimus, et nunc praesentis Constitutionis auctoritate, *iuxta modum tamen mox declarandum*, confirmamus et ratum facimus.

17. Non hic agitur de Praeposita generali instituti Iesuitissarum, quae dudum, una cum ipso instituto ceterisque praetensis illius officialibus, in praecitata Constitutione Urbani Papae VIII. abolita fuit; sed res est de una, vel potius de pluribus generalibus Superiorissis, quibus ad plura virginum Anglicanarum conservatoria diversis in locis constituta, utiliter dirigenda et moderanda, annuentibus Episcopis, in quorum dioecesibus huiusmodi conservotoria erecta fuerunt, suprema quaedam auctoritas in eadem attributa fuit. Nec igitur pariter de tali Superiorissa generali, quae amplam quamdam iurisdictionem in subditas exercere, ipsaque ab ordinaria Episcopi auctoritate exempta esse debeat; qualis esse asseritur Superiorissa Ordinis Frontebraldensis, pro qua prolixam scripsit *Apologiam* Ioannes de la Mainferme, duobus iustis voluminibus editam *Lutetiae Parisiorum, anno Domini 1684.*, et de qua plura reperiuntur *in Historia Ordinum Monasticorum, Religiosorum et Militarium ibidem impressa anno 1721. tom. 6. cap. 2;* aut qualis est abbatissa Burgensis in Hispania, quae Capitulum generale in ipsa civitate Burgensi singulis annis celebrare solet, et in plura monasteria regnorum Castellae et Legionis, suam iurisdictionem exercet; de qua *in Annalibus Cisterciensibus tom. 1. pag. 225.*, et apud *Thomassinum de vet. et nov. Ecclesiae discipl. part. 1. lib. 3. cap. 68. n. 12.* multa habentur; sed agitur de Superiorissa generali nuncupata, cuius facultates circa res parvi momenti versantur, quaeque nullam, quantumvis parvam, facultatem exercere debet, independenter ab ordinaria auctoritate eorum Praesulum, in quorum dioecesibus existunt instituti sui conservatoria; quae omnia et singula, ut supra dictum est, ordinariae eorumdem Praesulum iurisdictioni immediate subiecta sunt et esse debent.

18. Huic igitur generali Superiorissae minime licebit virginem ullam ad supradictorum votorum professionem admittere, aut professiones huiusmodi recipere, nisi prius ipsi ab Episcopo necessaria facultas ad hunc effectum, sive peculiariter ad quemlibet actum, sive generaliter ad omnes concessa fuerit. In monasteriis enim et conservatoriis Episcopo immediate subiectis secundum canonicam regulam professiones fieri debent in manus vel ipsius

Episcopi, vel illius, quem seu quam ipse ad eas recipiendas delegaverit (cum enim agatur de actu non Ordinis, sed iurisdictionis, mulier quoque potest ad illum delegari): quae regula apud omnes ecclesiastici iuris auctores sine contradictore recepta, desumpta est ex *cap.* Consuluit, *sub tit.* Qui clerici vel voventes, ubi Praedecessor Noster Alex. PP. III. ita scribens: *Nec in manus alicuius Episcopi, Abbatis, vel Abbatissae, aut super altare professa est, vel obedientiam promisit:* eorum enumerationem fecisse censetur, qui professiones personarum sibi respective subiectarum recipere debent.

19. Eidem tamen generali Superiorissae licebit, praevio expresso dioecesani Praesulis assensu, conservatoria, seu domos visitare, et an in ipsis omnia ad propriarum constitutionum, rectaeque disciplinae normam gerantur, et quomodo puellarum institutio ac profectus promoveatur, diligenter cognoscere. Et haec quidem per discretas mulieres, procul omni periculo et aptius fortasse, quam per viros, perfici possunt, ex iisque multa sane ad dioecesis regimen opportuna cognoscere poterit Superior ecclesiasticus, Episcopus nimirum, seu Ordinarius loci, ad quem post visitationem de omnibus relatio fieri debebit, ut is pastoralis providentiae consilia capiat, prout in Domino iudicaverit. Eadem quoque poterit magistras et virgines, de uno in aliud conservatorium transferre, prout illas in uno potius, quam in alio, opportune collocandas, et utilem operam praestituras esse, prudenter existimabit; habita tamen ad huiusmodi translationes pro tempore exsequendas, licentía et facultate illius ordinarii Praesulis, seu illorum, in cuius, vel quorum dioecesi ipsa conservatoria respective sita reperiuntur.

20. Ipsius itaque generalis Superiorissae auctoritate intra huiusmodi limites conclusa, et ad terminos oeconomicae cuiusdam providentiae, nec nisi cum perpetua dependentia ob ordinaria Episcoporum auctoritate exercendae redacta, merito sperandum est, absque illius officii abolitione, (quam quidem praedicta Congregatio neque necessariam, neque opportunam fore iudicavit) ex virginum Anglicanarum conservatoriis, universoque earum instituto licet ab Apostolica Sede tolerato dumtaxat, sed non approbato, uberes optatae utilitatis fructus collectum iri. Neque vero timendum est, ullum detrimentum inferri canonico subordinationis ordini ex iuramento obedientiae ab ipsis virginibus praestito, aut deinceps de ipsius Episcopi licentia, ut praefertur,

praestando praefatae ipsarum generali Superiorissae; quum huiusmodi iuramenta nihil detrahere valeant Episcoporum auctoritati, cui ipsae subiectae esse debent, et cuius inconcussae firmitati innituntur, quaecumque in superioribus decretis eorumdem Episcoporum ordinariae iurisdictioni reservata esse et fore statuimus et declaravimus. In omni enim iuramento semper debet intelligi ius Superioris exceptum, ut totidem verbis olim respondit Praedecessor Noster Innocentius Papa III. in sua Decretali *cap.* Obedientes, *de iureiurando.*

21. Haec autem ut aliquo exemplo magis confirmentur, remotioribus silentio praeteritis, iuvat ex his, quae sub oculis Nostris geruntur, exemplum afferre nonnullorum convictuum quarumdam mulierum, *magistrarum* nuncupatarum, quarum aliquae *piarum* nomine, aliae vero *sanctarum* appellatione distinguuntur. Harum omnium institutum circa educationem et disciplinam puellarum occupatur; quod, quum aliquibus retro annis in dioecesi Montis Falisci, dum b. m. Marcus Antonius, huius S. R. E. Cardinalis Barbadicus nuncupatus illius regimen obtineret, initium habuisset, brevi tempore ad alia loca propagatum fuit, ita ut etiam nonnulla ipsius instituti conservatoria in hac ipsa Urbe fuerint constituta; sed exortis in illius regimine quibusdam controversiis, in duas diversi nominis societates, quae tamen unum idemque pium opus urgent, divisum fuit.

22. Quilibet huiusmodi mulierum coetus proprium habet directorem spiritualem, qui de animarum cultura tantummodo curam gerit; utraque vero societas singulis trienniis coram proprio directore spirituali congregata, suam sibi eligit generalem Superiorissam aliasque officiales, consultrices nuncupatas; cui quidem Superiorissae generali omnes eiusdem instituti magistrae subiectae sunt et obediunt in iis omnibus, quae ad scholarum regimen earumque progressus pertinent. Ipsa vero statis temporibus scholas omnes Instituti sibi subiecti visitando perlustrat, quamvis extra Urbem in diversis per suburbicariam regionem dioecesibus existant. Quae quidem, quum ab huiusmodi generalibus Superiorissis sine detrimento iurisdictionis Ordinariorum, quibus earum societates immediate subiectae sunt, et sine ipsorum querela pacifice exerceantur, merito iudicari visum est, Anglicanarum quoque virginum institutum, firmo quamvis remanente, ut praefertur, officio earum supremae seu generalis Su-

periorissae et christianae puellarum educationi valde proficuum, et etiam ipsis Episcopis in dioecesum sibi commissarum regimine non modico adiumento esse posse.

23. Cuius rei cum Nos iustam in Domino fiduciam habemus, tum illud ad eam perficiendam conducere maxime poterit, si venerabiles Fratres ecclesiarum Praesules, in quorum dioecesibus huiusmodi instituti conservatoria vel iam erecta sunt, vel in posterum erigi contigerit, pias hasce virgines, in excolenda Dominicae vineae parte laudabili studio adlaborantes, benigno favore prosequentur, quod Nos eisdem enixe suademus, tum etiam, si eas edocebunt, nec earum institutum idem esse cum reprobata Iesuitissarum societate; nec licitum esse publico cultu venerari eos, qui ab Apostolica Sede inter Beatos, vel Sanctos adnumerati non fuerint; nec omnia, quae de servorum Dei gestis, ab historicis praesertim, pia erga eos affectione praeoccupatis, enarrantur, ante ipsius Apostolicae Sedis examen, atque iudicium, pro veris certisque amplectenda esse; earum vero conservatoria tolerari quidem ab hac eadem Apostolica Sede, sed institutum ipsum nec approbatum, nec confirmatum esse; obsistentibus sacris canonibus, et generali Constitutione sancti Pii V., ne religiosae mulierum domus Apostolica confirmatione stabiliantur, quae se perfectae clausurae legibus non obstrinxerint; si denique eisdem virginibus demonstraverint, regulas a Clemente XI. pro ipsis approbatas earum agendi normam esse debere; aliasque similiter, quas forsan ad earum instituti perfectionem addendas esse prudenter existimaverint, ipsius Apostolicae Sedis iudicio pro legitima obtinenda approbatione subiiciendas esse. Ipsae autem Anglicanae virgines et Pontificiam benevolentiam, et ordinariorum Praesulum favorem sibi facile conciliabunt, si Praesules ipsos pro veris, et legitimis Superioribus, ut par est, agnoscentes, sibique persuadentes, per obedientiae iuramenta, quae propriae generali Superiorissae praestiterint, nihil imminui posse de Superiorum ordinariorum iure, quod semper, ut supra diximus, in omni promissione ac iuramento exceptum intelligi debet, ipsis dioecesanis Episcopis debita reverentiae et subiectionis officia, omni prorsus cunctatione abiecta, studuerint exhibere.

24. Hanc animorum studiorumque concordiam inter locorum Episcopos et Anglicanarum virginum coetus fovendam esse reputans, praedicta Congregatio coram Nobis habita, in causa con-

servatorii Mindelheimensis novissimo loco decrevit, ut sequitur: *Ultimo, quod, facta a virginibus Anglicanis civitatis Mindelheimensis obligatione observandi contenta in hoc decreto, restituantur in integrum, Missae in ipsarum ecclesia celebrentur, uti prius, et sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in ea asservetur; pro qua asservatione Sanctitas Sua, cui id reservatum est, facultatem opportunam indulget Episcopo Augustano.* Quod sane decretum a Nobis tunc viva voce approbatum, nunc eo libentius confirmamus, quod et praefati conservatorii virgines debitam obedientiam iam praestitisse, et pium suique gregis vere amantem Episcopum Augustanum iam quoque illis indulsisse accepimus, ut in earum ecclesia et Missae, ut prius, celebrentur et SS. Eucharistiae Sacramentum retineatur. Quoniam vero alterius huiusmdi gratiae concedendae ius ad Nos et Apostolicam Sedem privative pertinet, quod innuit decretum superius relatum, et canonica docet disciplina, iuxta quam sacrosancta Eucharistia in ecclesiis, quae parochiales non sunt, retineri non potest, absque praesidio Apostolici indulti, vel immemorabilis consuetudinis, quae huiusmodi indulti praesumptionem inducit, ut late ostenditur in commentariis b. m. Cardinalis Vincentii Petra ad Romanorum Pontificum Constitutiones, et signanter *ad Constit. 1. Urbani IV. sect. unic. num. 29. et seq. tom. 3.;* Episcopi autem est, licentiam impertiri, ut idem augustissimum Sacramentum publicae fidelium venerationi exponatur, quoties iusta et publica causa id fieri suadeat, ut videre est in Nostra Institutione pastorali in editione Italica *tom. 2. n. 10.,* in latina vero *num. 30.;* Nos iisdem virginibus Anglicanis conservatorii Mindelheimensis, quo obedientiae erga suum ordinarium Praesulem, ut par erat, exhibitae meritum praemium ferant, et donec in eadem obedientia perseveraverint, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ut sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in earum conservatorii ecclesia, sine praeiudicio tamen iurium ecclesiae parochialis, asservari ac retineri possit et valeat....

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incar. Dom. 1749. pridie Kal. Maii, Pontificatus Nostri anno nono. – D. Cardinalis Passioneus. – I. Datarius. – Visa de curia – I. C. Boschi. – I. B. Eugenius. – Loco✠plumbi. Registrata in Secretaria Brevium. – Public. die 27. Maii eiusdem anni.

LIX.

Pii IX. Literae Apostolicae Inter multiplices *ad Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos Galliae de episcopali sollicitudine etc.*

(Ad pag. 378. vol. II.)

Inter multiplices angustias, quibus undique premimur pro commissa Nobis, licet immeritis, arcano Divinae Providentiae consilio omnium Ecclesiarum sollicitudine asperrimis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, qui, uti praenuntiavit Apostolus, « sanam doctrinam non sustinent, sed ad » sua desideria coacervantes sibi magistros a veritate auditum » avertunt, et seductores proficiunt in peius errantes et in erro» rem mittentes (1) », maxima certe laetitia perfundimur, cum ad inclytam istam tot sane nominibus illustrem ac de Nobis praeclare meritam Gallorum nationem oculos mentemque Nostram convertimus. Summa enim paterni animi Nostri consolatione videmus, quomodo in ipsa natione, Deo bene iuvante, catholica religio eiusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat ac dominetur, et quanta cura et studio Vos, dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, in sollicitudinis Nostrae partem vocati, ministerium vestrum implere ac dilecti gregis Vobis commissi incolumitati et saluti consulere contendatis. Atque huiusmodi Nostra consolatio maiorem in modum augetur, cum ex obsequentissimis, quas ad Nos scribitis Literis, magis magisque noscamus, qua filiali pietate, amore et observantia prosequi gloriemini Nos, et hanc Petri Cathedram catholicae veritatis et unitatis centrum et omnium Ecclesiarum omnino caput, matrem atque magistram (2), ad quam omnis obedientia et honor est deferendus (3), ad quam propter potiorem principalitatem necesse est, omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles (4). Neque minori certe afficimur iucunditate, cum haud ignoremus, Vos gravissimi episcopalis Vestri muneris et officii optime memores sedulam in Dei gloria amplificanda, eiusque sanctae Ecclesiae causa propugnanda impendere operam, atque omnem pastoralem Vestram curam et

(1) Cfr. Epist. II. ad Timoth. Cap. IV., v. 3., 4., Cap. III. v. 13.
(2) S. Cyprian. Epist. 45., S. August. Epist. 162. et alii.
(3) Concil. Ephes. Act. IV.
(4) S. Irenaeus adversus haereses Cap. III.

vigilantiam adhibere, ut ecclesiastici Vestrarum dioecesium viri quotidie magis digne ambulantes vocatione, qua vocati sunt, virtutum omnium exempla christiano populo praebeant, proprii ministerii munia diligenter obeant, atque ut fideles Vobis commissi magis in dies enutriti verbis fidei, et per gratiarum charismata confirmati crescant in scientia Dei et instent viam, quae ducit ad vitam, ac miseri errantes ad salutis semitam redeant. Hinc pari animi Nostri gaudio cognoscimus, qua alacritate Vos Nostris desideriis ac monitis obsecundantes Provincialia Concilia concelebrare studeatis, ut in Vestris dioecesibus et fidei depositum integrum inviolatumque custodiatur, et sana tradatur doctrina et divini cultus honor augeatur, et Cleri institutio ac disciplina corroboretur, et morum honestas, virtus, religio, pietas undique fausto felicique progressu magis in dies excitetur et confirmetur. Atque vehementer gaudemus, dum conspicimus, in quamplurimis istis dioecesibus, ubi hactenus peculiaria rerum adiuncta minime obstiterunt, Romanae Ecclesiae Liturgiam singulari Vestro studio iuxta Nostra desideria fuisse restitutam. Quae sane res eo magis grata Nobis accidit, quod noscebamus, in multis Galliae dioecesibus ob temporum vicissitudinem haud ea fuisse servata, quae sanctus Decessor Noster Pius V. provide sapienterque statuerat suis Apostolicis Literis septimo Idus Iulii anno 1568. datis, quarum initium *Quod a Nobis postulat.* Etsi vero haec omnia non sine magna animi Nostri voluptate et insigni Vestri Ordinis laude commemorare laetamur, Dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, tamen dissimulare non possumus gravem sane tristitiam et moerorem, quo in praesentia vehementer angimur, cum noscamus quas dissensiones antiquus inimicus inter Vos excitare conetur ad Vestram animorum concordiam labefactandam et infirmandam. Itaque pro Apostolici Nostri ministerii munere et summa illa, qua Vos et istos fideles populos prosequimur, charitate has Vobis scribimus Literas, quibus intimo Nostri cordis affectu Vos alloquimur, dilecti Filii Nostri et venerabiles Fratres, atque una monemus, hortamur et obsecramus, ut quotidie magis arctissimo inter Vos charitatis foedere devincti et obstricti atque unanimes, et id ipsum invicem sentientes omnia dissidia, quae antiquus hostis commovere adnititur, pro eximia Vestra virtute propulsare ac penitus eliminare studeatis, et solliciti sitis cum omni humilitate et mansuetudine servare in omnibus unitatem spiritus in vinculo pacis.

Ea enim sapientia praestatis, ut quisque Vestrum optime sciat, quantopere sacerdotalis et fida animorum, voluntatum et sententiarum concordia ad Ecclesiae prosperitatem atque ad sempiternam hominum salutem procurandam sit necessaria atque proficiat. Quam quidem animorum et voluntatum concordiam, si unquam alias, nunc certe studiis omnibus inter Vos foveatis oportet, cum praesertim ob egregiam carissimi in Christo Filii Nostri Napoleonis Francorum Imperatoris voluntatem, eiusque Gubernii operam nunc catholica istic Ecclesia omni pace, tranquillitate et favore fruatur. Atque haec fausta in isto Imperio rerum ac temporum conditio maiori Vobis stimulo esse debet, ut una eademque agendi ratione omnia conemini, ut divina Christi religio eiusque doctrina ac morum honestas, pietas altissimis ubique in Gallia defigatur radicibus, et optima atque intaminata iuventutis institutio magis in dies procuretur, atque ita facilius hostiles inhibeantur et frangantur impetus, qui iam eorum conatibus manifestantur, qui fuere et sunt constantes Ecclesiae et Christi Iesu hostes. Quapropter, dilecti Filii Nostri et venerabiles Fratres, maiore quo possumus studio a Vobis etiam atque etiam exposcimus, ut in Ecclesiae causa eiusque salutari doctrina ac libertate tuenda, aliisque omnibus episcopalis Vestri muneris partibus obeundis nihil potius, nihil antiquius habere velitis, quam ut concordissimis animis id ipsum dicatis omnes ac perfecti sitis in eodem sensu et in eadem sententia, et omni fiducia Nos et hanc Apostolicam Sedem consulatis ad omnem cuiusque generis quaestionem et controversiam a Vobis penitus removendam. Atque in primis, cum compertum exploratumque Vobis sit, quantopere ad rei tum sacrae tum publicae prosperitatem conducat recta praesertim Cleri institutio, ne intermittatis concordibus animis in tanti momenti negotium curas cogitationesque Vestras conferre. Pergite, ut facitis, nihil unquam intentatum relinquere, ut adolescentes Clerici in Vestris seminariis ad omnem virtutem, pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ut in humilitate crescant, sine qua nunquam possumus placere Deo, ac simul humanioribus literis severioribusque disciplinis, potissimum sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe purgatis addiscere,

verum etiam perfectam praecipue, solidamque theologicarum doctrinarum, ecclesiasticae historiae et sacrorum canonum scientiam ex auctoribus ab hac Apostolica Sede probatis depromptam consequi valeant. Ita porro illustris iste Galliae Clerus, qui tot viris ingenio, pietate, doctrina, ecclesiastico spiritu ac singulari in hanc Apostolicam Sedem obsequio spectatis refulget, magis in dies abundabit navis et industriis operariis, qui virtutum ornatu praestantes ac salutaris scientiae praesidio muniti valeant in tempore auxiliariam Vobis in Dominica vinea excolenda operam praebere, eos qui contradicunt arguere, ac non solum Galliae fideles in sanctissima Nostra religione confirmare, verum etiam illam apud longinquas et infideles nationes sacris expeditionibus propagare, quemadmodum Clerus idem summa cum sui nominis laude, religionis bono et animarum salute hactenus peragendum curavit. Et quoniam una Nobiscum vehementer doletis de tot pestiferis libris, libellis, ephemeridibus, pagellis, quas virulentus Dei et hominum hostis undequaque evomere non desinit ad mores corrumpendos, ad fidei fundamenta concutienda et omnia sanctissimae religionis Nostrae dogmata labefactanda, idcirco, dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, pro episcopali Vestra sollicitudine et vigilantia ne cessetis unquam unanimes gregem curae Vestrae commissum ab hisce venenatis pascuis omni studio avertere, eumque adversus tot errorum colluviem salutaribus opportunisque monitis et scriptis instruere, defendere et confirmare. Atque hic haud possumus, quin Vobis in mentem revocemus monita et consilia, quibus quatuor abhinc annis totius catholici orbis Antistites vehementer excitavimus, ne intermitterent viros ingenio sanaque doctrina praestantes exhortari, ut viri ipsi opportuna scripta in lucem ederent, quibus et populorum mentes illustrare et serpentium errorum tenebras dissipare contenderent. Quamobrem a Vobis efflagitamus, ut dum mortiferam pestilentium librorum et ephemeridum perniciem a fidelibus curae Vestrae traditis amovere studetis, eodem tempore illos viros omni benevolentia et favore prosequi velitis, qui catholico spiritu animati ac literis et disciplinis exculti libros isthic et ephemerides conscribere, typisque mandare curant, ut catholica propugnetur et propagetur doctrina, ut veneranda huius S. Sedis iura, eiusque documenta sarta tecta habeantur, ut opiniones et placita eidem Sedi eiusque auctoritati adversa de medio tollantur, ut errorum

depellatur caligo et hominum mentes suavissima veritatis luce collustrentur. Atque episcopalis Vestrae sollicitudinis et charitatis erit catholicos istos scriptores bene animatos excitare, ut maiore usque alacritate pergant catholicae veritatis causam sedulo sciteque defendere, eosque paternis verbis prudenter monere, si quid in scribendo offenderint. Iamvero ea est Vestra sapientia, ut probe noscatis, infestissimos omnes catholicae religionis hostes acerrimum semper bellum, irrito licet conatu, gessisse contra hanc beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, haud ignorantes, religionem ipsam cadere et labare nunquam posse, eadem Cathedra stante, quae illi innixa est petrae, quam superbae non vincunt inferorum portae (1), et in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas (2). Quocirca, dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, a Vobis enixe postulamus, ut pro eximia Vestra in Ecclesiam fide ac praecipua in eamdem Petri Cathedram pietate nunquam desinatis una mente unoque spiritu Vestram omnem curam, diligentiam et operam in id praesertim intendere, ut isti fideles Galliarum populi callidissimas insidiantium hominum fraudes et errores sedulo devitantes quotidie magis filiali prorsus affectu ac devotione huic Apostolicae Sedi firmiter constanterque adhaerere eique summo, quo par est obsequio obtemperare glorientur. Omni igitur episcopalis Vestrae vigilantiae studio nihil unquam neque re, neque verbis praetermittite, quo fideles ipsi hanc S. Sedem magis magisque ex animo diligant, venerentur, omnique obsequio excipiant et exsequantur, quidquid Sedes ipsa docet, statuit atque decernit. Hic autem haud possumus, quin Vobis exprimamus summum dolorem, quo affecti fuimus, ubi inter alia improba scripta isthic vulgata nuper ad Nos pervenit libellus gallica lingua exaratus ac Parisiensibus typis editus et inscriptus: *Sur la situation présente de l'Eglise Gallicane relativement au droit coutumier*, cuius auctor iis plane adversatur, quae Vobis tantopere commendamus atque inculcamus. Quem libellum Nostrae Indicis Congregationi reprobandum et damnandum commisimus. Antequam vero scribendi finem faciamus, dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, Vobis denuo significamus, optatissimum Nobis esse, ut omnis quaestio et controversia

(1) S. August. in Psal. contr. part. Donat.
(2) Lit. Synodic. Ioann. Constantinopol. ad Hormisd. Pont.

a Vobis reiiciatur, quae, ut scitis, pacem turbat, charitatem laedit, et Ecclesiae hostibus arma ministrat, quibus illam divexent et oppugnent. Igitur Vobis summopere cordi sit, pacem habere inter Vos et pacem sequi cum omnibus, serio considerantes pro Illo Vos legatione fungi, qui non dissensionis sed pacis Deus est, quique discipulis suis pacem tantopere inculcare, imperare et praecipere nunquam destitit. Et quidem Christus, veluti quisque Vestrum noscit, « dona omnia suae pollicitationis et praemia in » pacis conservatione promisit. Si haeredes Christi sumus, in » Christi pace maneamus, si filii Dei sumus, pacifici esse debe- » mus... Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone » simplices, affectione concordes, fideliter sibi unanimitatis nexi- » bus cohaerentes (1). » Ea certe quidem de Vestra virtute, religione, pietate Nobis inest opinio et fiducia, ut plane non dubitemus, dilecti Filii Nostri et venerabiles Fratres, quin paternis hisce Nostris monitis, desideriis, postulationibus quam libentissime obsequentes omnium dissensionum germina radicitus evellere ac ita gaudium Nostrum implere velitis, et cum omni patientia invicem supportantes in charitate, et unanimes collaborantes fidei Evangelii, pergatis alacriori usque studio custodire vigilias noctis super gregem curae Vestrae commissum, omnesque gravissimi Vestri muneris partes sedulo obire ad consummationem Sanctorum in aedificationem Corporis Christi. Persuasissimum autem Vobis sit, nihil Nobis gratius, nihil optabilius fore, quam ea omnia praestare, quae ad maiorem Vestram et istorum fidelium utilitatem pertinere posse noverimus. Interim in humilitate cordis Nostri Deum oramus et obsecramus, ut coelestium omnium charismatum copiam super Vos propitius semper effundat, Vestrisque pastoralibus curis et laboribus benedicat, quo fideles Vestrae vigilantiae commissi magis in dies ambulent digne Deo per omnia placentes et in omni opere bono fructificantes. Ac divini huius praesidii auspicem et flagrantissimae illius, qua Vos in Domino amplectimur, charitatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Vobis, dilecti Filii Nostri ac venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum clericis laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 21. Martii anno 1853., Pontificatus Nostri anno septimo.

---

(1) S. Cyprian. de unit. Ecclesiae.

LX.

Votum pro veritate. In dispositionibus ad pias causas per actum inter vivos aeque ac actum causa mortis necesse non est observare solemnitates circa mulieres a iure civili praescriptas.

(Ad pag. 427. vol. II.)

Summarium. 1. ad 4. Praemittitur accurata facti narratio. – 5. Fundamenta facti, unde oriebatur ius casus propositi. Donatio perfecta et consummata plenissimum habet robur, ac paratam gignit actionem ad id, quod donatum est, repetendum. – 6. Obiectiones contra ius modo stabilitum resolvuntur. Quod semel placuit, amplius displicere non potest. Quae sit donatio causa mortis, et quae inter vivos. Haec altera est irrevocabilis. – 7. Promissio donandi vel relinquendi est valida et irrevocabilis, quoniam induit naturam actus inter vivos. Quod confirmatur duarum causarum exemplis. – 8. Dispositiones inter vivos ad causas pias, simul ac perfectae fuerint, sustinentur et validae sunt, quomodocumque constent, non secus ac evenit in actibus causa mortis. – 9. Eadem enim est actus utriusque ratio, et convenit omnium doctorum opinio, ac tribunalium sententia. – 10. Donationes ad pias causas etiam scutata quingenta excedentes valent ac sustinentur, quamvis insinuatio peracta non fuerit. – 11. Ob eamdem rationem valent etiam eiusmodi donationes mulierum, quamvis iudicis decreti interpositio non accesserit. Haec disciplina iam antiquitus vigebat circa minores sine iudicis auctoritate ad pias causas disponentes. – 12. Idem valebat iam tum, cum vigerent alicubi statuta mulieres absque decreto iudicis contrahere prohibentia. – 13. Nec vigere destitit, quin imo universim ea disciplina ad omnem ditionem Pontificiam extensa est, postquam necessitas iudicis decreti in contractibus minorum ac mulierum a Pio VII. et Greg. XVI. in legem universalem conversa fuit.

1. Ex honestissima ac satis divite familia duo tantum supererant, nempe frater ac soror, ambo coelibes. Frater pietate insignis bona omnia sua in patriae commodum animo addixerat, sed repentina morte praereptus animi sui propositum ad effectum perducere nequivit. Moevia soror legitima eius haeres, postquam fratris animum sua omnia bona patriae addicendi in sepulchrali lapide insculpendum iusserat, mente pium concepit consilium formiter erigendi e suo aere coenobium in patria sua ad usum fratrum Capucinorum. Itaque Provincialem illius Ordinis apud se accersendum curavit, qui eam adivit, ex ore ipsius firmam coe-

nobii erigendi voluntatem hausit, ideoque omnibus cum loci potestate tum ecclesiastica tum municipali officiis defunctus est, ac denique situm eum in finem designavit.

2. Post haec Moevia suas dedit Ordinario dioecesano preces, quibus exponebat statuisse se coenobium Capucinorum iuxta praescriptiones Apostolicas fundare; ideoque eiusdem veniam ad eam rem suscipiendam enixe deprecabatur. Ordinarius piam hanc promissionem in Dei honorem libentissime excipiens necessarias quasque et opportunas facultates eidem impertitus est. Cumque ruralis quaedam sacra aedes in regularem coenobii ecclesiam convertenda esset, cuius aedis cura et administratio ad Capitulum Collegiatae pertinebat, canonicis capitulariter auditis et adsentientibus, id etiam ipsi facillime concessit. Non est autem praetereundum, quod cum semel iterumque Ordinarius S. C. Conc. statum suae dioeceseos retulisset, Moeviae promissionem de construendo coenobio renuntiavit, adeoque S. Ordo Moeviam laudibus prosequendam et animandam Ordinario rescripsit, quod Ordinarius fideliter praestitit.

3. Subinde operi manus admota est et paucis annis non parum aedificii constructio progressa erat. At improviso Moevia quemdam suum in tertio gradu consanguineum in sua domo recepit, qui inibi Moevia ipsa volente et curante, uxorem duxit, ac filios suscepit. Paullo post opus interruptum, atque adeo penitus derelictum fuit. Paucis post annis consanguineus hic uxorem viduam cum filiis reliquit mortali morbo correptus, eumque Moevia moriens et ipsa brevi spatio secuta est. Cum vero testamentum isthaec condidisset, quo consanguinei filios ac fratrem haeredes instituit, in tabulis testamentariis edixit, sese in eo suscipiendo opere deceptam fuisse a quibusdam hominibus ac nominatim a quodam sacerdote tum, cum eidem peccata sua confiteretur: sibi siquidem (ita aiebat) dolose persuasum fuerat, eam in rem satis esse summam scutorum trium millium, cum tamen opere nondum perfecto, quatuor circiter millia consumpta fuerint. Itaque, mutata voluntate, suos haeredes ab onere fabricae incoeptae prosequendae absolutis verbis liberabat.

4. At contra in propatulo erat, neque Moeviam fuisse deceptam, neque tantum pecuniae impensum esse, et quamvis impensum utique fuisset, Moevia pluries cum pluribus animum patefecerat, sese non solum sex millia sed et amplius, quantum opus

esset, suppeditare paratam esse. Nam primo sacerdos ille spectatae probitatis et opibus familiae suae auctus nullum commodum, quin imo fastidium ex eo opere, cui dirigendo gratis, Moevia exorante, sese dedit, reportaverat ac reportaturus erat. Ceteroquin est prorsus inverisimile, quod ipse, ut opus bonum foveret, animae suae detrimentum incurrere vellet. Deinde cum opus suspensum fuit, sacerdos idem Moeviae seu eius consanguineo rationem reddidit de eo omni, quod acceptum et expensum ab ipso fuerat; at ex accepti ratione manu eiusdem consanguinei conscripta non plus quam scutata mille ac sexcenta circiter fuisse insumpta irrefragabiliter apparebat: ac praeterea ingens laterum, lignorum, aliarumque rerum apparatus supererat. Denique octo vel decem personae cognitae honestatis, ac pleraeque sacerdotali charactere insignitae unanimiter testabantur, ex ipso Moeviae ore sese audivisse, paratam eam esse nedum scutata sex millia, sed et amplius illud in opus erogare velle.

Huc accedebat, quod testes fere omnes insuper declarabant, consanguineum illum in Moeviam tale imperium verbis ac factis, iisdemque nonnunquam violentis exercuisse, ut eadem libertatis expers omnino evasisse dicenda esset. Postquam vero consanguineus hic vita excesserat, ii quibuscum Moevia versari adigebatur, eamdem in eam vim exercere perrexerunt, ac praesertim in ultimis vitae Moeviae momentis. Ex quo violentissima praesumptio erumpebat, id, quod ipsa in testamento edixerat, non suo ex animo et ore excidisse, sed in eius os aliena opera manuque iniectum et publicatum esse.

5. In hoc rerum statu rogatus fui, ut sententiam meam expromerem, an ex iis, quae posita sunt, talis obligatio emergeret, quae vim haberet, ut Moeviae haeredes ad eam obligationem exsolvendam in forma iuris valida adigi possent. Iamvero sententiam affirmativam edere non dubitavi. Porro constabat in facto de causa, qua Moevia ducta fuit ad piam dispositionem peragendam, ut nempe cognito fratris animo obsequeretur. Constabat de promissione, quam reapse Provinciali Capucinorum fecerat coenobii in illius Ordinis usum suis sumptibus ad formam sacrorum canonum erigendi, quamque Provincialis libentissime acceptaverat. Constabat insuper de eadem promissione in precibus Ordinario oblatis confirmata, obtentaque venia ruralem illam ecclesiam in coenobii usum adhibendi. Constabat de manu operi

apposita, deque fabricae progressu non parum evecto. Addebantur plurimarum personarum omni fide digna testimonia, quae perhibebant, Moeviam non solum sex millia scutatorum, sed omne id, quod opus foret, sese praestituram adpromisisse. Hisce positis, aliisque superadditis, quae brevitatis causa praetereo, inferebam plene constare de obligatione per Moeviam assumpta super erigendo Capucinorum coenobio, et ideo ad eam rem perficiendam eius haeredes iuris remediis utique compelli posse; namque eadem obligatio veram ac realem importat donationem, quae proinde *habet plenissimum et perfectum robur. L. Inst. de donat.* §. *Aliae vero,* adeoque paratam gignit actionem ad id, quod donatum fuit, in iudicio repetendum. *L. Si quis argentum, cod. de donat.*

6. Gradum subinde faciebam ad resolvendas obiectiones, quae ab haeredibus excipiebantur et excipi poterant. Excipiebatur in primis Moeviam in ea pia dispositione dolose deceptam fuisse, et quidquid sit, voluntatem suam in testamento revocasse. At misso, quod ridiculum erat, ne dicam propudiosum blaterari, sacerdotem illum animam suam perdere voluisse, ut pium opus curaret, quin ulla in eum temporalis derivaret utilitas, ex testibus fide dignis ostendebatur consanguineos Moeviae, qui haereditatem sine ullo onere inhiabant, reapse Moeviae tum vivae tum morienti vim intulisse, et ad aliter, quam sentiebat, disponendum impulisse. Sed Moevia id, quod alias egerat, revocare nullatenus poterat, iuxta adagium « quod semel placuit, amplius displicere non potest. » Et sane; facta distinctione donationis inter vivos et donationis causa mortis, concludebam, agi hic de donatione inter vivos; neque enim facta fuerat *intuitu mortis, et expressa cum mentione eiusdem,* iuxta *L. Seia 42.* §. *1. ff. de don., Inst. de donat.* §. *1.* Itaque prono alveo sequebatur, *ut temere revocari non posset. Vid. loc. cit.* §. *Aliae vero.*

7. Neque vero quidquam oberat, quod Moevia promissionem tantummodo peregisset, minime vero donationem proprie dictam; nam, ait Fierlius in *Theor. Bart. ad L. Cum quis decedens, de leg. edit. Rom. 1840. pag. 201.:* « Promissio donandi seu relinquendi » post mortem aliquid certum ac determinatum, est valida et » irrevocabilis, cum naturam induat actus inter vivos, qui nec » rescindi nec corrigi valet. » Si igitur valet promissio adimplendi id, quod post mortem promissum est, multo magis valebit quidquid in vita desponsum fuerit, atque adeo revera observari iam

coeptum sit. Ut vero magis magisque assumpti mei veritas eluceret, duarum causarum exempla proferebam. Primum petebam a decisione S. Rotae in *Romana Annuae praestationis 16. Ian. 1702. coram Caprara.* Fulvia quaedam scutata centum ex sua omni haereditate monasterio S. Iosephi solvenda per donationem inter vivos pollicita erat, ac postea in testamento edixerat, monasterio assignandam partem cuiusdam census, cuius fructus dicta scutata centum redderet; at cum monasterium totam haereditatem iuxta actum donationis obligatam ac devinctam remanere mordicus propugnaret, S. Rota in pluribus propositionibus, quarum ultima erat per viam restitutionis in integrum, census assignationem in testamento praescriptam reiecit, et actui donationis inter vivos absolute standum esse pronuntiavit. Multo longe adsimilius erat alterum exemplum ex *de Luca disc. 35. de reg.* depromptum. Pia quaedam mulier omnia bona sua in aedificatione monasterii Capucinorum per actum donationis inter vivos post obitum suum effectui demandandum addixerat. Eo elicito, circumventa fuerat ab eius consanguineis, ut testamentum conderet, atque ipsos ullo sine onere haeredes universales diceret. Muliere demortua, haeredes ex vi donationis in ius ad obligationem susceptam perficiendam vocati sunt et consuetis iudiciorum periculis expletis, ultimo causa ceciderunt. Restitutionis in integrum beneficio recreati, iudicium instauraverunt Romae penes S. C. Rever. Fabr. S. Petri. Sed perperam; nam nova eaque immedicabili clade tristes abierunt. Quodque alterius iudicialis sententiae adinstar est habendum, Card. de Luca, summum utriusque iurisprudentiae lumen, pro veritate rogatus, nedum sententiae illi in eo discursu adstipulabatur, sed et doctissime eiusdem fundamenta tuebatur ac propugnabat.

8. Altera difficultas sita erat in eo, quod Moeviae promissio, donationi etiam aequiparata, corruebat ex defectu solemnitatum, quae iure requiruntur; porro donatio scutata quingenta exsuperans inter acta principis insinuanda est; et quoniam de muliere agebatur, decretum iudicis accedere debuisset. Quae duo desiderabantur in casu. Iamvero insimul primo utramque, separatim deinde alterutram difficultatem diluendam aggrediebar. Ad primum quod attinet, principia generalia iuris canonici invocabam, quibus sancitum est, pias dispositiones utique sustineri quomodocunque de ipsarum perfectione constiterit, quin ullam necesse

sit civilis iuris observare solemnitatem, prouti patet ex cap. *Relatum, de testam.*, cum communi omnium tribunalium ac interpretum sententia (1).

9. Quin iuvet replicare, caput illud suam exserere vim dumtaxat in actibus causa mortis: namque subsumebam, nihil vetare, quominus valere debeat etiam in actibus inter vivos ob rationis paritatem. Et sane communiter a doctoribus illius capitis censura actibus inter vivos promiscue accommodatur, prout videre est penes Fargnam de *Iur. patr. P. I. can. III. cas. VIII. num. 3.*, Ferraris verbo *Donatio, art. 1. n. 32. et sequ.*, et potissimum de Luca *Disc. 32. n. 9. de alien.*, item *Disc. 109. de Feudis n. 31. disc. 83. n. 10., de donat. disc. 61. n. 2. de Alien. disc. 8. num. 4. Miscell. et alibi.* Praeterea animadvertebam, potestatem laicalem sive principis, sive municipii suis legibus afficere et obligare non posse Ecclesiam, neque eius privilegia laedere, ob defectum videlicet iurisdictionis. Consulatur Petra ad *Const. X. Innoc. III. in princ.*, ac etiam *n. 26. 27. et seq. tom. 2.* necnon eod. loc. *Sect. 1. n. 12.* item aliis omissis Amotaz. *de causis piis, lib. 1. cap. III. num. 9. et seq.*, necnon *cap. IV. num. 25. et 26.*

10. Quod si seorsim et speciatim utraque solemnitas inspicienda sit, nihil primo magis vulgatum, quam quod ea insinuatio in donationibus ad pias causas necessaria nequaquam censeatur, quemadmodum passim docent interpretes, ex. gr. Ferraris verbo *Donatio, art. 1. num. 32.*, Reiffenst. *Lib. III. decret. tit. 25. n. 17.*, de Luca *Disc. 60. de donat. num. 43.*, et congruit S. Rota *Decis. 606. coram Caval. num. 10. Baren. Donation. 5. Apr. 1647. §. Non obstat, coram Decano, decis. 773. num. fin. coram Dunozat.*

11. Quod si insinuationis defectus nullitatem donationis minime parit, iam pronum est, ob rationis paritatem inferre, quod neque defectus decreti a iudice interpositi nullitatem eiusdem actus parere possit. Et sane; iam in iure civili sancitum exstat, donationes a minoribus factas sine interposito decreto iudicis nullam habere vim ex *L. 22. Lex quae C. de admin. tut.* Iamvero lex haec nunquam impedimento fuit, quominus donationes ad pias causas a minoribus peractae sustinerentur, Fargna *de iur. patr. P. I. can. III. cas. VIII. n. 3.*, Constant. ad *Stat. urb. Annot. 44.*

(1) Cum sacrorum canonum iura, quibus isthaec doctrina confirmatur, plena manu lectori praebuerim cap. VII. §. 1. art. II. n. 25. et seq. vol. II. pag. 426. et seq., hinc, ne eamdem crambem recoquerem, eadem hic dumtaxat innuere satis habui.

art. VI. num. 660., cum aliis per eos allegatis. Cum itaque mulieres hac in re minoribus aequiparatae fuerint, sequitur, ut donationes ab iisdem sine decreto iudicis absolutae roboris firmitatem obtinere non desinant. Et sane decreti huiusce necessitas in primis a specialibus provinciarum statutis praescribebatur, donec s. m. Bened. XIV. in Constit. *Ad Romanae Curiae praestantiam* legem statutariam ad legem principis evexit pro iis locis, ubi statutum istiusmodi vigeret, ac tandem s. m. Pius VII. et Gregorius XVI. legem eam toti ditioni Pontificiae communem fecerunt, eiusque solemnitatis formam specifice adsignarunt.

12. At vero si ageretur de donatione ad pias causas, statutorum lex necessitatem decreti iudicis inducens, nullam exserere potuisse vim, constans est doctorum ac tribunalium sententia: de Luca, Constant. *ad statutum Urb. cum aliis loc. supra citato*, S. Rota coram Varallo *Decis. 179. in fin. et seq. par. 14. Recent. decis. 608. coram Riminaldo per totum.* Quin imo huiusmodi iurisprudentia in honore haberi non destitit etiam post Constitutionem Bened. XIV. editam, veluti puncto formiter discusso, ac pluribus praehabitis decisionibus, per viam restitutionis in integrum solemniter pronuntiavit omneque dubium peremit S. Rota *coram Riminaldo dec. 789.*; porro ibidem agebatur de donatione sex post editam Constitutionem annis celebrata.

13. Perperam vero exciperetur, per legem a Pio VII. et Gregorio XVI. latam, quibus suprema cum civilis tum ecclesiastica potestas inhaerebat, praeiudicium illatum fuisse illiusmodi ecclesiasticae disciplinae: nam Gregorius XVI. in principio neotericae legis 1834. alte proclamavit, dispositiones iuris canonici normam, ut antea, iudicibus praebere debere, iis exceptis, quibus expressa derogatio fieret; atqui nulla de exemptione a decreto iudiciali in mulierum donationibus ad pias causas derogatio ab eodem facta est: quin contra disertis verbis cautum est *art. 37.*, nihil derogatum fuisse dispositioni capitis *Relatum* favore causarum piarum, quam dispositionem cum in actibus causa mortis tum itidem in actibus inter vivos locum ac vim habere satis superque iam ostendimus. In confirmationem afferebam declarationem S. C. Episc. et Regul. editam in Urbinaten. *Super renunt. novit. minoris aetatis ac novitiarum*, 17. Mart. 1843., ubi S. C. edixit, ad validitatem donationum, quae a novitiis utriusque sexus in renuntiatione iuxta Conc. Trid. *Sess. 25. cap. 16. de ref.* bimestri ante profes-

sionem eliciuntur, solemnitates in dicta lege edictali Greg. XVI. praescriptas nullimode necessarias iudicari, ut illiusmodi renuntiationum actus validi sint.

Itaque concludebam, obligationem a Moevia susceptam, quocumque tandem aspectu eadem consideraretur, ab omni parte ita sustineri, ut eius haeredes ad omne id, quod ab ea desponsum fuerat, absolute exsequendum in iudicio adigi possent. Quibus in iure perpensis, ad factum iterum veniens aiebam, Moeviam donec libera fuit ac suae potestatis[5], piam dispositionem concepisse et quidem effectu exsequi voluisse; postquam vero in alterius dominationem sese coniecit, omnem libertatem amisisse, ac voluntatem immutare fuisse coactam. Quod vero in testamenti tabulis additum fuerat, eamdem a suo confessario dolose in sacro Poenitentiae tribunali deceptam fuisse, id magis in odium Sacramenti Poenitentiae adiectum fuisse videri, quam in odium confessarii, cuius religio, probitas, integritas et rei nullius egestas (ne dicam divitem conditionem) notoria ubique cum eo in oppido, tum in viciniis cuicumque erat. Qui vero in eam rem favorem, consilium, opem et operam contulerunt, aliis praetermissis, quae vulgo de ipsis dictitabantur, facile ostenderant, qui suus esset animus erga Ecclesiam et eius ministros: optimum vero factu fore, si veritas in apertum proferretur, piaque dispositio ad populi bonum perfectae exsecutioni demandaretur.

LXI.

Sac. Congr. Episc. et Regul. causa (1). *Capellaniae d. d. 9. Sept. 1862., 17. Mart. 1865., 19. Ianuar. 1866., in qua discrimen inter capellanias laicales et ecclesiasticas expenditur.*

(Ad pag. 427. vol. II.)

Summarium. 1. ad 4. Praemittitur facti enarratio. – 5. ad 7. Quae afferebantur pro demonstranda ecclesiastica capellaniae qualitate. – 8. ad 9. Quae contra pro adstruenda laicitate capellaniae momenta rationum

(1) Quoniam saepenumero in operis decursu nobis accidit, ut capellanias laicales memoraremus, quae non raro cum capellaniis ecclesiasticis confundi solent, hinc placet causam hanc afferre, quam penes S. C. Episc. et Regul. conscribere debuimus, eo nempe fine, ut clarior de ipsis notio acquiratur. Expositionem vero eiusdem causae excerpsimus ex ephemeride cui titulus *Acta S. Sedis*, vol. I., pag. 613., cuius in usum nos ipsi eamdem expositionem elaboravimus. Addimus etiam appendicem, quam in huius exitu ampliavit sacerdos romanus Petrus Avanzini, eiusdem ephemeridis auctor ac moderator.

ederentur. – 10. Causae resolutio differtur, ut probationes coadiuventur. – 11. Iterum differtur, ut quaedam documenta exhibeantur. – 12. Habitis documentis, denique resolvitur, non constare de laicitate capellaniae. – 13. Appendix super differentia capellaniarum ecclesiasticarum et laicalium. Capellania ecclesiastica esse non desinit, etiamsi ius patronatus ipsius sit mere laicale. – 14. Substantiale discrimen inter capellaniam ecclesiasticam et laicalem in eo situm est, quod in prima requiritur ecclesiastici Superioris interventus pro canonico decreto in erectione, et Bullarum expeditio in collatione. – 15. At in capellaniis laicalibus sufficit fundorum assignatio et acceptatio ecclesiastici Superioris, veluti in meris legatis piis. – 16. Qui sequantur effectus ex eo, quod capellania aliqua ecclesiastica non sit. – 17. Quae conditiones utrique capellaniarum generi communes sint. – 18. Afferuntur aliquae causae apud Sacram Congregationem Concilii disceptatae pro discernenda capellania ecclesiastica a laicali. – 19. Quamvis, ut plurimum, a clericis atque etiam sacerdotibus capellaniae laicales obtineri debeant, nihilominus, non desunt capellaniae, quae obtineri possint etiam a laicis, atque adeo ab ipsis pueris et feminis. – 20. In dubio capellania praesumitur ecclesiastica.

1. Rosa nupta Silvestro praeter dotem bona aliqua extradotalia possidebat; cum itaque testamentum conderet (cuius tabulae deperditae sunt, quin unquam eae reperiri potuerint), viro suo Silvestro mandavit, ut e suis bonis extradotalibus duas capellanias erigendas curaret, unam videlicet in dioecesi A. et alteram in dioecesi B. ad ecclesiam S. Valentini sub titulo S. Mariae Lauretanae. (Quaestio praesens hanc secundam respicit capellaniam; minime vero primam). Subinde tabulis codicillaribus diei 11. Septembris 1614. Silvestro viro suo eiusque successoribus ius reservavit nominandi capellanum; dein aliis tabulis codicillaribus die 13. Sept. 1615. eidem viro suo permisit, ut, quoad viveret, bonorum, quae dotem capellaniarum constitutura forent, usufructum retinere libere posset (1).

2. Silvester mandata uxoris praemortuae exsecutioni demandavit, reservato familiae suae iurepatronatus; ac insuper per actum diei 29. Sept. 1624. bona assignavit, quibus capellaniae dos coalescere debebat, unaque annuam quamdam Missarum celebrationem capellano imposuit. Praeter eos actus, de quibus ex-

(1) Si fundator capellaniae laicalis sacerdotium vel clericatum capellano praescripsit, dispensatio est necessaria, ut eam is sine habitu ecclesiastico possit retinere. *Faventina* Cappel. 24. Aug. 1867.

presse mentionem fecimus, ceteri, qui hanc capellaniam respiciunt usque ad annum 1668., et eo temporis intervallo locum habuerant, ita interciderunt, ut eorum nec autographum nec exemplar inveniri potuerit. Eo anno, nempe 1668, ut ex tabulario cancellariae episcopalis eruebatur, Bullae canonicae institutionis ab Episcopo cuidam sacerdoti datae fuerant: idipsum, facta iterum vacatione, praestitum esse favore alterius sacerdotis 1698. ex eadem cancellaria constabat. Post haec nihil aliud repertum est, nisi nominatio capellani ac praesentatio coram Episcopo anno 1731. peracta a patrono, et Episcopi edictum, quo capellaniae vacatio publice annuntiabatur.

3. At contra (ut ordine chronologico ea, quae super hac capellania contigerunt, enarrare prosequar) cum anno 1754. inter liberos familiae patronae bona haereditaria dividerentur, in divisionis instrumento bona capellaniae, perinde ac in haereditatis bonis accenserentur, comprehensa sunt, eademque uni ex praedictis liberis tanquam capellano reputando adiudicata cum onere celebrationis Missarum capellaniae inhaerentium. Multis post annis, ac punctim anno 1781. ille ex liberis, ad quem bona capellaniae devenerant, suo marte fundum quemdam ad capellaniam pertinentem libere cum fundo ad Titium pertinente permutavit, et in tabulis instrumenti capellaniam uti mere laicalem expressis verbis edixit. Cum insuper anno 1794. alteri bonorum divisioni locus factus fuisset inter liberos familiae, quae pro tempore in bonorum capellaniae possessione versabatur, haec bona uni ex liberis laico attributa sunt, etsi inter eosdem familiae liberos duo ecclesiastici viri connumerarentur.

4. Uti libera huiusmodi bona, aut saltem utpote capellaniam laicalem constituentia habita fuerunt, et penes familiam patronam remanserunt usque ad annum 1846., quo anno (capellania vacante) cum aliqua animadversio pro adserenda ecclesiastica capellaniae qualitate facta fuisset, capellanus a familia patrona nominatus, idemque ex eadem familia derivans, clericatu et canonica aetate minime destitutus, non abnuit ab episcopali Curia Bullas canonicae institutionis solemniter accipere, et canonicam capellaniae possessionem adire eadem ratione, qua in beneficiis fieri adsolet. Aliquibus post annis capellanus iste, habitu clericali dimisso, cum nuptias inivisset, vel inire iam optaret, supplicem S. C. Episc. et Regul. libellum obtulit, quo exponebat, capella-

niam uti laicalem retinendam esse, seseque nonnisi ex errore et ignorantia ductum ob iuvenilem aetatem Bullas canonicae institutionis acceptasse, ideoque expostulabat, ut eadem capellania ceu mere laicalis per Sacr. Congregationis decretum declararetur. Remissis de more precibus Episcopo, ut omnia scitu necessaria significaret, unaque suam sententiam promeret, responsum habitum est iisdem precibus omnino adversum ex eo, quod acta penes episcopalem cancellariam asservata, de quibus mentionem fecimus, Episcopi iudicio ecclesiasticam capellaniae qualitatem plane portenderent. Cum capellanus in asserenda capellaniae laicitate perstaret, res, monitis partibus, quarum intererat, ad plenarium S. Congregationis iudicium deducta est.

5. Haec afferebantur pro demonstranda ecclesiastica capellaniae qualitate. Duo erant capita, ad quae huiusmodi demonstratio redigebatur. Primum versabatur *in facto:* porro statuebatur, quatuor occasionibus inter se distinctis capellaniam utpote vere ecclesiasticam habitam fuisse, nimirum anno 1668. primum, ac deinde anno 1698., cum Bullae canonicae institutionis a curia expeditae fuerunt; item anno 1731., cum familia patrona actum nominationis ac praesentationis elicuit, et curia publico edicto vacationem capellaniae significavit, ac denique anno 1846, quo capellaniae tanquam beneficii ecclesiastici institutionem possessionemque ipsi oratori Episcopus pro tempore clargitus est.

6. Quae vero documenta ab oratore in medium proferebantur, spatium temporis ab anno 1754. ad annum 1794. interlapsi respicientia, tanti non erant, ut argumentorum vim pro admittenda ecclesiastica capellaniae natura, sitam in actis antecedentibus penes curiam asservatis, ullatenus possent infringere: ea enim usurpationem potius a patronis perpetratam detegebant. Quod si decretum canonicae erectionis reperiri non contigerat, non idcirco ipsi locus minime factus fuisse dici poterat: aliud est enim quidquam non reperiri, aliud non habuisse locum. Sed enimvero quomodo Bullae canonicae institutionis aliaque acta propria beneficiorum peracta fuissent tempore minime suspecto, ac fundationi proximo, nisi canonica erectio, etsi nullum eius vestigium inveniatur, reapse ab Episcopo iuxta canonicas leges perfecta fuisset? Ad haec accedebat, quod alia capellania, in altera dioecesi a testatrice eisdem tabulis eodemque contextu et conditionibus instituta, ut superius vidimus, semper et absque ulla contradi-

ctione uti ecclesiastica habita fuerit, itemque uti ecclesiastica capellanis per canonicam institutionem collata.

7. Posito *in facto*, quod canonica capellaniae erectio minime defuerit, quodque bullae canonicae institutionis expeditae fuerint, *in iure* hoc inferebatur consectarium, ut fieri plane non posset, quin capellania, de qua sermo erat, uti ecclesiastica declararetur. Namque scitum est apud canonicarum rerum interpretes, quod ad constituendam beneficii ecclesiastici qualitatem duae tanquam essentiales requirantur conditiones; una est, ut in fundatione capellaniae episcopale canonicae erectionis decretum intercesserit: altera est, ut in capellaniae collatione Bullae canonicae institutionis expediri debeant. Sunt itidem et aliae conditiones, quas rerum canonicarum interpretes enumerant; quae tamen cum capellaniis etiam laicalibus competere possint, silentio praetermittebantur. At vero erectionis decretum et Bullarum expeditio eiusmodi sunt, ut uni beneficio, quale est capellania ecclesiastica, unice conveniant. Quae dicta sunt, auctoritate fulciebantur clarissimi *Reiffenstuel lib. 3. tit. 5. n. 17*, et ipsius S. C. Episc. et Regul. in *Aesina Capellaniae* 18. Iulii 1851. Cum itaque duo haec essentialia elementa *in facto* demonstrata fuissent, concludebatur, capellaniam, de qua agebatur, nonnisi uti ecclesiasticam esse declarandam.

8. Pro adstruenda laicitate capellaniae haec rationum momenta edebantur. Servata eadem ratiocinandi ratione in facto et iure, ad primum quod attinet, omnia acta proferebantur in medium, quae ab anno 1754. per totius saeculi spatium peracta fuerunt, in quibus capellania uti laicalis nedum habita fuerat, sed etiam uti talis in iisdem disertissime nuncupata, quin in tam diuturno temporis decursu ullam curia episcopalis quaerimoniam ad sua tuenda iura obmovisset. Quod si capellania in altera dioecesi a testatrice erecta uti ecclesiastica habebatur, nihil obesse poterat; id enim plures ob rationes evenire potuisset: neque enim res rara est, ut capellaniae laicales ad statum ecclesiasticitatis, servatis servandis, extollantur.

Item nihil officere poterat, si ecclesiastica curia anno 1846. in eamdem manum iniecerat; id ex eo evenerat, quod capellanus puerili aetate constitutus ignoraret, quos effectus Bullarum expeditio progigneret: ubi vero primum id agnovit, non obmutuit, quin imo suas protestationes penes curiam episcopalem, ac dein penes S. C. Episc. et Regul. emisit.

9. Hisce *in facto* constitutis, *in iure* eaedem doctrinae, quae supra ex adverso pro ecclesiasticitate, item pro laicitate ostendenda invocabantur. Cum enim decretum erectionis non produceretur, illud plane defuisse praesumendum erat; idque eo magis, quod per integri saeculi spatium sine Bullis episcopalibus capellania collata et a capellano pacifice possessa fuerat. Si igitur capellania tum laicalis dici debeat, cum in eiusdem fundatione erectionis decretum non intercesserit, et in eiusdem ineunda possessione Bullae episcopales expeditae non fuerint, iam illud prono alveo subdebatur, ut capellania, de qua agitur, minime uti ecclesiastica, sed profecto uti laicalis omnino esset declaranda.

10. Itaque dubium proponebatur:

« *An et quomodo constet de laicitate capellaniae in casu?* »

Die 19. Sept. 1862. Emi Patres eiusdem S. Cong. Episc. et Regul. rescripserunt: *Dilata, et coadiuventur probationes.*

Causae prosecutio. In secunda causae propositione nihil novi neque in facto neque in iure ad capellaniae ecclesiasticitatem stabiliendam a curia producebatur: si factum respicias, nihil item ad laicitatem ostendendam proferebatur ab oratore, qui satis habuit votum advocati Curiae Romanae exhibere, qui fretus iis documentis, quae producta iam ab eodem oratore fuerant, non sine doctrina et canonicae iurisprudentiae apparatu concludere se posse confidebat, capellaniam a Rosa testatrice constitutam tanquam laicalem esse declarandam.

11. Iterum itaque eadem dubii formula Emis Patribus proposita, responsum prodiit: *Dilata, et exquiratur votum promotoris fiscalis Curiae, transmissis exemplaribus omnium documentorum, quae referuntur ad praesentem quaestionem, quaeque in archivio episcopali asservantur.*

12. Causae definitio. Mandata peregit Episcopus, qui praeter alia remisit exemplar Bullarum anni 1688. et 1698. et actum nominationis anni 1731., de quibus mentionem supra fecimus. Subinde votum promotoris fiscalis remisit, qui capellaniae ecclesiasticitatem enixe propugnabat, praemissa accurata historia eorum, quae a prima origine ad illud usque tempus circa capellaniam eamdem interciderunt. Peculiariter autem circumstantiam quandam innuebat, antea penes S. C. minime expositam, quod nempe, si omnium actorum series a fundatione usque ad subsequentia tempora sine interruptione exhiberi non poterant, id ex

eo repetendum erat, quod praeterito saeculo episcopale tabularium exitiali incendio fuerat obnoxium, ex quo omnia acta ibidem asservata absumpta fuerant.

Sedulo examini subiectis exemplaribus a curia transmissis, compertum est, quod in actu nominationis elicitae anno 1731. patronus eam nominationem ac praesentationem peregerat hisce nimirum verbis adhibitis – *ad formam instrumenti erectionis dictae capellaniae.* – Itaque *ex officio* animadvertebatur, quod, etiamsi erectionis decreti exemplar minime inveniretur, nihilo tamen secius in eo nominationis actu praesto erat documentum irrefragabile, quo demonstrabatur, ipsum in fundatione non defuisse. Cum itaque tempore fundationi proximo Bullarum episcopalium expeditioni locum factum fuisse ex actibus 1668. et 1669. ostenderetur, legitime exinde consequi inferebatur, quod duo essentialia beneficii, seu capellaniae ecclesiasticae elementa nequaquam desiderantur, adeoque nullam dubitationem superesse, ut capellania uti ecclesiastica diiudicaretur. Quae cum ita sint, cum dubium praedictum tertio propositum fuisset, Emi Patres die 19. Ianuarii 1866. rescripserunt : – *Negative in omnibus.* –

13. Aliqua addimus, quae capellaniarum qualitatem clarius explicant. Accidit saepenumero, ut capellaniae ecclesiasticae cum capellaniis laicalibus confundantur; cuius rei exemplum praebet causa penes S. C. Episc. et Regul. disceptata, quam superius exposuimus. Verum ut ex eadem colligitur, non mediocre inter utrasque discrimen interponitur. Illud insuper haud raro contigit, ut capellaniae, quae iuripatronatus laicali obnoxiae sunt, tamquam capellaniae laicales non sine errore reputentur. At vero, si merum nomen excipias, inter vera beneficia et capellanias ecclesiasticas, nulla differentia interest; adeoque etiamsi capellaniae iuripatronatus laicorum subiiciantur, non idcirco sequitur, quod laicales dicendae sint, non secus ac accidit de beneficiis, quae ceu laicalia non putantur, quamvis iurispatronatus laicorum vinculo adstricta sint.

14. Iamvero substantiale discrimen, quod inter capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit, in hoc situm est, primum, ut pro beneficiis, ideoque pro capellaniis ecclesiasticis in fundatione canonica erectionis decreto locus factus fuerit; deinde ut in collatione, quandocumque accidat, Bullae episcopales, seu Apostolicae pro canonica institutione assequenda requirantur. Primum

enim illud efficit, ut quae bona antea in civili commercio erant, et in privatorum dominio esse poterant, post decretum erectionis destinata in ecclesiasticum usum, non amplius in civili commercio sint, sed inalienabilia uti ecclesiastica sint habenda. Bullarum autem expeditio facit, ut nullus nisi clericus canonice institutus in earumdem capellaniarum possessionem immitti queat.

15. Iamvero in capellaniis laicalibus, quoniam legatis piis accensentur, satis est, ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis mera ac nuda capellaniae acceptatio fiat iuxta ea, quae ad formam Constitutionum Apostolicarum docet Benedictus XIV. *de Synodo dioeces l. 13. c. ultim. num. 10.* Ut earumdem autem possessio legitime acquiri queat, auctoritatis ecclesiasticae interventus nequaquam plane praescribitur, sed sufficit, ut possessio per acta notarii iuxta legum civilium sanctiones adeatur.

16. Cum itaque capellaniae laicales non sint mera beneficia, illud consequitur: *quod* in capellanorum nominatione necesse non sit servare tempus quadrimestre, vel semestre per sacros canones in beneficiis conferendis praestitutum; *quod* si nominatio peragatur cum pacto aliquid per capellanum nominanti persolvendi, quamvis pactum hoc illicitum ac pravum reputetur, nihilominus simoniae crimini, et poenis contra simoniacos constitutis locus non fiat; *quod* denique, licet capellanus (quippe dominii iure destitutus ac mere bonorum capellaniae administrator et usufructuarius) bona capellaniae alienare nequeat, atque alios contractus alienationis nomine venientes per se ipse concludere non possit, nihilominus, si id egerit, poenas contra alienantes bona ecclesiastica iuxta censuram Extravagantis *Ambitiosae* non incurrat.

17. In expositione causae, de qua supra mentionem feci, cursim innuebatur, plura esse, quae capellaniis ecclesiasticis et laicalibus communia sint; huiusmodi solent esse adsignatio dotis, altaris designatio, reservatio iurispatronatus, conditio, ut capellanus sive clericali, sive subdiaconali, diaconali aut sacerdotali qualitate polleat. Neque enim impedit, quominus testator in capellaniae constitutione pro lege illiusmodi conditiones imponat, quae utique sancte religioseque servandae sunt, prouti de ultimis testatorum voluntatibus fieri debere utraque iura clamant. Itaque hac in re discrimen, quod inter capellanias ecclesiasticas et laicales intercedit, in eo consistit, ut conditiones, quae in pri-

mis necessario praescribuntur ex dispositione legis, in alteris ex dispositione hominis exquirantur. Quocirca, quamvis capellania sit laicalis, attamen si testator legem dixerit, ut capellanus sive clericus, sive sacerdos esse debeat, eamdem nullus, nisi clericus sit vel sacerdos, adsequi omnino queat. Quod si nullam legem neque expresse neque tacite testator adiunxerit, qua capellani qualitates designentur et requirantur, nihil impedit, quominus capellaniam sine ullo huiusmodi onere constitutam obtinere possit etiam laicus, atque adeo infans quoque, aut femina.

18. Opportunum hic erit, nonnullas afferre causas in S. Congregatione Concilii super hoc argumento agitatas, ex quibus in casibus particularibus certa norma desumi valeat.

In *Maceraten.* 7. Septembris 1726. testator iusserat, e suis bonis capellaniam laicalem erigi debere, pro Missa celebranda in altari maiori ecclesiae Suffragii, ac voluit, ut eiusmodi capellania ad titulum ordinationis inserviret favore filiorum cuiusdam Silvestri. Sacra Congregatio rogata: « An capellania, de qua agitur, » sit legatum pium, cuius sint capaces etiam feminae; seu po- » tius sit capellania ecclesiastica? » respondit *ad primam dubii partem negative, ad secundam affirmative, sed non esse collativam et amplius.* Censuit nimirum S. Congregatio, capellaniam esse ecclesiasticam habito respectu personae nominandae, quae ecclesiastica esse debebat, capellaniam vero esse laicalem circa ceteros iuris effectus, prout dignoscitur ex verbis, quibus declaravit, eam *non esse collativam.* Non enim repugnat, laicalem diversis respectibus esse capellaniam, et quoad personas nominandas ecclesiasticam. Caesar. de Grass. *decis. 114. de praeb. per tot.*

In *Nullius Farfan.* 12. Aug. 1741. fundata fuerat capellania ad altare B. M. V. ab Angelo salutatae, electusque fuerat a fundatore suus nepos in primum capellanum, « cum arbitrio et po- » testate utendi et fruendi dicta capellania, eiusque bonis et » dote sub onere tamen quarumdam Missarum, ab ipso ceteris- » que capellanis implendo... et praepositus pro tempore in dicta » ecclesia praedicta exsequatur et exsequi faciat, sine aliqua iu- » dicis sententia et auctoritate. » Cum quaesitum fuisset: « *An* » *dicta capellania retineri queat in statu coniugali?* responsum fuit: *Negative.* Censuit nimirum S. Congregatio, capellaniam esse quidem laicalem, conferendam tamen esse personae ecclesiasticae iuxta testatoris mentem.

In *Civitatis Castelli Capellaniae* die 24. Aprilis 1751. actum est de capellania hisce sub legibus fundata: « Ut esse debeat » mere laicale iuspatronatus canonici N. et eiusdem successorum, » ad quos pertineat in perpetuum nominatio libera omnium et » singulorum capellanorum..... Ut ad Episcopum spectet erectio » dictae capellae absque ulla subordinatione Datariae Apostoli- » cae, nec Episcopus ius acquirat conferendi dictam capellaniam » tamquam beneficium ecclesiasticum, neque instituendi nomina- » tum. Ut dictus capellanus vel capellani sint ad nutum amovi- » biles et ad libitum dicti canonici eiusdemque successorum. » Huius capellaniae erectio nunquam facta fuit ab Episcopo, et capellani ex se possessionem susceperunt. Proposito deinde dubio: « *An capellania sit mere laicalis, ita ut retineri possit in* » *statu coniugali?* » S. C. respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam et amplius.* Iudicavit nimirum capellaniam esse laicalem, quin tamen retineri posset in statu coniugali, iuxta testatoris mentem.

In *Anconitana Capellaniae* diei 12. Maii 1770. iusserat sacerdos N. institui tres capellanias laicales, quibus distinctam dotem ex suis bonis assignavit, capellanis vero ius tribuit propria auctoritate *capiendi possessionem bonorum*, et onus iniunxit *celebrandi, aut celebrare faciendi* binas Missas in singulis hebdomadis. Disputatum deinde est dubium: « *An capellaniae sint laica-* » *les, ita ut possideri possint etiam a laicis?* » Sacra Congregatio rescripsit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Item in *Montis Alti Capellaniae* die 22. Augusti 1795. instituerat pius vir capellaniam, seu legatum simplex, seu iuspatronatus laicale favore sui nepotis cum onere celebrandi, aut celebrare faciendi duas Missas singulis hebdomadis sine licentia, intromissione, aut praesentatione Episcopi, vel alterius iudicis, semper et in futurum. Deinde post nepotem ad dictam capellaniam vocavit suos haeredes, quibus tribuit facultatem sine licentia, praesentatione etc., nominandi sacerdotem ad ipsam capellaniam laicalem, qui celebraret aut celebrare faceret duas Missas singulis hebdomadis in perpetuum. Sacra Congregatio ad dubium: « *An capellania sit mere laicalis, ita ut retineri possit* » *a laico et femina in casu?* » respondit: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Quamvis enim capellaniae sint mere laicales, non exinde sequitur necessario, quod laici eas ha-

bere possint. Non enim repugnat, ut capellania vere laicalis sit, et de personis nominandis ecclesiastica, ita ut eamdem laici retinere nullatenus possint. Ceteris itaque eiusdem generis omissis resolutionibus, praestat sequentes adducere, quibus Sacra Congregatio iudicavit, capellanias laicales posse a laicis vel pueris etiam retineri.

19. Rariores quidem sunt eiusmodi resolutiones; namque testatores capellanias laicales instituentes explicite vel implicite animum intendere solent ad capellaniam instituendam laicalem quidem, sed conferendam saltem clerico. Attamen non desunt nonnullae resolutiones S. Congr. Concilii, quibus capellania laicalis adiudicata sit laico, quin imo etiam infantibus.

In *Romana Capellaniae* die 12. Iunii 1712. testator instituerat capellaniam in quadam Regularium ecclesia, cum onere celebrandi, aut celebrare faciendi Missam quotidianam, ac ipse primum capellanum nominavit virum N., eodem iniuncto onere donec viveret, quo mortuo eamdem capellaniam indicatae ecclesiae Regularibus reliquit. Mortuo testatore, cum existimata fuerit laicalis capellania, defuit Ordinarii auctoritas pro canonica erectione, ac vir N. in possessionem capellaniae devenit. Cum vero deinde matrimonium contraxisset, putarunt Regulares praedicti, non posse virum N. capellania frui, quam ecclesiasticam renuntiabant: quaestio itaque mota est: « *An capellania, de qua agitur, sit laicalis,* » *sive potius ecclesiastica?* » Si enim laicalis iudicata fuisset, nihil impediebat, quominus laicus coniugatus eam retineret, cui retentioni testatoris voluntas non refragabatur. Causa autem discussa, S. C. C. censuit, capellaniam laicalem esse, respondens: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

In *Auximana* 15. Decemb. 1787. testator capellaniam laicalem fundaverat favore suae familiae, cui reliquit ius tam activum, quam passivum patronatus. Primus capellanus a testatore nominatus capellaniam obtinuit, et *ex gratia* S. Sedis eam in statu coniugali retinuit; verba enim testatoris videbantur exigere qualitatem ecclesiasticam. Primus autem capellanus iam senescens ac in magnam vergens inopiam, postulavit a S. C. C. facultatem nominandi filium suum coniugatum in capellanum successorem. In examen causa revocata est, et proposito dubio: « *An sit con-* » *cedenda Ioachimo facultas nominandi Hieronymum eius filium* » *coniugatum in capellanum successorem in casu?* » S. Congreg.

respondit: *Affirmative, praevia dimissione.* In folio eo tempore exarato *ex officio* observabatur favore oratoris, quod testator praesertim in familiae commodum capellaniam fundaverat, cum dictitare soleret, hacreditatem suam in beneficium consanguineorum cessuram fore. Quare S. Congr. iuxta testatoris mentem, attenta paupertate, in quam dicti consanguinei devenerunt, censuit, praefatam capellaniam posse a laico coniugato retineri, quamvis testatoris verba prae se ferre prima fronte viderentur clericalem qualitatem.

In causa *Civitatis Castelli* die 1. Martii 1776. testator duas fundaverat capellanias, ac voluit, ut eae considerarentur tamquam legata perpetua, et non aliter. Reliquit autem cuidam familiae ius nominandi capellanum; quibusdam vero aliis familiis ius passivum reliquit, quo descendentes clericos ex viro N. nominari prae ceteris ad capellaniam statuit. Contigit autem, ut ex viro N. nullus descendens clericus haberetur; nullusque alius ex vocatis nisi puer sexennis exstabat, de quo dubitatum est, an capax esset assequendi dictas capellanias, ac proposita sunt S. C. C. sequentia dubia: I. « *An Paulus...* (nempe puer sexennis) *sit capax consequendi capellanias in casu?* » et quatenus negative: II. « *An sit locus dispensationi in casu?* » S. C. C. respondit: Ad I. *affirmative,* ad II. *provisum in praecedenti.* Iudicavit nimirum S. C., puerum sexennem capacem esse consequendi in casu laicales capellanias, neque dispensatione Apostolica indigere; quamvis neque ad aetatem canonicam pertigisset septem annorum, qua recipere posset clericalem tonsuram.

Quamvis autem laicales capellaniae ex testatorum voluntate soleant exigere qualitatem saltem clericalem personae nominandae, non inde consequitur, quod clericus nominatus tencatur oneribus, quae ex iure iniunguntur illis, qui beneficia ecclesiastica obtinent, cuiusmodi est onus recitandi divinum officium, iuxta textum in *cap.* Dolentes *9. de celebrat. Miss., et cap.* Quia *de rescriptis in 6.* Quare in *Perusina* die 29. Augusti 1789. cum clericus obtinuerit capellaniam, ac deinde dubitaverit, an ea esset laicalis vel ecclesiastica, ut teneretur recitare divinum officium; sequens dubium S. C. C. propositum fuit resolvendum: « *An capellania Massi sit ecclesiastica, ita ut recitare teneatur capellanus divinum officium in casu?* » S. Congregatio respondit: *Negative in omnibus.*

Capellaniae itaque laicales inter ecclesiastica beneficia non sunt recensendae, sed considerari solent tamquam legata pia, eo modo, quo supra diximus.

20. Non raro accidit, ut inspectis testatorum verbis non clare appareat, an testator iusserit capellaniam laicalem erigi, an potius ecclesiasticam ; in hoc dubio, prout auctores docent, capellania iudicanda est ecclesiastica. Ad instar exempli adduci potest causa *Capellaniae,* quae apud S. C. C. agitata est die 19. Aprilis 1863. Testator ante obitum testamentum condens *iure legati* de pluribus suis bonis disposuit, quae tandem reliquit *altari S. Francisci, in ecclesia S. Mariae... ita ut constitui debeat capellanus amovibilis cum onere celebrandi sex Missas quotannis in perpetuum pro anima testatoris, et celebrandi solemniter diem festum sancti Francisci.* Voluit autem, ut capellanus nominaretur a viro N. N. et a suis. Disputatum itaque est, an capellania ita instituta reputanda esset ecclesiastica vel laicalis, gravibus utrinque allatis rationibus. Patroni, qui contendebant, capellaniam esse laicalem, aiebant, ex adducta testamenti particula satis constare, testatorem non aliud voluisse, quam simplicem Missarum officiaturam, maxime cum nulla mentio facta fuerit de Episcopi auctoritate; tantummodo enim testator dixerat, ut capellanus ad nutum amovibilis nominaretur a viro N. N. et a suis.

Aiebant insuper, testatoris mentem apprime declarari per factum, quo nunquam canonicam erectionem intervenisse contendebant, et usque ad annum 1810. Episcopos nominatis capellanis nunquam institutionem canonicam contulisse. Quae solemnitates intervenire necessario debent, quando agitur de ecclesiastica capellania, et quemadmodum harum solemnitatum interventus est criterium ad ostendendam capellaniae alicuius ecclesiasticitatem, ita earumdem defectus ostendit capellaniae laicitatem.

Neque opponi posse iidem patroni contendebant, theoriam, quam tradunt auctores de ultimo beneficiorum statu. Eiusmodi enim theoria afferri potest, quando agitur de quaestione, quae in possessorio agitatur, non vero de quaestione, quae in petitorio movetur, cuiusmodi erat praesens quaestio, in qua non quaerebatur de ultimo capellaniae statu, sed de natura eiusdem capellaniae.

Curia episcopalis e contra contendebat, capellaniam esse ecclesiasticam, verumque ecclesiasticum beneficium, illudque sine speciali dispensatione Apostolicae Sedis possideri non posse, nisi

a clerico, qui incedat habitu et tonsura. Rationes autem, quas procurator fiscalis adducebat, ad sequentes reducuntur: nempe, ex canonistarum sententia capellaniam in dubio praesumendam esse ecclesiasticam. Licet autem erectionis decretum auctoritate Episcopi emissum in Curiae tabulario non reperiretur, id adscribi debere aiebat vicissitudinibus, quas archivium passum est. Huiusmodi autem decretum canonicae erectionis adfuisse dicebatur, tum quia testatoris verba non refragantur Episcopi interventui; tum quia in antiquis actis SS. Visitationum eiusmodi capellania appellata est *Beneficium de iurepatronatus:* mentio fit in iisdem actis de *iure nominandi et praesentandi capellanum amovibilem ad nutum et dictum simplex beneficium.* Hisce autem argumentum adiungebatur ex paritate: nimirum idem testator iisdem testamentariis tabulis alteram capellaniam instituerat iisdem fere verbis *iure legati,* eamque habitam semper fuisse tamquam ecclesiasticam, nemine contradicente.

Proposito itaque dubio S. Congregationi Concilii: « *An constet* » *de capellania mere laicali, ut retineri valeat a laicis et coniu-* » *gatis in casu?* » responsum prodiit: *Negative in omnibus.* Censuit nimirum S. Congregatio, non constare de laicali natura dictae capellaniae, neque eamdem a laicis posse possideri.

Ex hactenus dictis liquet, quaenam sit praxis, quae obtinet apud SS. Congregationes, cum agitur de indole harum capellaniarum, quantum discrimen inter utrasque interponatur, et quaenam sint criteria quibus utraque earumdem species dignoscatur. Censetur capellania laicalis, quando excluditur a testatore ecclesiastica auctoritas in erectione eiusdem et actibus collationis, quo in casu Episcopus sua auctoritate intervenit dumtaxat ut defensor et exsecutor piarum testatorum voluntatum. Si autem exclusa non sit isthaec episcopalis auctoritas, capellania praesumenda est ecclesiastica, ac proinde canonicae erectioni et collationi vel institutioni fit locus, sicut evenit in beneficiis ecclesiasticis, sive liberae collationis sive iurispatronatus.

Quemadmodum autem eiusmodi solemnitates intervenire debent, cum agitur de capellania ecclesiastica; ita iisdem solemnitatibus intervenientibus deduci optime potest, capellaniam esse ecclesiasticam; maxime cum nihil impediat, quominus capellania, quae forsan in sua institutione reputanda erat laicalis, per eiusmodi canonicos actus decursu temporis evadat ecclesiastica.

Cum autem capellaniae mere laicales aequiparari soleant legatis piis, non subsunt illis legibus, quae in iure statutae sunt dumtaxat pro ecclesiasticis beneficiis: subsunt autem legibus, quae communes sunt legatis piis aliisque ex voluntate testatorum impositis legibus.

LXII.

Folium causae Dioecesis NN. *Affrancationis. Reductioni onerum piorum ac nominatim celebrationis Missarum locus non fit, cum universa haereditas a testatore eam in causam obligata fuit* (1).

(Ad pag. 453. vol. II.)

Summarium. 1. Factum, quod causae ortum dedit, enarratur. – 2. Quae rationum momenta afferrebant oratores. – 3. Quid respondebant Capitulum legatarium. – 4. Dubii formula proponitur, et resolutio refertur. – 5. Eiusdem causae continuatio. – 6. Mutatis substantialiter circumstantiis Sac. Congreg. recedit a decisis. – 7. Appendix, qua argumentum superius expositum confirmatur. – 8. In S. Congr. Conc. nullum aliud argumentum magis frequenter agitur, quam hoc de reductione Missarum. In primis inspicit, an legatum *taxative* vel *demonstrative* sit relictum. – 9. Quando *taxative*, quando *demonstrative* relictum dici debeat. – 10. Quid si nihilominus dubitetur. – 11. Non est dubitationi locus, quod legatum sit *demonstrative* relictum, cum testator certam summam a suo haerede persolvi iusserit. – 12. Quae doctrina fundamentum habet in iure communi et decisionibus S. Rotae Romanae.

1. Pius homo quidam de ecclesiastico coetu in ultimo, quo decessit, elogio duos haeredes fiduciarios nominaverat, qui testatoris fiduciam explicantes inter alia legata pia, legatum ab eo relictum fuisse declaraverunt hisce nimirum verbis: « *Ab haeredibus persolvetur summa annua scutatorum viginti, quae summa erogari debebit in funus, quod in ecclesia collegiata N. N. celebrabitur, die recurrente anniversario obitus defuncti.* » Ecclesiae legatariae Capitulum et Ordinarius legatum rite acceptum habuerunt; et in eius securitatem canonici inscriptionem supra quadam vinea haereditaria capere non retardarunt.

---

(1) Huius causae expositionem excerpsimus ex ephemeride, cui titulus *Acta S. Sedis* iisdem de causis, quas attulimus pag. 520. in nota.

Universum porro assem haereditarium constituebat isthaec una vinea, cuius dominium directum testator obtinebat cum canone a domino utili persolvendo scutatorum 34, 92 in singulos annos. In ea vinea domuncula aderat, quae ruinam proxime minitabatur; insuper dominus utilis contra dominum directum quaedam iura in eo fundo iactitabat, ad quae prosequenda litem iudicialem instruere iam parabat. Ad haec itaque declinanda damna haeredes fiduciarii cum domino utili amice convenerunt, ut vineam illam huic liberam et immunem ab omni canone relinquerent sub hac conditione, quod dominus utilis tot schedulas publici debiti, quod vulgo penes nos audit *Consolidato*, quot reditui scutatorum quinquaginta in singulos annos responderent, directorio cederet.

Utilissima conventio haec haereditati accidebat: nam praeterquam quod expensae pro domuncula reficienda, ac pro iudiciali iam parata lite necessariae evitabantur, canon scutatorum 34. et ob. 92. in reditum annuum convertebatur scutatorum quinquaginta. Quapropter cum ageretur de haereditate ad causam piam pertinente, dominus utilis a S. Cong. Conc. beneplacitum Apostolicum deprecatus est, ut conventionem inter partes constitutam auctoritate sua ratam habere dignaretur. Precibus annuit S. C. per Rescriptum diei 17. Iun. 1861. addita clausula: « *Si quae pia onera canoni, ut supra, affrancando infixa reperiantur, in et super novo investimento transferantur ac translata esse intelligantur.* » Rescriptum rite secuta est exsecutio ab Ordinarii decreto sancita, et dein solemnis instrumenti celebratio.

Non multo post haeredes fiduciarii iuxta obligationem, quam susceperant, a S. C. Episcoporum et Regularium supplices petiverunt, ut Capitulo ecclesiae legatariae schedulas debiti publici pro reditu scutatorum viginti tradere possent, ita ut, hac effecta probataque assignatione ac traditione, hypothecam in vinea inscriptam delere et liberam plane relinquere possent. Cum supplex libellus offerretur, etiam sequenti tempore, penes S. C. Episc. et Regul. nullum omnino verbum ab oratoribus factum est de Rescripto, quod a S. Cong. Conc. impetraverant, ac tantummodo in medium prolatum est, cum in eo res erat, ut in plenis comitiis S. C. Episc. et Regul. causa proponeretur. Quocirca haec S. C. huic negotio pertractando manum apponere non dubitavit, licet fortasse iure praeventionis ad S. C. C. spectare dici posset.

Itaque auditus est Ordinarius, qui per accidens unus erat ex duobus haeredibus fiduciariis: hic profecto una cum suo cohaerede preces excipiendas esse non solum assentiebatur, quin imo enixe contendebat. At vero Capitulum legatarium, quamvis inscriptionis hypothecariae delctioni absolute non abnueret, nihilominus schedularum pro reditu viginti scutatorum assignationi mordicus refragabatur, ac tot sibi dari schedulas propugnabat, quot conficiendo reali scutatorum 400 valori satis essent. Cardinalis Capituli legatarii protector, adhibita quadam immutatione accidentali, in Capituli ipsius sententiam convenerat. Cum igitur huiusmodi Capituli propositio haeredibus fiduciariis minime arrideret, ad iudicium plenarii auditorii S. Cong. Episc. et Regul. diei 1. Sept. 1865. res deducta est cum ea, quae suo loco legitur, dubii formula.

2. Haeredes fiduciarii statuebant in primis, sese inspecta utilitate ac bono haereditatis abstinere non potuisse, quominus vineam a canone liberarent per contractum, quem vocant *affrancationis*. Urgebat enim necessitas reficiendae domunculae, quae aderat in vinea iamiam collapsura; urgebat necessitas perferendi sumptus, qui in tuenda lite, quae parabatur, necessarii plane fuissent: at vero vires haereditariae huic impensarum moli sustinendae satis esse non potuissent. Ceteroquin liberatio vineae in domini utilis commoditatem, haereditatis conditionem nedum non imminuisset, sed et multo meliorem effecisset: reditus enim, qui quotannis percipiendus erat, non amplius scutatorum tringinta quatuor, sed et quinquaginta summam attigisset; hinc est, quod S. C. C. facillimam sese praebuit in beneplacito, quod ad rem petitum fuerat, confestim elargiendo. Qua posita necessitate, illud sequebatur, ut, si eidem submittere sese debuerant haeredes alienando vineam, eadem de causa fasces subiicere debeat ecclesia legataria consensum deletionis hypothecae non denegando.

Addebant insuper, eam fuisse mentem testatoris, ut Capitulo scutata viginti in singulos annos salva certaque forent. Simul ac igitur haeredes reditui scutatorum viginti quotannis respondentes Capitulo legatario assignassent atque tradidissent, omni obligatione per testatorem imposita deonerabantur, quin aliud ulterius ab haereditate exigere legatario liceret.

Denique iuxta commune axioma: *quod tibi non nocet, alteri prodest, hoc faciendum est*, animadvertebant, nihil obesse Ca-

pitulo, si schedulas oblatas exciperet, et scutata viginti ab aerario publico assequeretur: sive enim sortis, sive fructus securitas inspiceretur, nihil tutius ac solidius occurrisset, quippe nullum adest gubernium, cui maior debeatur fides, quam civilis Apostolicae Sedis principatus. Deinde quolibet esxpirante semestri dimidia fructuum debitorum pars absque ulla tergiversatione ab aerario solvitur, et a creditore percipitur.

3. Monebat Capitulum ante omnia nullum sese verbum facere contra celebratum affrancationis contractum: hac enim in re suo ipsi haeredes fiduciarii iure usi fuerant, eoque magis, quod beneplacitum S. Sedis accesserat. Quin etiam tametsi stricto iure, quod ad hypothecariam inscriptionem attinet, eidem contractui oppositionem facere potuissent, ac possent, nihilominus non ea Capitulo mens erat, hanc ipsis ingerere difficultatem, hoc inextricabile facessere negotium. Id tantummodo pro eo, quo tenentur officio tuendae causae piae, idest ecclesiae, sibi proponebant, ut nullum eidem detrimentum afferri paterentur; adeoque se insistere aiebant, ut alia aequipollenti ratione ecclesiae indemnitati consuleretur.

Perperam vero (subiiciebat) haeredes inquiunt sese omni obligatione solutos, cum schedulas publici debiti pro reditu scutatorum viginti Capitulo legatario tradidissent: ita enim gerentes absque dubitatione minus persolverent, quam quod testator eisdem iniunxisset. Duplicem porro habet partem beneficium, quod in legato relinquendo testator ecclesiae attulit, unam explicitam, aliam implicitam. Explicite porro scutata viginti ecclesiae designaverat. Iamvero si rei substantia penitius inspiciatur, schedularum illarum traditio valorem quidem nominalem scutatorum viginti prae se ferebat, minime vero realem: si enim haeredes eas schedulas venui exponerent, nemo profecto eas pro respondente summa scutatorum viginti reditus in pecunia numerata acceptavisset. Ut igitur ad aequalitatem res adduceretur, nihil aliud in promptu erat, quam ut haeredes tot schedulas traderent, quot, habita ratione valoris realis, scutata quadraginta reipsa exaequarent.

Implicite vero testator hac ratione iuverat legatarium, ut ius percipiendi scutata viginti non alicui haereditatis parti, sed universo assi haereditario infigeret: hinc est, quod, si pars haereditatis deficeret, ius exigendi scutata viginti perstabat in reliquis

haereditatis partibus. At quando schedulas oblatas canonici acceptassent, si forte quacunque demum de causa imminutionem aut iacturam totalem eae paterentur, iam actum esset de causae piae legato, quin ullum subesset imminutionis vel iacturae reparandae remedium. Neque diffiteri quisquam iure poterit, magnum huic difficultati momentum inesse, prouti fusius in appendice mox ad causam praesentem addenda cernere erit. Merito igitur concludebat Capitulum, sese dixisse, quod haeredes per eam schedularum oblationem solvissent minus, quam a testatore ipsis fuerat impositum.

Post haec per se evanescebat ultima exceptio ex superius allato iuris axiomate desumpta: si enim praestatio consensus pro delenda hypotheca haereditati proderat, legatario non solum oberat, sed et in discrimen rem suam coniiciebat, veluti ex his, quae posuimus, luculentissime colligitur.

Animadvertebat extremo loco Capitulum, haud posse se schedulas recipere absque auctoritate S. C.; nam schedularum debiti publici acquisitio non est verum investimentum, ut quotidiana docet experientia, quae fert in huiusmodi casibus, ut ab Apostolica Sede beneplacitum passim imploraretur. Quin imo cum agatur de legato Missarum, neque census impositio, quae alioquin investimento in fundis stabilibus aequivalet, suffragatur, prouti pluries S. C. C. apertissime declaravit, et expresse in *Burgi S. Domnini 30. Aprilis 1729.* ac *Firmana Oner. Miss. 23. Iun. 1764. Vide etiam Ferrar.* verbo *Missae sacrificium art. 2. n. 24.*

4. Post haec sequens proponebatur dubium:

« *An et quomodo SSmo supplicandum sit pro gratia implo-* » *rata in casu?*

Emi Patres in plenario conventu S. Congr. Episcop. et Regular. diei 1. Septembris 1865. rescripserunt: *affirmative pro annuo reditu scutatorum 25. in schedis debiti publici vulgo* Consolidato. –

5. Huiusmodi resolutio (nam finem eius causae silere nolumus) votis non respondit haeredum, qui mox a S. C. deprecati sunt et impetrarunt, ut causa novo examini subiiceretur. In secunda causae propositione, sive quod in prima minus clare, quam debuerant, postulatum suum expressissent, sive quod diffiteri non possent, Capituli difficultatem solido et inexpugnabili fundamento fulciri, (quandoquidem acceptando schedulas debiti pu-

blici scutatorum viginti fructui respondentes Capitulum iure excidebat persequendi alias triginta schedulas, quae cum praedictis viginti coniunctae id temporis totum assem haereditarium scutatorum quinquaginta reditus eiusdem debiti efformabant), iidem oratores declaraverunt, sese in deferendis sacro Ordini precibus nihil aliud voluisse, quam ut Capitulum ad excipiendas schedulas oblatas obligaretur, ac proinde ad consensum suum pro hypothecae deletione praebendum, quin tamen eidem ius auferretur, ut quoties viginti illae schedulae summam viginti scutatorum amplius non repraesentarent, aut quocunque demum casu in discrimen vocarentur, actionem suam contra alias triginta, quae supererant, schedulas, non secus ac in Rescripto Sac. Cong. Conc. diei 17. Iunii 1861., de quo supra mentionem fecimus, experiri valide ac libere possent.

6. Qua remota difficultate, in generalibus comitiis diei 2. Martii currentis anni, proposito dubio: « *An recedendum sit a re-* » *solutione diei 1. Sept. 1865. in casu?* »

Emi Patres rescripserunt:

Recedendum a decisis. et legatum esse praestandum in annuo reditu scutatorum viginti in tesseris debiti publici vulgo – Consolidato – *in favorem pii legati inscribendo, firmo remanente vinculo super residuo reditu scutatorum triginta, data facultate delendi hypothecariam inscriptionem.*

Appendix. Quae regulae servari debeant, quando dubitatur, an is, qui aliquo pio onere gravatus est, fundis imminutis vel plane deperditis, de suis bonis teneatur supplere, necne?

7. Non semel disceptatum est, an debitor alicuius annuae praestationis, sive in pecunia numerata, sive in alio quocumque genere consistat, eam perpetuo redimere queat per unam solutionem, quae universo praestationis annuae capiti aequivaleat. Nullus porro canon in decretalibus, nulla lex in iure Caesareo reperitur, quae acu quaestionem tangat ac dirimat; quamvis in hoc ultimo plures adsint leges, ex quibus ratio erui tuto possit, qua ad eam resolvendam recta sternatur via; huiusmodi sunt *L. Annuam 6., et L. Annua his 20. ff. De annuis legatis.* Doctores communiter hanc agitant controversiam pluribus cumulatis utrimque argumentis. Quoniam vero hi – *de quaestionibus verba*

faciunt, illas autem S. C. dissolvit, – veluti tradit Bened. XIV. *Inst. eccl. 106.*, §. *7.*; hinc doctorum disceptationibus praetermissis, illico ad declarationes S. C. Conc. afferendas gradum facio.

8. Ante omnia praemonendum est, in S. C. Concilii nullum aliud argumentum tam frequenter actitatum esse, et in dies actitari, quam de reductione onerum piorum, ac nominatim celebrationis Missarum. Itaque, ut ordinario fit, nonnullae praestitutae ac firmatae sunt regulae, quae in huiusmodi reductionibus elargiendis servarentur. Enimvero potissima regula ea est, ut inspiciatur, an haeres Missarum onere gravatus de suo supplere teneatur in casu, quo fundi eam in causam relicti vel imminuti vel omnino deperditi fuerint, an vero satis sit eos fundos semel assignasse, ut quis omni obligatione solutus abeat. Quod ut facilius diiudicari possit, exquirendum est, an fundi *taxativo* vel *demonstrativo* modo relicti fuerint; in primo siquidem casu omnino liberatur haeres in omne tempus, minime vero in secundo.

9. At magna controversia suboritur, quando legatum taxative, et quando demonstrative relictum fuisse dicendum sit. In quo canon hic statutus est, ut legatum veluti taxative relictum habeatur – *si fundatores* (verbis utor cuiusdam instructionis a S. Cong. Episcopis transmissae et a Bened. XIV. « de Synod. » dioeces. lib. 13 cap. ultim. num. 32. relatae) legando aut » aliquo modo disponendo, orationem seu dispositionem prius » inchoaverint ab assignatione fundi, et subinde Missarum onus » adiecerint... secus vero, si fundatores orationem seu disposi- » tionem inceperint ab impositione oneris, et subinde fundum » assignaverint, tunc enim onus dicitur demonstrative conce- » ptum, ac fundatorum haeredes per Ampl. Tuam cogendi sunt » ad perpetuam dicti oneris manutentionem, et ad supplendam » summam deficientem tam pro praeterito quam pro futuro. »

Ratio exinde apparet, cur in legatis demonstrative relictis haeres de suo supplere teneatur, secus vero sit, si legatum taxative factum fuerit; nam onus legati adimplendi inhaeret personae haeredis ipsius, quae non deficit, etiamsi res haereditate accepta deficiat: at vero in legatis taxative relictis onus illiusmodi fundo infixum est; si igitur fundus iam traditus defecerit, deficit etiam onus eidem fundo inhaerens.

10. Quid autem, si dubitetur adhuc, an legatum sit demonstrative, an taxative relictum? Tum enimvero retinendum est

demonstrative relictum esse; nam iuxta quamdam resolutionem S. Cong. Conc. *Brixien.* 1. Decemb. 1684. relatam a Bened. XIV. *l. c. n. 33.*, haec regula (de retinendo demonstrative relicto) « procedit, vel quando fuit legata quantitas, vel quando fuit » legata res in genere, vel quando fuit legata res in specie, » quae remanet penes haeredem habentem onus curandi celebra- » tionem, vel quando res legata fuit consignata legatario non » quidem ex praecepto testatoris, sed ex propria voluntate, et » ad effectum tantummodo sese eximendi a praefato onere curan- » di celebrationem. »

11. Non est autem dubitationi locus, quando testator suis haeredibus imperat, ut certam ac determinatam summam exsolvant in Missarum celebratione erogandam, prout accidebat in causa *Affrancationis*, quam superius attulimus. Porro hanc ad rem idem Ben. XIV. *loc. cit.* num. 33. subsequitur: « Si testator man- » dasset, ut legatario tot praestarentur fructus, quot satis essent » ad iniunctam Missarum celebrationem, quantumvis haeres bona » stabilia reditus satis idonei semel tradidisset, attamen supple- » menti onus declinare non posset, si forte subinde contingeret, » ut, ob subsecutam fructuum imminutionem, vel ob augmentum » taxae, traditi fundi reditus imposito oneri sustinendo impares » evaderent, uti subdit Praesul Altovitus in voto, quod ipse con- » scripsit, et Cong. probavit in quadam causa *Lucana*, propo- » sita 16. Decembris 1685. Quando enim testator mandat, con- » signari tot fructus, qui sufficiant pro dicta celebratione, tunc » dicitur legatum genus, et fructus sufficientes sunt in obliga- » tione demonstrative: unde, licet haeres assignet tot bona, quo- » rum reditus de tempore assignationis sufficiant, attamen illis » pereuntibus, vel ad minorem quantitatem redactis, tenetur hae- » res supplere ex reditu aliorum bonorum. »

Hanc utique doctrinam secuta est S. C. Conc. cum passim, tum nominatim in *Romana Reduct. Missar.* 18. Aprilis 1733., in *Brugen.* 15. Mart. 1777. in *Venetiarum* 2. Mart. 1825. *per summar. prec.* et in *Eugubina 1808.*

12. Neque aliter docuit, nec aliam disciplinam receptam habuit S. Rota, veluti videre est in *Romana Ann. praestat.* 16. Ianuarii 1702. *coram Caprara*, et *Romana Supplementi et applicat.* 11. Iunii 1723. *coram Aldovrando.* Iuvat facti speciem enarrare causae Romanae *coram Caprara.* Fulvia Sfortia die 29.

Martii 1598. per privatam syngraphaṁ promiserat exsolvere scutata 100 annua perpetua monialibus excalceatis S. Iosephi, addita conditione, ut puellam in monasterium hae reciperent, adeoque eam in causam Fulvia omnia bona sua obligaverat. Morti proxima haeredibus suis praescripsit, ut cum aliis legatariis, tum monialibus excalceatis partem cuiusdam pinguissimi census, (in quo tota consistebat haereditas), quae pars fructui scutatorum 100. responderet, assignare possent, et ita omni se obligatione liberarent. At vero monialium oeconomus huiusmodi assignationi mordicus restitit; quapropter res in iudicium deducta in possessorio primum causa disceptata est apud S. Rotam *coram Mazanedo:* at s. Ordo sua sententia oeconomo actori manutentionem dandam esse pronunciavit pro scutatis centum super omnibus bonis Fulviae. Uno ferme saeculo post coram Caprara die 19. Ian. 1702. dubium disceptatum est: « An mona» sterium S. Ioseph teneretur de praeterito, vel teneretur de » praesenti recipere assignamentum usque ab anno 1611. obla» tum loco annuae praestationis scut. 100? » Et S. Rota respondit: *Nec de praeterito, nec de praesenti teneri moniales recipere assignamentum.*

Quoniam vero haeredes inter alia, quae afferebant, argumenta, oblationem realem scutatorum 100 iudicialiter monialibus sese exhibuisse subiiciebant, adeoque propugnabant, ea peracta, ad nihil aliud amplius sese teneri, S. Rota in decisione praedicta §. 13. ita docebat: « Quae omnia iterum atque iterum aequa » lance aequilibrata non fuerunt reperta tanti ponderis, ut obli» gare potuerint moniales ad receptionem assignamenti nec de » praeterito nec de praesenti. Ad quem effectum Domini prae» mittebant, quod cum promissio Fulviae sub hypotheca omnium » suorum bonorum tam eius vita durante, quam post obitum et » pro futuris perpetuis temporibus concepta legatur in mera et » pura quantitate annua scutat. 100, nulla habita taxatione, » nec etiam demonstratione ad certum fundum, seu illius an» nuum reditum, utique non potuit aliter expleri, quam in pe» cunia numerata ex fructibus omnium bonorum haereditariorum, » seu particularibus eius speciebus ad *Text. L. Annuam* §. *6. ff.* » *de const. pecun.* iuxta communem distinctionem primae ab al» tera promissionis forma *per Text. L. Annuam 7. v. Modestinus.* » *Annua* §. *Attia. de leg. 33.*, quod ad rem nostram explicat

» Paul. de Castru *Cons. 43. n. 3. lib. 2....* secus vero si relictum fuit in genere absque ulla designatione particulari bonorum, quia tunc, quod non perciperetur ex uno praedio, teneretur ex aliis solvere, concludens volentem assignare unum » praedium ad hoc, ut liberetur a debito quantitatis, non esse » audiendum...

» Nec obstat, quod Fulvia non habeat alios effectus, nisi » dictum censum cum duca Zagaroli, et tamquam liberalis donatrix potuerit monasterio facere assignationem de reditu dato » dicti census *ex L. Si quis argentum Cod. de donat.* cum aliis » allegatis; quia quidquid sit de inexistentia aliorum bonorum » nullatenus iustificata, ad effectum satis est, quod obligatio » Fulviae constet de pura quantitate scutat. 100 annuatim monasterio solvenda, et quidem in genere, nulla facta mentione » bonorum aut effectuum particularium, ex quorum reditibus sit » eidem satisfaciendum. Unde non applicatur textus et iura in » contrarium adducta, utpote loquentia de donationibus seu legatis annuis relictis cum expressione, quod satisfiant, ex reditibus certorum bonorum, seu ex bonis ipsius testatoris, ut » probant iura mox allegata.

Quapropter, fundis deperditis, vel imminutis, non solum ex S. C. Conc. declarationibus, sed etiam ex decisionibus S. Rotae Romanae dicendus est liberari haeres, si testator eidem legem dixerit sive facultatem fecerit tradendi ecclesiae certos fundos iam determinatos aut determinandos; nequaquam vero idem liberari, si testator obligationem legati adimplendi personae haeredis iniunxerit, et universam haereditatem ea ipsa obligatione gravatam explicite vel implicite voluerit.

LXIII.

Clementis VIII. Constit. Quaecumque, *in qua traduntur regulae servandae in erectione et aggregatione confraternitatum.*

(Ad pag. 477. vol. II.)

Summarium. 1. Exordium, in quo enumerantur incommoda, quae in erectionibus vel aggregationibus confraternitatum accidere solent. – 2. Itaque Pontifex decernit, ut una tantum confraternitas eiusdem instituti ac generis in quolibet loco ab iis, quibus hoc iuris est, sive Romae, sive alibi institui permittatur cum consensu et testimonialibus Ordinarii

localis. – 3. Eadem forma servetur in aggregatione sodalitatum. – 4. Huic sodalitati erigendae seu aggregandae communicari possunt privilegia et indulta Ordini, vel archisodalitati erigenti vel aggreganti directe concessa, minime vero indirecte per communicationem competentia. – 5. Statuta sodalitatum ab Episcopo examinari et approbari debent, atque etiam progressu temporis variari possunt. – 6. Erigentes vel aggregantes certam formulam observare debent a Pontifice approbatam. – 7. Sodalitates autem suis privilegiis et indulgentiis uti debent iuxta eamdem formulam, ac nonnisi praevia recognitione Ordinarii. – 8. Confraternitates eleemosynas et alia charitatis subsidia excipere debent iuxta formam per Ordinarium praescribendam. – 9. Confessarii sodalitatum sint ab Episcopo approbati, et si sint Regulares approbationem etiam prae se ferant Superioris regularis. Hi confessarii absolvere possunt confratres iuxta privilegia eisdem concessa, dummodo sint in usu, nec Conc. Trid., ceterisque Pontificum Constitutionibus adversentur. Recensentur casus, a quibus absolvere nequeunt confessarii sodalitatum. – 10. Pontifex insuper imperat, ut infra annum in Europa, intra biennium extra Europam novam erectionem, vel aggregationem cunctae iam erectae per orbem sodalitates impetrare teneantur sub poena nullitatis. – 11. Facultates pro erectione vel aggregatione gratis dantur. – 12. Erectiones et aggregationes nullae et irritae sint, si fiant contra huius Constitutionis praescriptum. – 13. Sequuntur clausulae derogatoriae.

1. Quaecumque a Sede Apostolica ad promovendam Christifidelium salutem aliquando concessa sunt, etsi ea maturo consilio, magnaque prudentia et cautione sancita et decreta sint, tamen cum Romanus Pontifex de animarum salute sollicitus progressu temporis animadvertit, sensim aliquos abusus in eisdem statutis et decretis observandis provenire, debet pro sui pastoralis officii munere illis opportuna ratione occurrere, et quantum cum Domino potest, adhibito salutari remedio providere. Cum itaque a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et forsan etiam a Nobis nonnullis regularibus Ordinibus, Religionibus et Institutis, ac etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in alma Urbe Nostra, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis, facultas erigendi et instituendi in eorum et aliis ecclesiis et collegiis, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates et Congregationes in eadem Urbe et in aliis locis existentes, eisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective

communicandi attributa fuerit, ac nulla certa forma, vel ratio praescripta sit, quae in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus faciendis servari debeat; propterea sive negligentia Superiorum Ordinum, Religionum et Institutorum, vel officialium Archiconfraternitatum et Congregationum erigentium, instituentium, aggregantium et communicantium, quae Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum, indulgentiarum aliarumque gratiarum praedictarum fiunt, non servant formam in huiusmodi erectionibus, institutionibus, aggregationibus et communicationibus servari debitam, neque praescribunt modum, quo privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta consequi debeant, seu ipsarum Confraternitatum et Congregationum incuria, quae non inquirunt ea, quae praestare oportet, ut illa consequantur, nonnullae pravae consuetudines irrepserunt, multaque incommoda inde provenerunt.

2. Quibus Nos pro commisso Nobis Apostolicae sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac Nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus atque statuimus, ut in posterum tam huius almae Urbis Nostrae, quam aliarum civitatum et locorum totius christiani orbis regularium Ordinum et Religionum et Institutorum, quibus in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis Confraternitates saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est, necnon etiam Archiconfraternitatum et Congregationum cuiusvis nationis, nominis et instituti illae sint, et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis, tam saecularium, quam ut praefertur, quorumcumque etiam mendicantium Ordinum, Religionum, Institutorum regularium, quamvis tam Ordinaria quam Apostolica auctoritate erectae ac institutae existant, seu alias quovis modo introductae reperiantur, quibus alias Confraternitates et Congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta elargiendi et communicandi potestas a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, vel a Nobis et Apostolica Sede attributa fuit, magistri, priores, praepositi, rectores, gubernatores, praeceptores, primicerii, praelati, custodes, guardiani, praefecti, administratores et alii officiales, seu Superiores quovis

modo nuncupati, regularium siquidem Ordinum, Religionum et Institutorum unam tantum Confraternitatem et Congregationem de consensu tamen Ordinarii loci, et cum literis eius testimonialibus, quibus Confraternitatis et Congregationis erigendae et instituendae pietas et christianae charitatis officia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere.

3. Ceterarum vero Archiconfraternitatum et Congregationum in singulis civitatibus, oppidis, vel locis unam etiam Confraternitatem et Congregationem dumtaxat, quae Apostolica vel Ordinaria auctoritate prius erecta ac nulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi eiusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu et cum eius literis testimonialibus, quibus eiusdem Confraternitatis et Congregationis aggregandae institutum, pietas et christianae charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adiungere et aggregare possint.

4. Huic vero Confraternitati et Congregationi erigendae, instituendae, seu aggregandae ea tantum privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta, quae ipsi Ordini, Religioni, Instituto erigenti, instituenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati et Congregationi aggreganti nominatim et in specie, non autem quae per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse et in specie communicare valeant.

5. Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum et Institutorum erigentium et instituentium ac communicantium, seu Archiconfraternitatum et Congregationum aggregantium edita Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes privilegiorum et aliorum praedictorum fiunt, impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

6. Insuper volumus et ordinamus, ut praedicti Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, necnon Archiconfraternitates et Congregationes aggregantes certam

erigendi, instituendi, aggregandi et communicandi formulam a Nobis novissime approbatam diligenter observent, secundum quam privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus aggregantibus nominatim et expresse, non autem per communicationem, neque ad instar, ut supra, concessa ipsis Confraternitatibus et Congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

7. Quibus Confraternitates et Congregationes eiusdem dumtaxat nationis et nominis, Ordinis, Religionis et Instituti, Archiconfraternitatis et Congregationis, cui aggregantur, tam hactenus aggregatae, quam in posterum aggregandae utantur, potiantur, gaudeant, ita ut dictarum Confraternitatum et Congregationum erectarum, institutarum et aggregatarum, ac quibus communicationes factae sunt, ministri et officiales et alii supradicti privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta huiusmodi, praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de eiusdem ecclesiae Capitulo, illa iuxta Sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

8. Quibus etiam ministris, officialibus et aliis praedictis eleemosynas et alia oblata christianae charitatis subsidia, iuxta modum et formam per Ordinarium loci praescribendam, remotis tamen mensis, pelvibus et capsis, quae in ecclesiis et oratoriis dictarum Confraternitatum et Congregationum publice ad hoc exponi consueverunt, excipiendi potestas detur. Atque hoc ipsum Ordines, Religiones, Instituta erigentia, instituentia ac communicantia, seu Archiconfraternitates et Congregationes aggregantes, tam almae Urbis Nostrae, quam aliarum civitatum et locorum quorumcumque iuxta modum a Vicario Urbis et ab Ordinariis locorum respective praescribendum, observare teneantur. Eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutorum erigentium, instituentium et communicantium, ac Archiconfraternitatum et Congregationum aggregantium, quam Confraternitatum et Congregationum erigendarum, instituendarum et aggregandarum, et quibus communicationes fient, aut in alios earum pios usus arbitrio

eiusdem Vicarii Nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respective fideliter exponere atque erogare procurent, ut omnes intelligant, coelestes Ecclesiae thesauros, non quaestus, aut alicuius lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri.

9. Praeterea volumus, ut confessarii, qui vigore privilegiorum ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis erigentibus, instituentibus et communicantibus, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus aggregantibus concessorum ac Confraternitatibus et Congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt et poterunt, saeculares scilicet in alma Urbe a praedicto Nostro Vicario, extra Urbem vero a locorum Ordinariis, Regulares autem non solum a praedicto Vicario Nostro et a locorum Ordinariis respective, sed etiam a suis Superioribus approbati sint, utque confratres confitentes a criminibus, casibus et censuris, iuxta dictorum privilegiorum (quatenus tamen sint in usu, et sacris Concilii Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum et Nostris Constitutionibus non adversentur, nec revocata, aut sub aliquibus revocationibus comprehensa sint) formam et tenorem dumtaxat absolvere valeant. Decernimus insuper, ut iidem confessarii praedictos confratres cuiuscumque gradus, status, conditionis et praeeminentiae, etiam si speciali nota dignae fuerint, a casibus contentis in literis, quae die Coenae Domini legi consueverunt, necnon violationis immunitatis et libertatis ecclesiasticae, et clausurae monasteriorum monialium, si videlicet sine necessaria et urgenti causa, ac sine Superiorum licentia, vel etiam si causa et licentia concessa abutentes praedicta monasteria ingressi fuerint, necnon violentae manus iniectionis in clericum et singularis certaminis, seu duelli, ac ab aliis etiam casibus tam a Nobis, quam a praedicto Nostro in Urbe Vicario et locorum Ordinariis respective reservatis et pro tempore reservandis et etiam a quavis excommunicatione ab homine lata absolvere et super irregularitatibus, tam ex aliquo defectu provenientibus, quam occasione delicti contractis, cum aliquo dispensare praetextu dictorum privilegiorum nullo modo possint.

10. Demum statuimus et pariter ordinamus, ut Confraternitates et Congregationes ubivis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae et institutae, et quibus communicationes prae-

dictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis Ordinibus et Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus et Congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatae, ab eisdem respective Ordinibus, Religionibus, Institutis, Archiconfraternitatibus et Congregationibus novas erectionum, institutionum, communicationum et aggregationum literas, iuxta formam a Nobis novissime approbatam infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis praesentium in Romana Curia faciendae computandos impetrare teneantur: alioquin dicto tempore elapso, erectiones, institutiones et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum, indulgentiarum, aliarumque spiritualium gratiarum et indultorum, et aggregationes illarum vigore ipsis concessae nullius sint roboris et momenti ac revocatae et abolitae censeantur eo ipso.

11. Erectionum autem, institutionum, communicationum et aggregationum, tam hactenus factarum, quam deinceps faciendarum literae ab ipsis Ordinibus, Religionibus, Institutis, seu Archiconfraternitatibus et Congregationibus gratis omnino, ac nulla prorsus mercede, etiam a sponte dantibus accepta, expediri et concedi debeant.

12. Quod si Ministri aliqui, Superiores, vel Officiales quocumque nomine nuncupati Ordinum, Religionum, Institutorum seu Archiconfraternitatum, Congregationum et Confraternitatum huiusmodi, quavis auctoritate, vel privilegio et officio fungantur et praefulgeant, contra praemissa in aliquo venire, vel facere praesumpserint, erectiones, institutiones et communicationes privilegiorum, indulgentiarum, facultatum, spiritualiumque gratiarum et indultorum, aliorumque praemissorum concessiones necnon aggregationes per ipsos faciendae seu renovandae nullius sint roboris et momenti, et quilibet eorumdem Ministrorum, Superiorum, Officialium et aliorum praedictorum privationis officiorum, quae obtinet, ac inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam, quae ab alio, quam a Nobis, vel Romano Pontifice pro tempore existente remitti non possit, incurrat eo ipso.

13. Decernentes praesentes Literas perpetuo validas et efficaces existere et fore ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, inviolabiliter observari debere, sicque Nostrae mentis et intentionis existere, et ita et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Audi-

tores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7. Decembris 1604., Pontificatus Nostri anno XIII.

LXIV.

S. C. Indulg. decretum super institutionibus et aggregationibus a Regularibus et Archiconfraternitatibus faciendis.

Urbis et Orbis. Ad religionis et pietatis incrementum, ad mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus regularibus, Religionibus et Institutis, sive etiam Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi, necnon etiam sibi aggregandi ac indulgentias, privilegia aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset, quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica* data die 7. Decembris 1604. modum praecepit servandum in his peragendis, formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit, indulgentias, privilegia etc., tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea, quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam, quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ex laudata Constitutione.

Compertum tamen est, progressu temporis non ab omnibus adhibitam fuisse hanc formulam, neque privilegia, neque indul-

gentias adamussim communicatas, quemadmodum Pontifex praeceperat.

Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione, ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V. indulgentiarum moderationi praepositae latum die 6. Martii 1608. titulo expensarum permissum fuisset instituentibus vel aggregantibus scutatum unum aureum recipere, et quidem sub poena, inter cetera, nullitatis, prout clarius innotescit ex eodem decreto, attamen cognitum similiter est, neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institutiones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enuntiatam aut decretum superius expressum, vel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit, ut in posterum formula in huiusmodi erectionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII., cuius Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab Eadem Sanctitate Sua approbatis, cuius quidem formulae exemplar iis praesertim, quorum interest, communicandum in Actis Sacrae Congregationis servari praecepit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula, ac etiam typis impressus elenchus indulgentiarum et privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc., non obstante decreto S. C. Indicis et altero decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum decretum Indicis diei 22. Ianuarii 1858.

Atque Sanctitas Sua hoc decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, etiam specialis memoriae dignae.

Datum Romae die 8. Ianuarii 1861.

F. Card. Asquinius, Praef.

A. Colombo, *Secret.*

LXV.

S. C. Indulg. decretum de Sodalitatum rectoribus.

Urbis et Orbis. Cum plures Confraternitates, Sodalitates, piae Uniones etc. Christifidelium canonice erectae reperiantur, in quibus loci Ordinarius designaverit parochum, qui ratione muneris, quod exercet, et pro tempore, quo munere fungitur, sit constitutus Confraternitatis, Sodalitatis etc. rector, moderator, seu quocumque titulo appelletur, proindeque facultate polleat ea gerendi, quae ad rectores spectant, et etiam, quatenus in respectiva Sodalitate id rectori tribuatur, fideles adscribendi, habitus benedicendi et scapularia illaque imponendi, coronas etc., pariter benedicendi iuxta facultates ad quamlibet Sodalitatem spectantes pro similibus impositionibus, benedictionibus etc., atque dubium exortum sit circa huiusmodi designationem parochi libere et auctoritate propria peractam ab Ordinariis, facta fuit de his relatio SSmo D. N. Pio PP. IX., in Audientia diei 8. Ianuarii 1861.; et Sanctitas Sua, derogando omnibus hucusque circa hanc designationem quavis auctoritate et quovis modo aliter praescriptis, benigne sanavit, quatenus opus sit, tales designationes parochorum, necnon acta per ipsos tamquam rectores et adscriptos per eosdem parochos, quatenus rectoris munus, quo funguntur in respectiva Sodalitate, fideles adscribendi sit, valide adscriptos habendos esse declaravit, necnon benedictiones coronarum, habituum, scapularium eorumque impositiones etc., ab eisdem factas, prout rectoribus in respectiva Sodalitate tribuitur, ratas habendas esse concessit. Quoad futurum vero Eadem Sanctitas Sua benigne impertiri dignata est, ut Ordinarii locorum libere designare possint, si ita in Domino expedire iudicaverint, parochos pro tempore in rectores, moderatores etc. Confraternitatum etc. Non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus.

Datum Romae die 8. Ianuarii 1861.

F. Card. Asquinius, Praef.
A. Colombo, *Secret.*

LXVI.

S. C. Indulg. decretum, quo declaratur decretum Ad religionis *d. d. 8. Ianuarii 1861.*

Urbis et Orbis. Per decretum huius Sacr. Congregationis Indulgentiarum editum die 8. Ianuarii 1861. confirmata et pristinae observantiae restituta Constitutione Clementis VIII. incip. *Quaecumque* data sub die 7. Decembris 1604. super institutionibus vel aggregationibus Confraternitatum, inter cetera cautum fuit, ut in formula aggregationum, quae concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII., huius eiusdem Constitutionis saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis.

Nunc vero Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum Regularium, tum rectoribus Archiconfraternitatum, ut huiusmodi literae aggregationum commodius exaratae respectivis Confraternitatibus expediantur, in Audientia habita ab Emo Card. Praefecto die 19. Octobris 1866. benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a literis aggregationum dari possit, ita tamen, ut simul cum praefatis literis adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis et in suo robore permanentibus reliquis omnibus, quae tam in laudata Constitutione Clementis VIII., quam in praefato decreto praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 19. Octobris 1866.

Ant. M. Card. Panebianco, Praef.
Phil. Can. Cossa, *Substitutus*

LXVII.

Formula servanda saltem in substantialibus (1) *a Superioribus regularibus Religionum etc. in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis indulgentiis et gratiis spiritualibus, quas a a S. Sede Apostolica obtinuerunt.*

N. N. Ordinis N. Generalis (2).

Religio Nostra cum inter alia privilegia, quibus a Sede Apostolica decorata est, facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et indulgentias communicandi, in huiusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes, fore, ut ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in ecclesia N. loci N., dioecesis N., de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem literis patentibus Nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo talis alia similis in ipso vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes Nostras literas erigimus et instituimus, illisque et pro tempore existentibus utriusque sexus confratribus elargimur et communicamus indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his literis tradimus diligenter asservandum (3). Quibus omnibus indulgen-

---

(1) Dicitur *in substantialibus*, quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini, Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia, quae solent in huiusmodi literis exponi.

(2) Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet iuxta facultates et privilegia uniuscuiusque Ordinis etc.

(3) Potest etiam inseri, si lubet, elenchus. In utroque tamen casu elenchus iam ab Ordinario loci recognitus continere debet distincte et expresse, non sub generalibus verbis, indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

Ad tollendam tamen omnem dubitationem, dum per *Ordinarium loci* dicitur recognosci debere elenchum, intelligitur, ut si semel ab Ordinario loci, ubi auctori-

tiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque confratres potiri et gaudere posse decernimus iuxta ea, quae fel. mem. Clemens PP. VIII. in Constitutione, quae incipit *Quaecumque*, data sub die 7. Decembris 1604. praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX. approbatas, ut ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 8. Ianuarii 1861., et cuius Constitutionis praecipua capita cum dictis variationibus subnectuntur (1), scilicet: 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium quam Regularium: 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum literis testimonialibus eiusdem: 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet: 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint: 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur: 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam: 7. Quod literae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque mere eleemosynae accepta expediri et concedi possint, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta, pro singula institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat: 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregatio-

---

tas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc., quae habet facultatem erigendi etc. moratur, recognitus fuerit elenchus, non indigeat nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae etc. etiam alibi, cum necessarium sit, ut semper idem sit elenchus, salvis additionibus, quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.

(1) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda sunt.

nes et communicationes privilegiorum, et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis officiorum, quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum testimonium has literas fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii Nostri muniri. Datum etc.

LXVIII.

Formula servanda in substantialibus (1) *ab Archiconfraternitatibus et Congregationibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.*

Dilectis Nobis in Christo confratribus Societatis N. in ecclesia N. auctoritate N. canonice erectae salutem in Domino sempiternam.

Nos, qui iuxta officii Nostri debitum fidelium salutem, pietatisque ac religionis progressum procurare debemus, libenter Nostrae Archiconfraternitati alias eiusdem instituti Confraternitates adiungimus et aggregamus, illisque sic aggregatis indulgentias, facultates et indulta iuxta facultatem Nobis a Summis Pontificibus concessam impertimur. Qua de re cum D. N., eiusdem Confraternitatis Procurator, aggregationem huiusmodi et indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos, Protector, Prior et Custodes praedicti totam ipsam Archiconfraternitatem repraesentantes, Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII. incipien. *Quaecumque* die 7. Decembris 1604. super huiusmodi aggregationibus et coelestis Ecclesiae thesauri communicatione editae una cum variationibus approbatis a SSmo D. N. Pio PP. IX. per decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 8. Ianuarii 1861., his Nostris literis solo Dei amore ac pietatis religionisque christianae augendae zelo ducti Confraternitatem praedictam canonice, ut superius, erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac literis testimonialibus, quibus eius institutum, pietas ac reli-

(1) Dicitur *in substantialibus* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant; addendo etiam, si lubet, quae respiciunt originem, praestantiam etc. Societatis aggregantis.

gio commendatur, Nostrae Archiconfraternitati (dummodo per Nos similis gratia prius alteri in dicto loco N. concessa, et tempore huiusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam Nobis concessam adiungimus et aggregamus, atque illi eiusque confratribus indulgentias et spirituales gratias Nostrae Archiconfraternitati Literis Pontificiis nominatim, expresse et praecise concessas largimur et communicamus iuxta tenorem descriptionis contentae in elencho, quem rite recognitum per Ordinarium loci una cum his literis separatim tradimus (1).

Quibus omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas uti, potiri et gaudere possit iuxta ea, quae s. m. Clemens VIII. in supra citata Constitutione praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX. approbatas, cuius quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet (2), scilicet: 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in ecclesiis tam saecularium, quam Regularium. 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii et cum literis testimonialibus eiusdem. 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur privilegia et indulgentiae Archiconfraternitati instituenti vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea, quibus per privilegium communicationis gaudet. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod literae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae accepta expediri et concedi possint,

---

(1) Potest etiam inseri, si lubet, elenchus; in utroque tamen casu elenchus debet ab Ordinario loci, ubi Archiconfraternitas existit, recognosci, et continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis indulgentias, gratias etc., quibus Societas aggregans fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet.

(2) Si lubet, inseri etiam potest integra Constitutio, addendo in fine variationes a SSmo D. N. approbatas. Ceterum vel integra Constitutio vel saltem indicata hic capita, quae substantiam continent, cum variationibus praedictis omnino inserenda sunt.

et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, cordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem, quae non excedat summam scutatorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta, pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione recipere liceat. 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes privilegiorum et indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque officialium privationis officiorum, quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has literas Nostras exinde fieri et per Nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis iussimus et fecimus appensione muniri (1).

Datum Romae ex loco solito Nostrae Congregationis anno..., Indictione..., die..., mense..., Pontificatus..., praesentibus...

LXIX.

Pauli V. Breve Quae salubriter, *quo declaratur et extenditur Constitutio Clementis VIII. circa formam communicandi indulgentias.*

(Ad pag. 478. vol. I.)

Quae salubriter a Praedecessoribus Nostris, Romanis Pontificibus constituta sunt, ut ab omnibus, praesertim in Alma Urbe Nostra inviolabiliter observentur, ex officii Nostri debito providere tenemur, prout in Domino conspicimus expedire.

1. Olim siquidem fel. rec. Clemens PP. VIII. Praedecessor Noster, volens nonnullas pravas consuetudines tollere, quae irrepserant in usu facultatum a Sede Apostolica concessarum nonnullis regularibus Ordinibus, Religionibus et Institutis, ac etiam

(1) Hic indicantur nomina eorum, qui proprias subscriptiones etiam per sigillum apponere debent, quique varii sunt iuxta peculiaria statuta.

Christifidelium saecularium Archiconfraternitatibus et Congregationibus diversarum nationum, nominum et institutorum, tam in praedicta Alma Urbe Nostra, quam in aliis civitatibus et locis christiani orbis institutis erigendi et instituendi, necnon etiam sibi aggregandi Confraternitates et Congregationes, eisque privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta sibi concessa respective communicandi, perpetua valitura Constitutione, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica,* facultates huiusmodi moderando, indulgentias aliasque spirituales gratias communicandas et formulam easdem Confraternitates et Congregationes erigendi, instituendi, aggregandi et respective communicandi praescripsit, et alia constituit, voluit et ordinavit, prout in Literis in huiusmodi forma Brevis sub Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die 7. Decembris 1604. Pontificatus sui anno 13. desuper expeditis plenius continetur.

2. Cum autem, sicut accepimus, dilecti filii, Capitulum et canonici Basilicae Lateranensis de eadem Urbe diversas ubique constitutas ecclesias vel capellas, seu altaria vel oratoria eidem Basilicae submittere, subiicere, annectere, incorporare ac in Basilicae praedictae membrum recipere atque in submissione, subiectione, annexione, incorporatione et receptione huiusmodi eisdem, necnon aliis similiter ecclesiis, capellis, altaribus, seu oratoriis et piis locis aedificatis et constructis in solo Lateranensi, varias indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias, indulta et privilegia concedere soleant, dicta Constitutionis forma, eo quod in ea se non comprehendi praetendant, minime servata,

3. Propterea Nos, volentes, ut Constitutio praedicta tam ab eisdem Lateranensis ecclesiae Capitulo et canonicis, quam ab aliis quibuscumque ius et facultatem communicandi huiusmodi indulgentias habentibus, ut par est, sine discrimine in posterum observetur, Constitutionem et Literas praedictas Clementis Praedecessoris cum suis clausulis et decretis ad Basilicae Lateranensis et aliarum Basilicarum et ecclesiarum quarumcumque Capitula, canonicos et quasvis alias personas similes facultates habentes illisque utentes, ad effectum videlicet, ut ipsa Capitula et canonici ac personae nullas in posterum indulgentias communicare possint, nisi praedictae Constitutionis forma servata et eas solummodo, quae a Nobis illis praescribentur, auctoritate Apostolica tenore praesentium extendimus et ab ipsis, perinde ac si

eorum expressa mentio in dictis Literis facta esset, perpetuis futuris temporibus, sub poenis in eisdem Literis contentis, inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

4. Non obstantibus praemissis et omnibus illis, quae idem Clemens Praedecessor dictis in Literis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, quod indulgentiae, peccatorum remissiones, gratiae et privilegia per dictum Capitulum et canonicos Lateranenses vigore indultorum eis a Sede praedicta concessorum quibusvis ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis et locis piis hactenus concessa et communicata in suo robore permaneant.....

Datum Romae apud S. Petrum 3. Novemb. 1610., Pontificatus Nostri anno VI.

LXX.

De lectione librorum prohibitorum (1).

(Ad pag. 591. vol. II.)

Excommunicationi latae sententiae speciali modo Pontifici Romano reservatae subiacent: « omnes et singuli scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicae libros eorumdem apostatarum et haereticorum haeresim propugnantes, nec non libros cuiusvis auctoris per Apostolicas Literas nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes, et quomodolibet defendentes. » (Constit. *Apostolicae Sedis*).

1. Pravis libris nos prohibemur iure tum naturali, tum ecclesiastico (2): nempe iure naturali propter periculum, iure ecclesiastico propter praesumptionem periculi; ideo illo omnibus libris prohibemur, ex quibus legenti periculum imminet, etsi nemo eos proscripserit; hoc his tantum, quos Ecclesia proscripsit, etsi nullum omnino legenti immineat periculum; quod velim animadverti (3). Heic de prohibitione iure ecclesiastico introducta.

---

(1) Ex Rmi D. *d'Annibali* Commentariis in Constit. *Apostolicae Sedis*, edit. 3. Reate 1880., ex typis Salv. Trinchi.

(2) Alex. VII. Bulla *Speculatores*. Et nedum ad S. Sedis, sed et ad Ordinarii ius et officium pertinet noxios libros proscribere (S. Congr. Indicis de mand. Sanctissimi 24. Aug. 1864.); immo et iure civili prohibentur, nempe antiquo Gentilium iure (L. 4. §. 1. D. *Famil. erciscund.*); nunc alia itur ad astra!

(3) Croix VII. 375. S. Alphons. VII. 291. Porro typis inventis, Conc. Lateran. sub Leone X. vetuit libros edi *sine licentia potestatis ecclesiasticae*. Prohibitionem hanc vel non receptam (Suarez 23. 7.), vel antiquatam instauravit primum Conc. Trident. quoad libros de rebus sacris sine nomine auctoris (Trid. Sess. IV.

2. Itaque Ecclesia prohibet, quamvis in *Indice* non recenseantur, (praeter *omnes* libros haeresiarcharum in odium auctoris) (1) 1°. omnes libros haereticorum: nempe eos, qui de *Religione tractant ex professo,* OMNINO; alios, donec ab Episcopo et Inquisitoribus examinati et approbati fuerint (2), si, ut puto, *Ethicen, aliasque huiusmodi morales disciplinas* (non aliud) *respiciunt* (3). 2°. Libros obscoenos ex professo, vel magicos a quocumque conscriptos aut anonimos (4). 3°. Carbonariorum catechismos, statuta, codices et eos libros, in quibus ab ipsis describuntur, quae in eorum conventibus geri solent; vel ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos sive manuscriptos (5). Ceteri omnes, nisi damnati fuerint, speciatim prohibiti haud intelliguntur: ut ecce libri Catholicorum contra fidem et bonos mores (6), et libri sine nomine auctorum, *qui pravam doctrinam tradunt* (7).

De editione sacr. libr.) tum regula 10. eiusdem Concilii quoad alios. Quam iterum obsoletam restituit *in Ditione Pontificia* Urbanus VIII. per Decret. S. U. I. 3. Octobris 1625. Sed Pius IX. fel. rec. die 2. Iunii 1848. eam ad *illos dumtaxat* libros coercuit, *qui moralis aut religiosi argumenti sunt.*

(1) C. 3. §. Ceterum D. 15. Sed veterum haeresiarcharum libros, v. c. Origenis, Tertulliani, hodie legere non prohibemur, quippe quae ex uno capite obsoletos errores ex altero multa utilia continent et scitu necessaria (Lugo *De Fide* XXI. 29.). Ceterum libros accipimus etiam librorum versiones, quocumque idiomate factas (Ex Decr. Clem. VIII. et S. U. Inq. 4. Mart. 1628.).

(2) Ind. Trident. Reg. 2. Haereticos vero intelligimus sine ulla distinctione (Suar. *De Fide* 20. 2. 11.); adeoque sive *ex secta*, ut ecce Lutheranos, Calvinistas; sive *ex doctrina*, eos nempe, qui eiusmodi contra fidem errores docent, ut nulla praesumi possit ignorantia probabilis (Ex Sanch. *Dec.* II. 10. 24.). *De religione*, id est de his, quae ad religionem pertinent quoquo modo, ut puta de rebus moralibus, canonicis, liturgicis, de historia ecclesiastica (Laym. *De Fide* XV. 3., Croix etc. 331.), et *ex professo* tractant, id est, non obiter, sed ex instituto (S. Alphonsus VII. 283.).

(3) Ex Encycl. Pii IX. 2. Iun. 1848. Vide not. 3. pag. 560.

(4) Trid. Regul. 7. 9.

(5) Pius VII. Constit. *Ecclesiam* §. 11. 13. Sept. 1821.

(6) Trid. Regul. 7. 9. S. Alphons. VII. 289. Etsi non constet, utrum ab haereticis scripti sint, an a Catholicis; ab his scriptos fuisse tenendum est, quippe hoc est favorabilius.

(7) Laym. et S. Alphons. l. c. Nam, si, utrum tradant pravam doctrinam, an minus, in aestimatione cuiusque relinquitur, tot erunt sententiae quot capita. Olim quidem vetabantur omnes (cit. Reg. 10. et Bulla *Speculatores*), sed haec prohibitio exsolevit. Praeterea in Ind. Trid. Reg. 6. cavetur, *libri vulgari idiomate de controversiis inter Catholicos nostri temporis disserentes non passim permittantur, sed idem de iis servetur, quod de Bibliis vulgari lingua scriptis statutum est* Sed hoc, hodie, ni fallor, vix locum habet. His addendi sunt libri Hebraeorum Magazor et Talmud, quos sub poena excommunicationis damnavit Clemens VIII.

3. Libro prohibito, nefas est illum legere, retinere, defendere, imprimere. Legere est oculis perspicere et intelligere, quae sunt scripta (1): proinde nec is peccat, qui legentem audit (2); nec qui legit ipse, si ignorat linguam, qua scriptus est liber (3); et, si eam calleat, non peccat graviter, si parum quid legerit, idest paginam, nisi in doctrinam erroneam inciderit (4). At vero, libro prohibito, non ea solum pars, quae causam prohibitioni dedit, sed totus liber prohibetur legi, et praeterea quaecumque pars libri esse intelligitur, ut epistola dedicatoria, prologus, index (5). Nihilominus cessat prohibitio, si eam partem, quae prohibitioni causam dedit, detraxeris vel deleveris vel induxeris, ut amplius legi nequeat; dumne liber proscriptus fuerit, quia tractat de religione ex professo, vel in odium auctoris (6). At vero non excusatur a lethali, qui legit librum confutandi eius causa, nisi forte graviter urgeat confutatio (7).

4. *Retinere* heic intelligimus seu proprietatem libri seu possessionem, adeoque sive suum penes alium, sive alienum penes se (8). Nec caret lethali eo, quod forte ipse legere nescit, et cavet, ne ad aliorum manus perveniat (9). Itaque tradendus est Inquisitoribus aut Ordinario (10); vel comburendus (11). Ceterum si tibi

---

Constit. *Cum Hebraeorum* 28. Febr. 1593. Porro exstat triplex librorum prohibitorum Index sive catalogus: I. Tridentinus editus a PP. in Conc. Trident. delectis: II. Clementinus seu Tridentinus in Appendice, an. 1594. editus iussu Clem. VII. Utriusque tres erant classes, unde distributio librorum prohibitorum 1. 2. et 3. classis. Quae cum minus commoda videretur, Alex. VII. Bulla *Speculatores* 5. Martii 1644. novum, III. Indicem, ordine alphabetico digestum, confici iussit, in quem duo superiores coaluerunt, quo utimur.

(1) L. 1. D. *De his, quae in test. delent:* ibiq. Glos. v. *intelligi.*

(2) Sanch. Dec. II. 10. 48.; quamvis iussu suo legat (Lugo *De Fide* XXI. 75. Vide S. Alphons. *Homo Apost.* XIX. 52.).

(3) Suar. *De Fide* 20. 2. 18.; aut memoriter recitat (Sanch. n. 47.).

(4) S. Alphons. VIII. 283. 284.

(5) Suar. n. 9. Sanch. nn. 30. 35.: Lugo n. 60. Quid si opus in plures tomos sit distributum, num omnes sint prohibiti, si error, in uno eorum dumtaxat continetur? Negat Sanchez, affirmat Suar. – Lugo n. 57., si operis argumentum divisionem recipit, ut historia, cum Sanchez; sin minus, cum Suar. sentit.

(6) S. Alphons. VII. 283. H. A. XIX. 57. 15.

(7) S. Alphons. VII. 283.

(8) Suar. n. 21. Sanch. n. 52.

(9) Suar. ibid. Croix VII. 349.

(10) Ind. Trid. Reg. 10. Vel saltem ei, cui licet illum retinere; sed huic ea lege, ne repetat, quoad legendi licentiam obtinuerit (S. Alphons. VII. 298.).

(11) Salm. X. IV. 74.; Nec sufficit librum in folia discerpere obvolvendis medicinis, salsamentis, etc. (Sanch. n. 53. Croix 349.).

certum sit, eum tradere, vacas lethali si distuleris biduum aut triduum (1), vel ulterius, forte dum exspectas tradendi opportunitatem, vel petitam legendi veniam; dumne haec diu exspectanda sit (2). *Defendere* librum accipimus sive codicem, ne intereat, veluti si prohibeas tradi igni vel Ordinario (3); sive doctrinam, damnatam scilicet (4).

5. Demum *imprimere* est typis edere. Huc autem pertinent quotquot *ad impressionem proxime cooperantur* (5); adeoque 1°. qui huic rei quamcumque proximam operam praestant, ut ecce qui typos componunt, atramento eos tingunt, chartas madefaciunt, etc.; 2°. qui eorum operas velut conducit, id est typographus, eoque magis editor, qui utrorumque operas conducere intelligitur; et auctor libri, si huius *cura* editur liber. Non item corrector, nec qui editionis impensas faciunt, quippe remotam operam praestant (6). Sed hos tenet charitas: quae et eum tenet, qui chartam aut typos sciens vendit, nisi eum excuset incommodum grave.

6. At vero librorum appellatione hodie vulgo hi tantum continentur, qui typis eduntur, et aliquo volumine constant. Quare, ex primo, non immerito quidam negant manuscripta prohibitione contineri, nisi aliud in lege cautum sit nominatim (7). Ex altero vero recepta sententia est, librorum significatione haud venire scripta, typis quidem edita, sed molis adeo exiguae, ut magis aliquo alio nomine, velut *elegiae, epistolae, orationis,* quam librorum, nuncupari soleant (8); adeoque nec ephemerides, quae

---

(1) Sanch. n. 56. Laym. De Fide XV. 7. Etsi id nolueras primum, sed postea, mutata voluntate, tradideris, vacas censura; etsi gravi non vaces (Croix n. 348.).

(2) Sanch. n. 55. S. Alphons. VI. 295.

(3) S. Alphons. VII. 285.: Seu vi adhibita eripias, seu fraude, mendaciis, etc. (Suar. 20. 2. 25.).

(4) Suar. loc. cit. Quomodolibet; seu verbis seu scripto; seu palam seu clam, vel etiam disputandi causa; immo etsi laudaveris eruditionem, elegantiam, etc. si laus in libri approbationem redundet (Lugo XX, 94.).

(5) Sanch. n. 57.

(6) Suar. *De Fide* 21. 24. Sanch. l. c. Bonac. Lugo *De Fide* XXI. 90. aliique passim. Sed corrector tenetur, quia legit.

(7) Croix VII. 339. Azor. Spor. Sylv. Viva, Rodriq., Barbos. etc. Viva Alex. VII. 45. 10. Sane ipsaemet regulae Tridentinae (Reg. 10.), imo ipsa Trid. Syn. Sess. IV. *De edit.* etc. et Bulla Pii VII. (§. 34. 8.) ea a libris typis editis manifeste secernunt.

(8) Sanch. *Dec. II.* 10. 29. Suar. 24. 7. 3. Laym. Bonac. Lugo 21. 33. S. Alphons. Lib. 1. App. III. Cap. 5. §. 7. et *Praxis Confess.* Cap. 19. §. 61. Ad haec vetitum est legere aut retinere versiones SS. Scripturarum *vulgari* idiomate, exceptis his, quae fuerint ab Apostolica Sede approbatae, aut editae cum notis desumptis ex

communior sententia esse videtur (1) : eas nempe quae, compactis fasciculis periodice, uti aiunt, eduntur (2).

SS. Ecclesiae Patribus, vel ex doctis catholicisque viris (S. U. I. 7. Ianuar. 1836.). Olim vetiti quoque erant libri editi sine auctoris nomine ex Reg. 10. Ind. Trid. sed haec prohibitio fere obsolevit.

(1) Bouvier. De I. Praec., Cap. I. Art. I. Cap. IV., Gury Comp. Theol. Mor. II. 981. – Romae 1862., Scavini II. 830., Avanzini Acta pp. 135. 303., A Varceno h. a. Sane vel ipse Pius IX. eas a libris plane distinxit in Encycl. 2. Iun. 1848., qua in omni *ephemeridum* et *librorum* genere illos dumtaxat sine praevia censura edi prohibuit, qui moralis aut religiosi argumenti essent. Aliud putant sapientissimi scriptores *Periodici La Civiltà Cattolica* (Ser. VIII. Vol. VI. pag. 648.), ea cum primis ratione ducti, quod *ephemerides* in eo a *libris* distant, quia illae ex singulis plagulis seu foliis in dies singulos, hi ex pluribus compactis plagulis identidem editis, in libros coalescunt : ratio brevis et urgens. Eis accedit cl. Formisa. Et Comm. Pat. I. §. 82., post privatam eiusdem S. P. Pii IX. Allocut. 1. Nov. 1874., qua verba faciens de Diario *La Capitale* edixit : « Aliis vicibus haec folia a Nobis prohibita » sunt, et hac occasione talem prohibitionem renovamus; aut, ut melius dicamus, con- » firmamus antiquas prohibitiones una cum censuris adnexis. » Quaenam sunt (quaerunt clariss. Commentatores) prohibitiones huiusmodi, nisi illae, quae continentur regulis Tridentinis? Sed vix credibile puto, eos, qui has regulas condiderunt, de Diariis cogitasse, quorum illuc aetatis vix unum, et oppido exiguum, in tota Europa coeperat Venetiis apparere. Utcumque, utrum Summus Pontifex eas prohibitiones confirmaverit quoad omnes ephemerides, vel quoad eas tantum, quae triennio ante legi vetuerat, et Romae tantum, ex illa Allocutione profecto non liquet. Ceterum illud *prorsus indubitatum est*, ephemerides, quarum lectio periculosa est, seu fidei seu moribus, ipso naturali iure vetitas esse sub gravi. Quod post literas SSmi D. N. Pii Papae IX. datas Emo Card. Urbis Vicario, sub die 30. Iulii 1871., certo certius est. Quaestio igitur haec tantum potest esse : 1. quaenam ephemerides contineant pericula huiusmodi ; 2. quinam eas legendo huiusmodi periculis committant sese. Et quoad primum indubitanter dixerim, esse eas omnes, quae conscribuntur ab his, qui se liberales esse venditant. Nonne omnes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius? Quisnam est, qui non loquatur grandia, et putet, quod possit mutare tempora et leges? Si vel unum inveneris, qui vel unum ex damnatis in Syllabo erroribus repudiaverit, hunc legere fas esto. Quare non ab his tantum abstinendum est, qui ponunt in coelo os suum, et palam loquuntur perversa, ut abducant discipulos post se, sed in primis ab his (quippe sunt periculosiores), qui se moderatos iactantes, sagittant in obscuro rectos corde : quorum doctrina ingreditur blande, sed novissime mordebit ut coluber : et quasi regulus venena diffundet. Quoad alterum duo meminisse oportet ; pravos libros nunquam non infecisse viros, doctos etiam et pios (Vide S. Alphons. Lib. I. App. III. de prohib. libror.) : et neminem suae virtuti confidere posse. Itaque dixerim, iuvenes (cereos in vitium flecti) ab hac lectione omnino prohibendos esse, sive laicos, sive clericos : item aetate provectos, quibus non est circa pectus virtutis robur et aes triplex, quique non pollent scientia Sanctorum. Qui autem se tales esse existimant, hi, si stare velint, inconsulto confessario (quia de se quemque aestimare aleae plenissimum opus est) haec, me auctore, non legant. Interim videant patresfamilias, magistri, heri, institutores etc., qui filios, discipulos, famulos etc. hisce lectionibus non prohibent, institores tabernarum, ubi haec diaria prostant, quas apud districtissimum iudicem rationes aliquando sint reddituri !

(2) P. M. a Novara *Comp. Theol., Bruxell.* 1872. p. 647.

7. Adhuc de peccato; excommunicationem hi solum incurrunt, qui *scienter legunt*, etc. libros 1°. alicuius *apostatae* seu *haeretici*, qui haeresim *propugnet*. Duobus igitur opus est. Primo, ut liber sit alicuius apostatae vel haeretici; nempe vel ex secta, vel damnati ob haeresim (1): nam si Romanus Pontifex damnare voluisset libros cuiusvis haeretici, etiam materialis tantum, satis fuisset, librum haeresim propugnare; deinde, ut haeresim *propugnet:* propugnare vero est, si quid opinor, haeresis patrocinium suscipere data opera, et quasi pro viribus; quocirca excommunicatio eum non tenet, qui legit librum apostatae vel haeretici, si haeresim non propugnet, etsi eam contineat, immo et defendat, sed obiter, paucis et quasi aliud agens (2). 2°. Aut librum prohibitum (nec refert a quo sit scriptus, quidve contineat) per Literas Apostolicas, dummodo prohibitus sit *nominatim*, idest expresso operis titulo (3). Quisquis igitur sive illos, sive hos libros scienter legit aut retinet, aut defendit, corrigit (nam legit), im-

(1) Pignat. Duard. S. Alphons. VII. 283., quamquam aliud suadere videatur verbum illud *eorumdem*. Dixi *vel*, quamvis in Constit. nostra legatur *et;* quia contrarium vix credibile est: *nec* est novum in iure, coniuncta interdum accipere pro disiunctis.

(2) Cl. Ballerini ad Gury II. 972. Cl. Formisa et a Varceno h. a. Eoque minus hodie excommunicationem incurrit, qui legit libros haereticorum vel haeresiarcharum damnatos ob suspicionem haeresis (Contr. Reg. 10. Trid.) vel de religione tractantes (contra Bull. Coen. §. 4.).

(3) Cl. Ballerini ad Gury II. 972. Comm. Patav. II. 78. Porro *Literae Apostolicae* nuncupantur, quae prodeunt sub Romani Pontificis nomine, ideo dicuntur Literae Papae, vel Romani Pontificis (Totus tit. *De crim. fals.*). Expediri solent in forma *Bullae* et in forma *Brevis*. Bullae, ut obiter sciamus, dicuntur, quae prodeunt a Cancellaria Apostolica; Brevia, quae a Secretaria Brevium prodeunt; illae sub plumbo expediuntur, hae sub annulo Piscatoris: in illis nomen Romani Pontificis scribitur a capite versiculi, quo Bulla inchoatur, his verbis *Leo Episcopus, servus servorum Dei;* in istis ponitur in medio sic: *Leo PP. XIII.* Ceterum nihil obest, quominus Literae Apost. qua alia Romanus Pontifex maluerit forma scribi possint, dummodo ipsius nomine datae fuerint. Ergo huc non pertinent libri per quosvis alios prohibiti, ut puta per Sacras Urbis Congregationes (Cf. Bonac. D. I. Q. 15. P. 1. n. 19.): vel Concilia etiam oecumenica. Si qui autem damnati fuerint per Literas Apostolicas ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* sine ulla censura, vel sub poena suspensionis vel excommunicationis non reservatae, qui eos legit, nullam censuram, incurrit; etenim Constit. nostra censuras contraxit, non produxit, et cum huiusmodi seu suspensiones omisit, seu excommunicationes inter reservatas non recensuit, tacite eas sustulit. Si qui autem deinceps per Literas Apostolicas prohibentur; si quidem sine ulla excommunicatione, huc non pertinebunt: sin sub excommunicatione quidem, sed nulla mentione reservationis facta, re melius perpensa, puto hanc semper tacite inesse ex hoc artic. Constitutionis nostrae, quippe alias ex hac parte inutilis foret.

primit, incurrit excommunicationem (1). *Scienter*, ideo eum excusat ignorantia sive prohibitionis sive censurae (2) et nedum crassa et supina, quod nemo dubitat (3), sed et affectata (4) etsi lethali non caret. Verum *scienter* legere et is dicendus est, qui librum prohibitum esse scit ex fama publica vel ex viro fide digno (5). His addendi sunt, qui sacrae Scripturae libros imprimunt, vel imprimi faciunt sine licentia Ordinarii.

LXXI.

Pii PP. IX. Encyclicae Literae Quanta cura *diei 8. Dec. 1864., quibus damnantur plurimi errores hoc aevo misere undique disseminati.*

(Ad pag. 595. vol. II.)

Summarium. 1. Summi Pontifices haeresum ac pravarum doctrinarum propagationi perpetuo et constanter obstiterunt. – 2. Idipsum praestitit SS. D. N. a primo sui Pontificatus exordio ad haec usque tempora. – 3. Quod cum satis non esse compererit, suam iterum attollit vocem ad alios, qui increscunt, errores proscribendos atque damnandos. – 4. Notantur ac reprobantur speciatim errores quidam super *Naturalismo*. – 5. Item super *Rationalismo*. – 6. Item super *Communismo et Socialismo*. – 7. Item denique super relationibus civilis societatis cum Ecclesia. – 8. Omnes pravae opiniones ac doctrinae memoratae proscribuntur. – 9. Episcoporum totius catholici orbis zelus et concordia cum Summo Pontifice laudatur, et magis magisque accenditur, ut suadeatur fidelibus ex cultu catholicae religionis omne in civilem societatem redundare bonum ac felicitatem. – 10. Eisdem inculcatur, ut populum ad preces Deo fundendas inflamment; eumque in finem indulgentia plenaria in forma iubilaei largiter impertitur. – 11. B. M. V., Apostolorum Petri et Pauli,

---

(1) V. Croix VI. 356. Dixi: qui legit, aut retinet etc., etenim adverbium *scienter* ad omnes referendum puto, ut in Bulla Coenae, et non ad solos legentes, quia lectio praecipuum crimen est, cetera velut accessoria. An et typographus et editor, sive auctor ipse, sive alius ediderit? Nostri, ex Bulla Coenae passim affirmant (Vide Sanchez Dec. II. 10. 57. Bonac. Disp. I. Quaest. 2. P. 4. n. 19.). Et, si agatur de libris haeresim propugnantibus, verissimum est, nam si non quasi editores vel typographi, at profecto quasi haeretici vel haereticorum *fautores* tenentur; et nedum ipsi, sed et hi, qui praestant editionis impensas, immo et hi, qui typos, qui atramentum, qui chartam vendunt, si in eum finem vendant, ut haeresi faveant (V. Croix l. c.).

(2) Suar. *De Fide* XX. 2. 17.

(3) S. Alphons. VII. 47.

(4) Sanch. *Decalog.* II. 10. 38. Duard. Bonac. To. III. Disp. II. Qu. 2. P. 4. n. 9. Pala Tract. IV. Disp. 2. P. 10. §. 2. Lugo *De Fide* XXI. 103. Croix VII. 34. 345.

(5) S. Alphons. VII. 296.

aliorumque coelitum deprecationem apud Deum interponi mandatur. Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque Apostolicis Literis SSmi D. N. Pii Papae IX. – 12. Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus. – 13. Rationalismus moderatus. – 14. Indifferentismus ac Latitudinarismus. – 15. Socialismus, Communismus, societates clandestinae, societates biblicae et societates clerico-liberales. – 16. Errores de Ecclesia eiusque iuribus. – 17. Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata. – 18. Errores de ethica naturali et christiana. – 19. Errores de matrimonio christiano. – 20. Errores de civili Romani Pontificis principatu.

1. Quanta cura ac pastorali vigilantia Romani Pontifices Praedecessores Nostri exsequentes demandatum sibi ab ipso Christo Domino in persona Beatissimi Petri Apostolorum principis officium munusque pascendi agnos et oves nunquam intermiserint universum Dominicum gregem sedulo enutrire verbis fidei, ac salutari doctrina imbuere, eumque ab venenatis pascuis arcere, omnibus quidem ac vobis praesertim compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres. Et sane iidem Decessores Nostri augustae catholicae religionis, veritatis ac iustitiae assertores et vindices, de animarum salute maxime solliciti, nihil potius unquam habuere, quam sapientissimis suis Literis et Constitutionibus detegere et damnare omnes haereses et errores, qui divinae fidei Nostrae, catholicae Ecclesiae doctrinae, morum honestati, ac sempiternae hominum saluti adversi, graves frequenter excitarunt tempestates et christianam civilemque rempublicam miserandum in modum funestarunt. Quocirca iidem Decessores Nostri Apostolica fortitudine continenter obstiterunt nefariis iniquorum hominum molitionibus, qui despumantes, tamquam fluctus feri maris, confusiones suas, ac libertatem promittentes, cum servi sint corruptionis, fallacibus suis opinionibus et perniciosissimis scriptis catholicae religionis civilisque societatis fundamenta convellere, omnemque virtutem ac iustitiam de medio tollere, omniumque animos mentesque depravare, et incautos imperitamque praesertim iuventutem a recta morum disciplina avertere, eamque miserabiliter corrumpere, in erroris laqueos inducere, ac tandem ab Ecclesiae catholicae sinu avellere conati sunt.

2. Iam vero, uti vobis, venerabiles Fratres, apprime notum est, Nos vixdum arcano divinae Providentiae consilio nullis certe

Nostris meritis ad hanc Petri cathedram evecti fuimus, cum videremus summo animi Nostri dolore horribilem sane procellam tot pravis opinionibus excitatam et gravissima, ac nunquam satis lugenda damna, quae in christianum populum ex tot erroribus redundant, pro Apostolici Nostri ministerii officio illustria Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes Nostram extulimus vocem, ac pluribus in vulgus editis encyclicis Epistolis et Allocutionibus in Consistorio habitis, aliisque Apostolicis Literis praecipuos tristissimae Nostrae aetatis errores damnavimus, eximiamque Vestram episcopalem vigilantiam excitavimus et universos catholicae Ecclesiae Nobis carissimos filios etiam atque etiam monuimus et exhortati sumus, ut tam dirae contagia pestis omnino horrerent et devitarent. Ac praesertim Nostra prima encyclica Epistola die 9. Novembris anno 1846. Vobis scripta, binisque Allocutionibus, quarum altera die 9. Decembris anno 1854., altera 9. Iun. anno 1862. in Consistorio a Nobis habita fuit, monstruosa opinionum portenta damnavimus, quae hac potissimum aetate cum maximo animarum damno, et civilis ipsius societatis detrimento dominantur, quaeque non solum catholicae Ecclesiae, eiusque salutari doctrinae ac venerandis iuribus, verum etiam sempiternae naturali legi a Deo in omnium cordibus insculptae, rectaeque rationi maxime adversantur, et ex quibus alii prope omnes originem habent errores.

3. Etsi autem haud omiserimus potissimos huiusmodi errores saepe proscribere et reprobare, tamen catholicae Ecclesiae causa, animarumque salus Nobis divinitus commissa, atque ipsius humanae societatis bonum omnino postulant, ut iterum pastoralem sollicitudinem excitemus ad alias pravas profligandas opiniones, quae ex eisdem erroribus, veluti ex fontibus erumpunt. Quae falsae ac perversae opiniones eo magis detestandae sunt, quod eo potissimum spectant, ut impediatur et amoveatur salutaris illa vis, quam catholica Ecclesia ex divini sui auctoris institutione et mandato libere exercere debet usque ad consummationem saeculi, non minus erga singulos homines, quam erga nationes, populos summosque eorum principes, utque de medio tollatur mutua illa inter sacerdotium et imperium consiliorum societas et concordia, quae rei cum sacrae tum civili fausta semper exstitit ac salutaris (1).

(1) Gregor. XVI. Epist. encycl. *Mirari* 15. Aug. 1832.

4. Etenim probe noscitis, Venerabiles Fratres, hoc tempore non paucos reperiri, qui civili consortio impium absurdumque *naturalismi*, uti vocant, principium applicantes audent docere, « optimam societatis publicae rationem civilemque progressum » omnino requirere, ut humana societas constituatur et guber- » netur, nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non exi- » steret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones » discrimine. » Atque contra sacrarum Literarum, Ecclesiae sanctorumque Patrum doctrinam, asserere non dubitant, « optimam » esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur of- » ficium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, » nisi quatenus pax publica postulet. » Ex qua omnino falsa socialis regiminis idea haud timent erroneam illam fovere opinionem catholicae Ecclesiae, animarumque saluti maxime exitialem a rec. memor. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro *deliramentum* appellatam (1), nimirum « libertatem conscientiae et » cultuum esse proprium cuiuscumque hominis ius, quod lege » proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate; » et ius civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ec- » clesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conce- » ptus quoscumque sive voce, sive typis, sive alia ratione palam » publiceque manifestare ac declarare valeant. » Dum vero id temere affirmant, haud cogitant et considerant, quod *libertatem perditionis* (2) praedicant, et quod, « si humanis persuasionibus » semper disceptare sit liberum, nunquam deesse poterunt, qui » veritati audeant resultare et de humanae sapientiae loquacitate » confidere, cum hanc nocentissimam vanitatem quantum debeat » fides et sapientia christiana vitare, ex ipsa Domini nostri Iesu » Christi institutione cognoscat (3). »

5. Et quoniam, ubi a civili societate fuit amota religio, ac repudiata divinae revelationis doctrina et auctoritas, vel ipsa germana iustitiae humanique iuris notio tenebris obscuratur et amittitur, atque in verae iustitiae legitimique iuris locum materialis substituitur vis, inde liquet, cur nonnulli, certissimis sanae rationis principiis penitus neglectis posthabitisque, audeant con-

(1) Eadem encycl. *Mirari*.
(2) S. August. epist. 105. ad 166.
(3) S. Leo epist. 164. al. 133. §. 2. edit. Ball.

clamare, « voluntatem populi publica, quam dicunt, opinione, » vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab » omni divino humanoque iure solutam; et in ordine politico » facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim iuris » habere. » Verum ecquis non videt, planeque sentit, hominum societatem religionis ac verae iustitiae vinculis solutam nullum aliud profecto propositum habere posse, nisi scopum comparandi cumulandique opes, nullamque aliam in suis actionibus legem sequi, nisi indomitam animi cupiditatem inserviendi propriis voluptatibus et commodis? Eapropter huiusmodi homines acerbo sane odio insectantur religiosas familias, quamvis de re christiana, civili, ac literaria summopere meritas, et blaterant, easdem nullam habere legitimam existendi rationem, atque ita haereticorum commentis plaudunt. Nam, ut sapientissime rec. mem. Pius VI. Decessor Noster docebat, « Regularium abolitio laedit statum pu- » blicae professionis consiliorum evangelicorum, laedit vivendi » rationem in Ecclesia commendatam tamquam Apostolicae do- » ctrinae consentaneam, laedit ipsos insignes fundatores, quos » super altaribus veneramur, qui nonnisi a Deo inspirati eas con- » stituerunt societates (1). » Atque etiam impie pronuntiant, auferendam esse civibus et Ecclesiae facultatem, « qua eleemo- » synas christianae charitatis causa palam erogare valeant, » ac de medio tollendam legem, « qua certis aliquibus diebus opera » servilia propter Dei cultum prohibentur, » fallacissime practexentes, commemoratam facultatem et legem optimae publicae oeconomiae principiis obsistere. Neque contenti amovere religionem a publica societate, volunt religionem ipsam a privatis etiam arcere familiis.

6. Etenim funestissimum *communismi* et *socialismi* docentes ac profitentes errorem asserunt, « societatem domesticam seu fa- » miliam totam suae existentiae rationem a iure dumtaxat civili » mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere » iura omnia parentum in filios, cum primis vero ius institutionis » educationisque curandae. » Quibus impiis opinionibus machinationibusque in id praecipue intendunt fallacissimi isti homines, ut salutifera catholicae Ecclesiae doctrina ac vis a iuventutis institutione et educatione prorsus eliminetur, ac teneri flexibilesque

(1) Epist. ad Card. de la Rochefoucault 10. Martii 1791.

iuvenum animi perniciosis quibusque erroribus vitiisque misere inficiantur ac depraventur. Siquidem omnes, qui rem tum sacram, tum publicam perturbare, ac rectum societatis ordinem evertere, et iura omnia divina et humana delere sunt conati, omnia nefaria sua consilia, studia et operam in improvidam praesertim iuventutem decipiendam ac depravandam, ut supra innuimus, semper contulerunt, omnemque spem in ipsius iuventutis corruptela collocarunt. Quocirca nunquam cessant utrumque clerum, ex quo, veluti certissima historiae monumenta splendide testantur, tot magna in christianam, civilem et literariam rempublicam commoda redundarunt, quibuscumque infandis modis divexare et edicere, ipsum clerum, « utpote vero utilique scientiae et civili- » tatis progressui inimicum, ab omni iuventutis instituendae edu- » candaeque cura et officio esse amovendum. »

7. At vero alii instaurantes prava ac toties damnata novatorum commenta, insigni impudentia audent Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis supremam auctoritatem a Christo Domino ei tributam civilis auctoritatis arbitrio subiicere, et omnia eiusdem Ecclesiae et Sedis iura denegare circa ea, quae ad exteriorem ordinem pertinent. Namque ipsos minime pudet affirmare, « Ec- » clesiae leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur » a civili potestate; acta et decreta Romanorum Pontificum ad » religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et appro- » batione, vel minimum assensu potestatis civilis; Constitutiones » Apostolicas (1), quibus damnantur clandestinae societates, sive » in eis exigatur, sive non exigatur iuramentum de secreto ser- » vando, earumque asseclae et fautores anathemate mulctantur, » nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi eiusmodi ag- » gregationes tolerantur a civili gubernio; excommunicationem a » Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos, qui » iura possessionesque Ecclesiae invadunt et usurpant, niti con- » fusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mun- » danum dumtaxat bonum prosequendum; Ecclesiam nihil de- » bere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias » in ordine ad usum rerum temporalium; Ecclesiae ius non com- » petere violatores legum suarum poenis temporalibus coercendi;

---

(1) Clemens XII. *In eminenti*, Bened. XIV. *Providas Romanorum*, Pii VII. *Ecclesiam*, Leo XII. *Quo graviora*.

» conforme esse sacrae theologiae, iurisque publici principiis » bonorum proprietatem, quae ab ecclesiis, a familiis religiosis, » aliisque locis piis possidentur, civili gubernio asserere et vin- » dicare. » Neque erubescunt palam publiceque profiteri haere- ticorum effatum et principium, ex quo tot perversae oriuntur sententiae, atque errores. Dictitant enim, « Ecclesiasticam pote- » statem non esse iure divino distinctam et independentem a » potestate civili, neque eiusmodi distinctionem et independen- » tiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur » essentialia iura potestatis civilis. » Atque silentio praeterire non possumus eorum audaciam, qui sanam non sustinentes doctrinam contendunt, « illis Apostolicae Sedis iudiciis et decretis, quorum » obiectum ad bonum generale Ecclesiae, eiusdemque iura, ac » disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque do- » gmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari » absque peccato et absque ulla catholicae professionis iactura. » Quod quidem quantopere adversetur catholico dogmati plenae potestatis Romano Pontifici ab ipso Christo Domino divinitus col- latae universalem pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, nemo est, qui non clare aperteque videat et intelligat.

8. In tanta igitur depravatarum opinionum perversitate, Nos Apostolici Nostri officii probe memores, ac de sanctissima Nostra religione, de sana doctrina et animarum salute Nobis divinitus commissa, ac de ipsius humanae societatis bono maxime solliciti, Apostolicam Nostram vocem iterum extollere existimavimas. Ita- que omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Literis commemoratas auctoritate Nostra Apostolica repro- bamus, proscribimus atque damnamus, easque ab omnibus ca- tholicae Ecclesiae filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque da- mnatas omnino haberi volumus et mandamus.

Ac praeter ea, optime scitis, Venerabiles Fratres, hisce tem- poribus omnis veritatis iustitiaeque osores, et acerrimos Nostrae religionis hostes per pestiferos libros, libellos et ephemerides toto terrarum orbe dispersas populis illudentes, ac malitiose men- tientes alias impias quasque disseminare doctrinas. Neque igno- ratis, hac etiam nostra aetate nonnullos reperiri, qui satanae spiritu permoti et incitati eo impietatis devenerunt, ut domina- torem Dominum Nostrum Iesum Christum negare, eiusque divi- nitatem scelerata procacitate oppugnare non paveant. Hic vero

haud possumus, quin maximis meritisque laudibus vos efferamus, Venerabiles Fratres, qui episcopalem Vestram vocem contra tantam impietatem omni zelo attollere minime omisistis.

9. Itaque hisce Nostris Literis Vos iterum amantissime alloquimur, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati summo Nobis inter maximas Nostras acerbitates solatio, laetitiae et consolationi estis propter egregiam, qua praestatis, religionem, pietatem, ac propter mirum illum amorem, fidem et observantiam, qua Nobis et huic Apostolicae Sedi concordissimis animis obstricti gravissimum episcopale Vestrum ministerium strenue ac sedulo implere contenditis. Etenim ab eximio Vestro pastorali zelo exspectamus, ut assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei et confortati in gratia Domini Nostri Iesu Christi velitis ingeminatis studiis quotidie magis prospicere, ut fideles curae vestrae concrediti « ab» stineant ab herbis noxiis, quas Iesus Christus non colit, quia » non sunt plantatio Patris (1). » Atque eisdem fidelibus inculcare nunquam desinite, omnem veram felicitatem in homines ex augusta Nostra religione, eiusque doctrina et exercitio redundare, ac beatum esse populum, cuius Dominus Deus eius (2). Docete, « catholicae fidei fundamento regna subsistere (3), et nihil tam » mortiferum, tam praeceps ad casum, tam expositum ad omnia » pericula, si hoc solum Nobis putantes posse sufficere, quod li» berum arbitrium, cum nasceremur, accepimus, ultra iam a » Domino nihil quaeramus, idest, auctoris Nostri obliti, eius po» tentiam, ut Nos ostendamus liberos, abiuremus » (4). Atque etiam ne omittatis docere « regiam potestatem non ad solum mundi » regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam (5) » et nihil esse, quod civitatum principibus et regibus maiori fru» ctui gloriaeque esse possit, quam si, ut sapientissimus fortis» simusque alter Praedecessor Noster S. Felix Zenoni Imperatori » perscribebat, Ecclesiam catholicam..... sinant uti legibus suis, » nec libertati eius quemquam permittant obsistere..... Certum » est enim, hoc rebus suis esse salutare, ut, cum de causis Dei

(1) S. Ignatius M. ad Philadelph. 3.
(2) Ps. 143.
(3) S. Coelest. epist. 22. ad Synod. Ephes. apud Coust. p. 1200.
(4) S. Innocent. I. epist. 29. ad Episc. Conc. Carthag. apud Coust. pag. 891.
(5) S. Leo epist. 156. al. 125.

» agatur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus » Christi studeant subdere, non praeferre (1). »

10. Sed si semper, Venerabiles Fratres, nunc potissimum in tantis Ecclesiae, civilisque societatis calamitatibus, in tanta adversariorum contra rem catholicam et hanc Apostolicam Sedem conspiratione tantaque errorum congerie, necesse omnino est, ut adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Quocirca omnium fidelium pietatem excitare existimavimus, ut una Nobiscum Vobisque clementissimum luminum et misericordiarum Patrem ferventissimis humillimisque precibus sine intermissione orent et obsecrent, et in plenitudine fidei semper confugiant ad Dominum Nostrum Iesum Christum, qui redemit Nos Deo in Sanguine suo, eiusque dulcissimum Cor flagrantissimae erga Nos charitatis victimam enixe iugiterque exorent, ut amoris sui vinculis omnia ad seipsum trahat, utque omnes homines sanctissimo suo amore inflammati secundum Cor eius ambulent digne, Deo per omnia placentes, in omni bono opere fructificantes. Cum autem sine dubio gratiores sint Deo hominum preces, si animis ab omni labe puris ad ipsum accedant, idcirco coelestes Ecclesiae thesauros dispensationi Nostrae commissos Christifidelibus Apostolica liberalitate reserare censuimus, ut iidem fideles ad veram pietatem vehementius incensi, ac per Poenitentiae Sacramentum a peccatorum maculis expiati, fidentius suas preces ad Deum effundant, eiusque misericordiam et gratiam consequantur.

Hisce igitur Literis auctoritate Nostra Apostolica omnibus et singulis utriusque sexus catholici orbis fidelibus plenariam indulgentiam ad instar iubilaei concedimus intra unius tantum mensis spatium usque ad totum futurum annum 1865. et non ultra, a Vobis, Venerabiles Fratres, aliisque legitimis locorum Ordinariis statuendum; eodem prorsus modo et forma, qua ab initio supremi Nostri Pontificatus concessimus per Apostolicas Nostras Literas in forma Brevis die 20. mensis Novembris anno 1846. datas, et ad universum episcopalem Vestrum Ordinem missas, quarum initium *Arcano divinae providentiae consilio*, et cum omnibus eisdem facultatibus, quae per ipsas Literas a Nobis datae fuerunt. Volumus tamen, ut ea omnia serventur, quae in commemoratis

(1) Pius VII. epist. encycl. *Diu satis* 15. Maii 1800.

Literis praescripta sunt, et ea excipiantur, quae excepta esse declaravimus. Atque id concedimus, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione ac derogatione dignis. Ut autem omnis dubitatio et difficultas amoveatur, earumdem Literarum exemplar ad Vos perferri iussimus.

11. « Rogemus, Venerabiles Fratres, de intimo corde et de » tota mente misericordiam Dei, quia et ipse addidit dicens: » misericordiam autem meam non dispergam ab eis. Petamus et » accipiemus, et si accipiendi mora et tarditas fuerit, quoniam » graviter offendimus, pulsemus, quia et pulsanti aperietur, si » modo pulsent ostium preces, gemitus et lacrymae nostrae, qui- » bus insistere et immorari oportet, et si sit unanimis oratio... » unusquisque oret Deum non pro se tantum, sed pro omnibus » fratribus, sicut Dominus orare nos docuit (1).» Quo vero facilius Deus Nostris, Vestrisque et omnium fidelium precibus votisque annuat, cum omni fiducia deprecatricem apud eum adhibeamus Immaculatam sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae cunctas haereses interemit in universo mundo, quaeque omnium Nostrum amantissima Mater « tota suavis est... ac plena miseri- » cordiae... omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam » praebet, omnium necessitates amplissimo quodam miseratur » affectu (2), » atque utpote Regina adstans a dextris Unigeniti Filii sui D. N. Iesu Christi in vestitu deaurato, circumamicta varietate, nihil est, quod ab eo impetrare non valeat. Suffragia quoque petamus Beatissimi Petri Apostolorum Principis, et Coapostoli eius Pauli omniumque Sanctorum coelitum, qui facti iam amici Dei pervenerunt ad coelestia regna, et coronati possident palmam, ac de sua immortalitate securi, de Nostra sunt salute solliciti.

Denique coelestium omnium donorum copiam Vobis a Deo ex animo adprecantes, singularis Nostrae in Vos charitatis pignus Apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus curae Vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 8. Decembris anno 1864. decimo a dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis Mariae. Pontificatus Nostri anno XIX.

---

(1) S. Cyprian. epist. 11.

(2) S. Bernard. serm. de duodecim praerogativis B. M. V. ex verbis Apocalyp.

Epistola Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Iacobi Antonelli a Negotiis publicis Sanctitatis Suae ad omnes catholicos Antistites.

Illmẽ ac Rmẽ Domine. Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus de animarum salute, ac de sana doctrina maxime sollicitus, vel ab ipso sui Pontificatus exordio nunquam destitit suis Epistolis encyclicis et Allocutionibus in Consistorio habitis, et Apostolicis aliis Literis in vulgus editis, praecipuos huius praesertim infelicissimae aetatis errores ac falsas doctrinas proscribere et damnare. Cum autem forte evenire potuerit, ut omnia haec Pontificia Acta ad singulos Ordinarios minime pervenerint, idcirco idem Summus Pontifex voluit, ut eorumdem errorum Syllàbus ad omnes universi catholici orbis Sacrorum Antistites mittendus conficeretur, quo iidem Antistites prae oculis habere possint omnes errores ac perniciosas doctrinas, quae ab ipso reprobatae ac proscriptae sunt. Mihi vero in mandatis dedit, ut hunc Syllabum typis editum ad Te, Illmẽ ac Rmẽ Domine, perferendum curarem hac occasione ac tempore, quo idem Pontifex Maximus pro summa sua de catholicae Ecclesiae, ac totius Dominici gregis sibi divinitus commissi incolumitate et bono sollicitudine, aliam encyclicam Epistolam ad cunctos catholicos sacrorum Antistites scribendam censuit. Eiusdem igitur Pontificis iussa omni certe alacritate, et, uti par est, obsequio efficiens, Tibi, Illmẽ ac Rmẽ Domine, eumdem Syllabum his Literis adiunctum mittere propero. Dum vero obsequentissimi mei in Te animi sensus testari et confirmare vehementer gaudeo, fausta omnia et salutaria Tibi a Deo Optimo Maximo ex corde apprecor.

Dominationis Tuae Illmãe et Rmãe

Romae die 8. Decembris 1864.

Addictissimus Servus I. Card. Antonelli.

Syllàbus *complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in Allocutionibus consistorialibus, in encyclicis aliisque Apostolicis Literis Sanctissimi Domini nostri Pii Papae IX.*

§. I. *Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.*

12. I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum exsistit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et idcirco immutationibus ob-

noxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma, qua homo cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. Martii 1856.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Literis exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianae fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Iesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

—

§. II. *Rationalismus moderatus.*

13. VIII. Quum ratio humana ipsi religioni aequiparetur, idcirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9. Decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21. Decembris. 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862.
Epist. ad eumdem *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere, ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. Decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

Nota. Cum Rationalismi systema e cohaerent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15. Iunii 1847., et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30. Aprilis 1860.

§. III. *Indifferentismus, Latitudinarismus.*

14. XV. Liberum cuique homini est, eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Alloc. *Ubi primum* 17. Decembris 1847.
Epist. encycl. *Singulari quidem* 17. Martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10. Augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianae religionis forma, in qua aeque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Nostis et nobiscum* 8. Decembris 1849.

§. IV. *Socialismus, Communismus, Societates clandestinae, Societates biblicae, Societates clerico-liberales.*

15. Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.; in Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.; in Epist. encycl. *Nostis et nobiscum* 8. Decembris 1849.; in Allocut. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854.; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10. Augusti 1863.

§. V. *Errores de Ecclesia eiusque iuribus.*

16. XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, non pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire, quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9. Decembris 1854.
Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30. Septembris 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit a civili imperio.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.
Epist. encycl. *Incredibili* 17. Septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

XXVIII. Episcopis sine gubernii venia fas non est vel ipsas Apostolicas Literas promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tamquam irritae, nisi per gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1862.
Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis nobisque* 29. Septembris 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem, proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. Decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est, quae medio aevo praevaluit.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XXXVI. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860.
Alloc. *Iamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

—

§. VI. *Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.*

17. XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra, eidem proinde competit nedum ius, quod vocant *exsequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant *ab abusu*.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis ius civile praevalet.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850.
Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum Sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850.
Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus iuventus christianae alicuius reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicum-

que auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali* 1. Novembris 1850.
Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5. Septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim instituta, quae literis severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuventutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. Iulii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14. Iulii 1864.

XLIX. Civilis auctoritas potest impedire, quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi Episcopos, et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem antequam ipsi canonicam a Sancta Sede institutionem et Apostolicas Literas accipiant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quae episcopatuum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum pro-

fessione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges, quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas ecclesias et beneficia simplicia etiam iurispatronatus penitus exstinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1752,
Alloc. *Probe memineritis* 22. Ianuarii 1855.
Alloc. *Cum saepe* 26. Iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

LV. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia seiungendus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

§. VII. *Errores de ethica naturali et christiana.*

18. LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est, ut humanae leges ad naturae ius conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae, quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.
Epist. encycl. *Quanto conficiamur* 10. Augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est, nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium, quod vocant de *non-interventu.*

Alloc. *Novos et ante* 28. Septembris 1860.

LXIII. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, immo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novembris 1847.
Alloc. *Quisque vestrum* 4. Octobris 1847.
Epist. encycl. *Nostis et Nobiscum* 8. Decembris 1849.
Lit. Apost. *Cum catholica* 26. Martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

§. VIII. *Errores de Matrimonio christiano.*

19. LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXVI. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Lit. Apost. *Ad Apostoticae* 22. Augusti 1851.

LXVII. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXX. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXXII. Bonifacius VIII. votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter Christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter Christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.
Lettera di S. S. Pio IX. al Re di Sardegna 9. Settembre 1852.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.
Alloc. *Multis gravibusque* 17. Decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.
Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

NOTA. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum coelibatu abolendo et de statu matrimoni statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus* 9. Novemb. 1846., posterior in Lit. Apost. *Multiplices inter* 10. Iunii 1851.

§. IX. *Errores de civili Romani Pontificis principatu.*

20. LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.

Lit. Apost. *Ad Apostolicae* 22. Augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20. Aprilis 1849.

Nota. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Eiusdem doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque* 20. April. 1849., in Alloc. *Si semper antea* 20. Maii 1850., in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia* 26. Mart. 1860., in Alloc. *Novos* 28. Sept. 1860., in Alloc. *Iamdudum* 18. Mart. 1861., in Alloc. *Maxima quidem* 9. Iunii 1862.

§. X. *Errores, qui ad Liberalismum hodiernum referuntur.*

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religionem catholicam haberi tamquam unicam status religionem, ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26. Iulii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cuiuscumque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27. Septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore* 15. Decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18. Martii 1861.

LXXII.

Varia documenta causas matrimoniales spectantia.

1. *Benedicti XIV. Constitutio* Dei miseratione, *qua praescribitur ordo et forma in iudiciis causarum matrimonialium super matrimoniorum validitate et nullitate declaranda servandus.*

(Ad pag. 662. vol. II.)

Summarium. 1. Prooemium. Matrimonium iure naturali et divino indissolubile. – 2. Excessus abusuum in connubiorum dissolutionibus admittendis. – 3. Causae, quibus tribuitur huiusmodi pravitas. – 4. Pontificis providentia circa commissiones causarum ad partes. Causae matrimoniales nonnisi Episcopis et, his deficientibus, iudicibus synodalibus committendae. – 5. Defensor matrimoniorum in singulis dioecesibus eligatur. – 6. Defensoris officia. – 7. Idem semper adsit iudicio; iuramentum praestet; et citetur in omnibus actibus. – 8. Non appellabit a sententia pro validitate matrimonii probata. Contra, si pro invaliditate pronuntiatum fuerit. – 9. Post unicam sententiam, sive appellatum sit, sive non, nemini liceat ad alia vota transire sub poenis contra polygamos statutis. – 10. Defensoris officia eadem in secunda instantia. Illius electio ad quem spectet. – 11. Novas nuptias contrahere liceat post duas conformes, nisi appellatum sit, vel alias prohibitum; vel nisi aliquid novi delegatur. Appellatio semper suspendit exsecutionem; et in quavis instantia idem ordo servandus. – 12. Salarium defensori illud exigenti a quo et unde constitui debeat. – 13. Eadem omnia serventur in curia. Defensoris electio ad quem ibi pertineat. Iteratum examen causae semper necessarium. Coram quibus respective faciendum sit. – 14. Instantiae pro dispensatione matrimonii rati et non consummati non recipiantur absque remissione Pontificis. – 15. Nec absque eius oraculo definiantur. – 16. Sequuntur clausulae salutares cum decreto irritanti. – 17. Affertur instructio edita a S. C. Conc. pro confectione processus in causis matrimonialibus. – 18. Pro dissolvendis matrimoniis, quae uti talia ab Ecclesia non habentur, quippe quae in eius facie celebrata non sunt, necesse haud est inhaerere Const. Bened. XIV. *Dei miseratione*. – 19. In relaxanda fide de statu libero observandum est decretum S. C. R. et Univ. Inqu. 21. Aug. 1670., necnon instructio, quae pro eodem decreto exsequendo editur, cum declarationibus eiusdem S. Congregationis non ita pridem emanatis: quae omnia per exstensum afferuntur. – 20. Declarationes dubiorum, quae statum liberum respiciunt eorum, qui ad dioeceses limitrophas pertinent. – 21. Quis sit parochus proprius ratione domicilii vel quasi, remissive.

1. Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt, et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes con-

stituti, ut super universum Dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies et Sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis Nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas.

Siquidem matrimonii foedus a Deo institutum, quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio, aliisque matrimonii bonis servandis, perpetuum et indissolubile esse convenit; et quatenus est catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumptione dissolvi non posse, Salvator ipse ore suo pronuntiavit dicens: *Quod Deus coniunxit, homo non separet;* ad aures Apostolatus Nostri pervenit, in quibusdam ecclesiasticis curiis inconsulta nimis iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota. Quos sane improvidos iudices humanae naturae conditione et voce ipsa quodammodo admoneri oportebat, ne tam praecipiti audacia sanctum matrimonii nexum frangerent, quem perpetuum atque indissolubilem primus humani generis parens praemonuit inquiens: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea;* et illud additum est: *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

2. Huiusmodi autem abolendae pravitatis notitia diversis ex partibus Nobis delata est, atque etiam indicata sunt exempla nonnullorum virorum, qui post primam et secundam ac tertiam, quam duxerant, uxorem ob nimiam iudicum praecipitantiam in nullitate matrimoniorum declaranda, adhuc illis primis uxoribus superstitibus, ad quartas contrahendas nuptias devenerant; et similiter feminarum, quae post primum secundum et tertium maritum, quarto etiam, illis quoque viventibus, se iunxerant, non sine pusillorum scandalo et bonorum omnium detestatione, qui sacra matrimonii vincula ita contemni et temere perfringi dolebant. Nos autem, his intellectis, gravi affecti dolore intimo animo ingemuimus, et non praetermisimus Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes in Domino adimplere. Siquidem primo Pontificatus Nostri anno ad Episcopos illarum partium, in quibus praedicta acciderant, plenissimis datis Literis, graviter conquesti sumus de

huiusmodi pravitate, quae in Ecclesia Dei tolerabatur, et ad eam abolendam eorum animos erigere, et pastoralem zelum accendere curavimus: quod etiam egimus cum aliis aliarum regionum Episcopis, ubi huiusmodi pravum dirimendorum matrimoniorum usum irrepsisse cognovimus.

3. Verum Nobis responsum est, id saepe contingere partim ex culpa illorum iudicum, quibus vel in prima instantia, cum causa coram iudice ordinario ex aliqua legitima causa cognosci nequit, vel in secunda, cum in partibus nullus adest iudex, ad cuius tribunal causa in gradu appellationis devolvatur, vel si adest, iusta de causa coram eo disceptari nequit, causae matrimoniales huiusmodi a Sede Apostolica committuntur, qui vel ob inscitiam, vel ob malam voluntatem proclives sunt ad matrimonia dissolvenda, atque eadem matrimonia, levi vel etiam nullo habito examine, irrita ac invalida declarant; partim etiam ex facto coniugum super nullitate suorum matrimoniorum litigantium, cum frequenter unus tantum eorum, qui dissolutionem matrimonii postulat, in iudicio compareat, et sententia, nullo contradicente, secundum sua vota obtenta, ad alias nuptias convolet: vel ambobus coniugibus in iudicium venientibus altero, qui pro matrimonio, altero vero, qui contra agit, sententia de nullitate matrimonii prolata, nullus est, qui ad superiorem iudicem appellationem interponat, vel quia litigantes in specie quidem discordes, re vera inter se concordes sunt, et invicem colludentes contractum matrimonium dissolvi cupiunt; vel quia pars, quae pro validitate matrimonii stabat, eiusque nullitatem acriter contra adversarium impugnabat, lata a iudice sententia contra matrimonium, mutat voluntatem, vel pecunia sibi ad sumptus litis non suppetente, vel aliis deficientibus auxiliis ad litigandum necessariis, et incoeptum opus ac causam post primam sententiam deserit. Quo fit, ut deinde ambo coniuges, vel unus eorum ad aliud contrahendum matrimonium se conferat.

4. Quod autem ad iudices pertinet, quibus extra Romanam Curiam pro litigantium commodo causae matrimoniales committuntur, paterna illa vigilantia, qua de iustitia unicuique integre sapienterque administranda solliciti esse debemus, encyclicis Literis ad venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos scriptis vicesima sexta Augusti anno secundo Pontificatus Nostri providere curavimus, in quibus ea praescripsi-

mus, quae, sacris canonibus et Concilii Tridentini decretis consona, si diligenter, ut speramus, serventur, in posterum causae nonnisi personis congrua iuris peritia et necessario probitatis spectataeque fidei munitis praesidio committentur. Insuper ad ea, quae in iisdem encyclicis Literis constituta sunt, id etiam in praesenti adiungimus, quod, quamvis Concilii Tridentini decretum, quo causae matrimoniales subtractae fuerunt decani, archidiaconi, et aliorum inferiorum iudicio, et Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservatae, dumtaxat procedat de archidiaconis, decanis, aliisque inferioribus, qui in eadem dioecesi constituti, vel privilegio aliquo vel praescriptione, saltem in visitatione, causarum matrimonialium cognitionem sibi adrogabant, ac idcirco minime obstet commissionibus, quae pro iisdem causis matrimonialibus definiendis a Sede Apostolica alicui eorum in secunda instantia fierent; nihilominus praecipimus ac mandamus iis, ad quod huiusmodi commissionum, seu delegationum expediendarum cura pertinet, ut in futurum causarum matrimonialium cognitionem non committant nisi Episcopis praesertim vicinioribus, vel si nullus sit Episcopus, cui ex legitima causa commode committi possit, tum commissio et delegatio dirigatur uni ex iis, qui secundum ordinem et modum a Nobis in praefatis encyclicis Literis praescriptum pro iudice idoneo ab Episcopo cum consilio sui Capituli nominatus fuerit.

5. Quod vero ad ordinem et seriem iudiciorum in causis matrimonialibus pro debita, et congrua earum terminatione servandum spectat, motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine hac Nostra in perpetuum valitura sanctione constituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et, si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen eam suspendendi vel removendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit, quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se occasio agendi obtulerit, erit legitime impedita.

6. Ad officium autem defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit in iudicium venire, quotiescumque con-

tigerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

7. Et demum defensoris huiusmodi persona, tamquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio, sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat.

8. Cum igitur coram Ordinario, ad quem causas huiusmodi cognoscere pertinet, controversia aliqua proponetur, in qua de matrimonii validitate dubitatur, et existentibus in iudicio vel uno ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii, vel ambobus, quorum alter pro validitate, alter vero pro nullitate actionem intendat, defensor matrimonii partes omnes officii sui diligenter adimpleat. Itaque si a iudice pro matrimonii validitate iudicabitur, et nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat: idque etiam servetur, si a iudice secundae instantiae pro validitate matrimonii fuerit iudicatum, postquam iudex primae instantiae de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor inter legitima tempora appellabit adhaerens parti, quae pro validitate agebat; cum autem in iudicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, iudicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem iudicem provocabit.

9. Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, et par-

tium interposita, si ambo, vel unus ex coniugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus ac decernimus, ut non solum serventur, quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiae contrahunt, statuta sunt, praesertim ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum, vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius ut contrahens vel contrahentes matrimonium huiusmodi omnibus poenis contra polygamos a sacris canonibus et Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subiaceant, quas in eos, quatenus opus sit, motu, scientia ac potestate simili rursus statuimus, decernimus ac renovamus.

10. Posteaquam vero appellationis beneficio ad alterum iudicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia et singula quaecumque coram iudice in prima instantia servanda praefinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte ac diligenter custodientur, citato in quolibet iudicii actu defensore matrimonii, qui voce et scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur, et si iudex in secunda instantia fuerit metropolitanus, aut Sedis Apostolicae Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quae a Nobis superius constituta sunt, peragere possit; si autem iudex in secunda instantia erit iudex commissarius, cui a Sede Apostolica causae cognitio demandata sit, et qui tribunal et iurisdictionem ordinariam non habeat, et propterea careat defensore matrimonii, volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cuius dioecesi causam cognoscet, etiam si idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronunciaverit.

11. Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda aeque ac in prima nullum ac irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit, in potestate et arbitrio coniugum sit, novas nuptias contrahere, dummodo alicui eorum ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, coniugibus facta in-

telligatur, et locum habeat, salvo semper et firmo remanente iure, seu privilegio causarum matrimonialium, quae ob cuiuscumque temporis lapsum nunquam transeunt in rem iudicatam; sed si nova res, quae non deducta, vel ignorata fuerit, detegatur, resumi possunt, et rursus in iudicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate vel altera pars appellaverit, vel huiusmodi sit, ut ei salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste iniusta vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, et sit revocatoria alterius praecedentis super validitate in secunda instantia emanatae, volumus, ut firma remanente utrique coniugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, poenis, ut praefertur, a Nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quae a Nobis in prima et secunda instantia demandata fuerunt, nempe in quolibet iudiciali actu citato et audito defensore matrimonii, qui a iudice tertiae instantiae deputatus fuerit.

12. Defensor autem matrimonii, quem ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei et proximi utilitate, et Ecclesiae reverentia in Domino exhortamur, si operam suam sine mercede aut salario aliqua ex causa exhibere recusaverit, ab ipsius causae iudice ei constituatur, et ab ea parte, quae pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit, solvatur; sin minus, a iudice primae, vel secundae, vel tertiae instantiae respective subministrabitur, qui pecunias ex mulctis suorum tribunalium redactas, vel redigendas, et in opera pia erogandas in huiusmodi sumptus insumere poterunt. Cum vero iudices causae erunt iudices commissarii, qui neque forum habent, et consequenter neque pecuniam ex mulctis collectam, volumus ac mandamus, ut defensori matrimonii satisfiat ex pecunia mulctarum illius Episcopi, in cuius dioecesi iudex commissarius iuxta Sedis Apostolicae mandatum iudicium exercebit.

13. Hactenus quidem quoad causas matrimoniales, quae extra Romanam Curiam pertractantur. Quoad causas vero, quae Romae disceptandae sunt, cum earum cognitio in prima instantia ad S. R. E. Cardinalem in praefata Urbe, eiusque suburbiis et districtu Vicarium Nostrum in spiritualibus pro tempore spectet, mandamus ac iubemus, ut omnia et singula, quae in aliis causis

extra Romanam Curiam pertractandis praescripta fuerunt, nempe ut iudicium peragatur, citato et audito defensore matrimonii ab eodem Cardinali Vicario deputato, aliaque, ut supra, omnino serventur; tum etiam in aliis causis, quae in prima instantia ex consensu partium, vel in secunda per appellationem ad Sedem Apostolicam, omisso medio, interpositam, vel in tertia Romam deferuntur, quas omnes iudicari volumus vel in Congregatione S. R. E. Cardinalium super interpretatione et exsecutione Concilii Tridentini, vel in causarum palatii Nostri auditorio, dummodo Nobis et Romano Pontifici pro tempore iustis ex causis non videatur particularis Congregatio S. R. E. Cardinalium, vel Romanae Curiae Praelatorum deputanda. Cum autem causa super matrimonii nullitate agitabitur in dicta Congregatione S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, defensor matrimonii a Cardinali Praefecto eiusdem Congregationis, si vero in palatii Nostri auditorio, ab Auditore Decano praefati tribunalis, si demum in Congregatione particulari, a persona eiusdem Congregationis digniore deputetur.

14. Unica quidem resolutio pro nullitate matrimonii emanata, si causa in Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, vel in Congregatione particulari deputata cognoscatur, et similiter in palatii Nostri auditorio unica sententia super eadem nullitate pronuntiata minime sufficiat ad tribuendam liberam coniugibus facultatem novas nuptias contrahendi. Sed si causa in praefata Congregatione Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum introducta fuerit, rursus in eadem ad defensoris matrimonii instantiam reproponatur; si vero Congregationi particulari commissa fuerit, ad petitionem eiusdem defensoris altera etiam particularis Congregatio deputabitur; si vero in palatii Nostri auditorio iudicata sit, a praefato defensore appellatione interposita, ab aliis Auditoribus iuxta ordinem in gyrum seu turnum definiatur. Si autem causa universo tribunali commissa fuerit, ab omnibus auditoribus rursus examinabitur, nolentes omnino, ut ullo in casu matrimonii vinculum dissolutum censeatur, nisi duo iudicata vel resolutiones aut sententiae penitus similes et conformes, a quibus neque pars, neque defensor matrimonii crediderit appellandum, emanaverint. Quod si secus factum fuerit, et novum initum matrimonium, Nostrae voluntatis huiusmodi transgressores poenis a Nobis, ut supra, statutis submittantur.

15. Et quoniam saepe apud Sedem Apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati, quae ut plurimum pro voto consultivo ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Concilii Interpretum, vel nonnunquam ad aliquam Congregationem particularem deputatam a Romanis Pontificibus pro tempore remitti solent, ut huiusmodi instantiae ordine ac rite procedant, volumus ac mandamus, ut supplex libellus Nobis, vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata totius facti species contineatur, causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Romanus Pontifex, eo lecto, et mature considerato, secum deliberare possit, an petitionem reiiciat, vel eius examen alicui ex dictis Congregationibus committat, a qua posteaquam suum votum consultivum editum fuerit, a Secretario eiusdem Congregationis totius negotii series exacte Romano Pontifici pro tempore referatur, qui pro sua prudentia iudicabit, an Congregationis resolutio sit approbanda, vel potius totius causae examen alteri Congregationi, vel tribunali, prout eidem Pontifici videbitur, rursus committendum.

16. Demum volumus ac decernimus, etc.

Volumus autem, etc.

Nulli ergo, etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicae 1741. tertio nonas Novembris, Pontificatus Nostri anno secundo.

17. Ut ea quae in allata Constit. Bened. XIV. praescripta sunt, ad unguem impleri queant, S. C. Conc. eam, quae sequitur, instructionem edidit, soletque ad Episcopos in casibus peculiaribus remittere. Nos hic eam lectori nostro exhibere non incongruum existimamus.

2. *Instructio edita a S. Congregatione Concilii die 22. Augusti 1840. pro confectione processus in causis matrimonialibus.*

Cum moneat Glossa (*in cap. fin. de frig. et malef.*), in causis matrimonialibus omnem cautelam esse adhibendam propter periculum animarum, quod et docuit Sanchez (*de matrim. lib. 7. disp. 107.*) et Card. Argenvilliers (*in dissert. matrimonii, relat. inter vota Constantini P. 5. vel. ult. num. 16.*), plura hinc a

sacris canonibus sancita sunt, ut tutum ac rectum iudicium efformari queat. Ad removendas vero fraudes, quae coniugum malitia vel collusione saepe oriebantur s. m. Bened. XIV. (*in Const. Dei miseratione*) processum conficiendum esse praecepit sub poena nullitatis omnium actorum, ut probationibus undequaque accuratissime cumulatis in causis huiusmodi omnium gravissimis, in quibus agitur de Sacramenti validitate vel nullitate, ac de dissolvendo vinculo matrimoniali, iudices in proferendo iudicio tuti conquiescere possent. At quia saepe in hoc difficillimo processu acta minus recte et apte ad veritatem eruendam conficiebantur, S. Congregatio saepius instructiones edidit, ac normam praescripsit, quam Episcopi sequerentur.

Cum itaque in huiusmodi causis non de iure alterutrius partis tantum, sed praecipue de Sacramentali vinculo dissolvendo agatur, processus acta non ad instar aliorum iudiciorum, praesertim civilium, sed iuxta ss. canones, citatam s. m. Bened. XIV. Constitutionem, et praesentem instructionem erunt efformanda. Ea itaque non vernaculo, sed latino sermone erunt conscribenda, exceptis tamen excipiendis, nimirum articulis, interrogatoriis, responsionibus ad ea, et peritorum relationibus; praesertim vero decreta et sententia, quae iuxta priscos mores erit conficienda, latina lingua exarabuntur. Praeterea cum a sacro Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 20. de Reform.* §. *Ad haec*, ac etiam a s. m. Bened. XIV. *in cit. Constit.* Dei miseratione §. *4.* causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata, etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur.

Hisce praemissis, quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget super nullitate matrimonii, Episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse, vel iudex delegatus citari mandabit defensorem matrimonii, quatenus in curia Episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata Constit. s. m. Benedicti XIV. requirit, eumque citari mandabit. Defensoris ma-

trimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum, et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt. Praeterea hic defensor matrimonii citandus erit ad quaelibet acta, ne vitio nullitatis ipsa tabescant. Ipsi, qui pro Sacramenti validitate stat, semper et quandocumque acta processus, etsi nondum publicati, erunt communicanda, semper et quandocumque eius scripta erunt recipienda, ac novi termini eo flagitante erunt prorogandi, ut ea perficiat et exhibeat.

Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradet interrogatoria clausa, et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante ex iudicis decreto in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addet etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum, sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies, pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones, easque dictabit cancellario.

Interim dum pars erit examinanda, ipse cancellarius exscribet in processu primam interrogationem, et deinceps singulas ex ordine, post quas scribet responsiones a iudice dictandas. Si quod interrogatorium, ut superius monitum est, addatur ex officio a iudice vel a defensore matrimonii, cancellarius interrumpet ordinem progressivum, et adnotabit *interrogata ex officio;* et scripta interrogatione et responsione, reassumet ordinem progressivum interrogationum exhibitarum a defensore matrimonii.

Si examen una sessione absolvi non poterit, iudex illud suspendet, ac destinabit etiam diem et horam pro reassumptione et prosecutione iisdem modo ac forma facienda, ut supra dictum est. Absoluto examine cancellarius leget clara et intelligibili

voce responsiones datas, facta examinato facultate variandi, et declarandi datas responsiones, prout ei libuerit. Tandem iudex deferat iuramentum eidem coniugi, se vera dixisse, atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturum sive interrogationes propositas, sive responsiones datas. Deinde ipse subscribet, et si fuerit illiteratus, per signum Crucis ✠; dein iudex et defensor validitatis matrimonii apponent suam subscriptionem, et cancellarius de actu rogabit.

Poterit pars examini subiecta vel illico post examen, vel etiam deinceps antequam publicetur processus, si velit, articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus, et adstante defensore matrimonii super articulis ab altero propositis audietur.

Haec norma, quae data fuit pro instantis examine, servanda erit, congrua congruis referendo, in quovis alio examine.

Expleto examine illius coniugis qui actor fuit in promovenda nullitatis querela, sequitur examen alterius coniugis, quod erit conficiendum iisdem prorsus methodo ac lege, quae praescriptae fuerunt in praecedentibus paragraphis, ac sub iisdem interrogatoriis actori propositis, vel aliis additis, vel novis confectis, prout defensor matrimonii in Domino censuerit.

Deinde procedendum erit ad examen *septimae manus*, hoc est septem propinquorum ex utroque latere ad formam Text. *in cap. Litterae vestrae: de frig. et malef.* Ut id facilius exsequi iudex valeat, defensor matrimonii citabit partem actricem, ut indicet septem sibi sanguine vel affinitate coniunctos, si fieri possit, sin minus septem vicinos bonae famae. Singuli, audita prius lectura examinis, seu confessionis coniugis eos inducentis, erunt interrogandi, utrum perspectam habeant religionem et honestatem illius coniugis, ut propterea sibi verosimile sit, ac credant eum vera dixisse. Similiter instante defensore matrimonii citandus erit alter coniux, ut etiam ipse indicet septem propinquos vel affines, iisque deficientibus, septem vicinos bonae famae, qui, ut supra dictum est, deponant; seorsim erunt hi quatuordecim conflantes septimam manum examini subiiciendi, designatis diebus et horis, delato prius iuramento singulis. Defensor matrimonii interrogatoria clausa exhibebit, ut superius dictum est.

Liberum erit coniugibus testes bonae famae ac de re instructos inducere, qui omnes seorsim et methodo hactenus praescripta erunt examini subiiciendi.

Si alios etiam defensor matrimonii ex actis iam confectis deprehendet de re instructos, hos etiam citabit, ut examini subiiciantur. Si qui forsan absentes noscantur, qui commode ad civitatem accedere nequeant etiam ob distantiae sumptus, vel ad partis instantiam, vel, ea silente, ad instantiam defensoris matrimonii erunt ab Episcopo illius dioecesis, in qua morantur, examinandi iuxta interrogatoria ab eodem defensore conficienda, ac clausa et obsignata transmittenda, deputato ab eodem Episcopo altero idoneo viro, qui praestet requisitis in Bulla saepius laudata s. m. Bened. XIV. praescriptis, quique expleat munus defensoris validitatis matrimonii, et examini adsit.

Omnes vero testes, congrua congruis referendo, rogandi erunt, praesertim quando initum fuerit matrimonium; utrum inter coniuges mutui amoris et benevolentiae signa intercesserint, quamdiu in eadem domo, vel civitate cohabitaverint; utrum innotuerit eos consummationi operam dedisse; an inde matrimonium consummatum censeretur; de causis consummationem impeditivis; de conquestionibus, quando et cum quibus factis, et cur nolint amplius in matrimonio permanere.

Si querela super impotentia versetur, interrogandi erunt periti physici, quos coniuges consuluerunt.

Praeterea quatenus querela super nullitate ex iis sit, ut solvi possit matrimonium, si coniuges illud non consummarunt, tunc procedendum erit ad inspectionem corporis coniugum seorsim sequenti methodo perficiendam, instante praesertim defensore matrimonii.

Iudex praefiget terminum tam utrique coniugi, quam defensori matrimonii ad exhibendas notulas peritorum medicorum et chirurgorum confidentium, et diffidentium pro utriusque coniugis inspectione, congrua congruis referendo.

Exhibitis notulis a partibus iudex eliget quinque peritos, tres scilicet medicos, et duos chirurgos ex his, in quibus partes consentiant, sin minus ex officio eos, qui tamen partibus non sint rationabiliter suspecti, deputabit; atque curabit, ut deputatio cadat super celebrioribus civitatis tum quoad scientiam, tum quoad religionem et honestatem, atque his peritis facultatem

dabit recognoscendi corpus viri, adhibitis honestis mediis ad explorandam ipsius potentiam, necnon facultatem, quatenus non conveniant in prima inspectione, iterum accedendi. Atque in eodem decreto diem, horam et locum destinabit, in quibus periti accedent, ut inspectionem perficiant.

Designata die et hora ad locum accedent iudex, defensor matrimonii, cancellarius ac periti. Singuli ex peritis, ac seorsim corpus viri inspicient ea, qua fieri poterit, decentia, et factis experimentis, quae iuxta artem, non tamen illicitis, opportuna iudicabunt, singuli scriptam emittent relationem.

In inspectione et relatione haec praecipue investiganda et referenda erunt.

An adsint signa physice certa impotentiae deducta ex conformatione partium, aut ex aliquo vitio, quod apparere poterit. An adsint signa, quae moralem certitudinem inducant impotentiae, et quatenus existant, quae sit huius impotentiae, utrum sit impotentia perpetua insanabilis, ac praecedens matrimonium, an signa impotentiae sint dubia vel aequivoca.

Peracta relatione a singulis seorsim, defensor matrimonii exhibebit interrogatoria clausa sigillata, super quibus fieri debet examen peritorum, sibique reservabit ius addendi alia interrogatoria, ac iterum ea ad examen revocandi. Si examen singulorum peritorum eadem die perfici nequiverit, iudex aliam diem designabit, ut illud prosequatur. Uterque ex peritis tum ante examen iuramentum praestabit de veritate dicenda, tum post examen iuramento dicta confirmabit, sese propria manu subscribens, iudex defensor validitatis matrimonii, et cancellarius se subscribent, qui actum rogabit.

Procedendum etiam erit ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supradictum est de peritis, tres saltem obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno medico, et altero chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a iudice deputandae pro infrascripta praestanda personali adsistentia atque adstantibus semper tribus obstetricibus et matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius per-

manere debebit: quo tempore transacto, adstantibus semper et praesentibus matrona et obstetricibus, statim, ne ullum spatium aut momentum temporis mulieri detur, quo ad arctandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona; qua in re prospiciendum etiam, ut haec recognitio fiat tempore tantum diurno et in cubiculo luminoso, ut ex inspectione huiusmodi utrum mulier virgo sit, an violata et corrupta, adhibitis artis regulis, exactius deprehendatur.

Iudex, defensor matrimonii et cancellarius cum peritis, ut supra, ad domum Matronae accedent. Peracta hinc recognitione, seorsim singulae obstetrices referent de virginitatis aut corruptionis indiciis ab inspectione resultantibus, an certa et qualia supersint signa et argumenta intemerati aut corrupti claustri virginalis, et an ulla fraus ad virginitatem simulandam adhiberi potuerit. Deinde super his magis praecise deponent in responsionibus ad interrogatoria, quae clausa et obsignata exhibebit defensor validitatis matrimonii. Deinde formali examini erunt subiiciendi periti, quorum iudicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus. Tandem examen subire debebit quoque matrona quoad praestitam toto balnei et recognitionis tempore adsistentiam, servatis quoad examen iis omnibus, quae superius dicta sunt, congrua tamen congruis referendo.

Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet aliam iudex pro sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice, factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii, et a cancellario. Haec habenda methodus. Quae in actis continentur nemini, nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii, cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensoribus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probationes exquirere, cum agat favore Sacramenti, et numquam bina sententia nullitatis conformis transeat in rem iudicatam, ac reassumi causa possit etiam post initas novas nuptias a partibus iuxta Constit. saepius citatam *Dei miseratione*.

Omnibus absolutis, et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet Episcopus.

Si hac matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam Constitutionem, nec poterunt coniuges ad alia vota transire, nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata Constitutione *Dei miseratione*. Deinde transmittenda erunt acta ab Episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario.

18. Post allatam hanc *Instructionem*, sequentis dubii resolutionem agnoscere non pigebit: quippe quae usui non difficillima esse poterit. Ea edita est in Treviren. *Dubium matrimonii*. Proposita eadem fuit primo per *Summaria precum* die 18. Dec. 1852. per haec verba: « Exponit Curiae Treviren. officialis, quod ipse operam pro viribus quidem navat, ut iuxta tramites Benedictinae Constitutionis *Dei miseratione* in omnibus adamussim procedatur, si quandoque contigerit causas matrimoniales, in quibus res apprime vertatur circa nullitatem ex non servata Tridentini forma scatentem, ad ecclesiasticum tribunal deferri. Verum hinc, ait, potissimum difficultas est, cum aliquando telam iudiciariam subeunt nuptiae, quae non solum ab Ecclesiae benedictione, sed a nuda etiam forma essentiali omnimode et notorie alienae sunt, simul tamen grave in mora periculum et scandalum exhibent. Fieri, prosequitur, exempli gratia nequit, quin durius interdum, ne dicam inconsultius appareat, ut, si nuptiae solo actu civili contractae, et eodem capite nullae a iudice primi gradus declaratae fuerint, altera conformis sententia sit exspectanda, priusquam partes ad alia vota transire valeant. Unde idem officialis huius Sacrae Congregationis oraculum supplex efflagitat, *utrum nimirum s. m. Benedicti XIV. Constitutio* Dei miseratione *de die 3. Novembris 1741. etiam quoad illas nuptias sit servanda, quae per se pro ecclesiasticis matrimoniis nullo pacto haberi queunt, ex eo, quod neque in facie Ecclesiae, neque alia in foro Ecclesiae quomodocumque valida forma contractae fuere?* »

Quoniam vero res haec magni esse momenti visa fuisset, adeoque maiorem disceptationem recipere, responsum prodiit: *Ponatur in folio*. Iterum itaque controversia proposita est in plenis comitiis 29. Ianuarii 1853. cum hac dubii formula: *An et quo-*

modo observanda sit s. m. Benedicti XIV. Const. Dei miseratione *in casu?* Emi Patres rescripserunt: *In casu, prout proponitur, negative.*

19. Maximae gravitatis est in re matrimoniali penes Episcoporum curias ea pars, quae respicit liberum matrimonio iungendorum statum. Quamvis igitur S. C. Rom. et Univ. Inquis. nunquam suas hac de re normas edere, et Episcopis transmittere neglexerit, nihilominus cum eaedem foliis, quae audiunt *volanti*, consignatae facillime deperditum ire possint, ea, quae sequuntur, adiicimus, ut earum conservationi atque etiam observantiae consulamus. Initium ponunt encyclicae eiusdem S. Ordinis literae, ad Episcopales curias transmissae, prout sequitur (1):

« Debuerunt audire Emi mei collegae, Inquisitores Generales, a quadam curia ecclesiastica non observari instructiones, olim ab hoc supremo S. Tribunali emanatas quoad examina testium, qui adsumuntur ad liberum matrimonio iungendorum statum comprobandum; ad obviandum igitur tali abusui, gravissimas postea producturo consequentias feria IV. 21. Nov. anni proxime praeterlapsi decreverunt, ut ad omnes omnino curias Episcopales instructiones praedictae renovatae transmitterentur. Ad talem finem iterum typis mandandum curarunt decretum datum a S. Congregatione generali feria V. 21. Augusti 1670. cui, uti decreti partes, adnexae sunt instructiones supra memoratae.

Iussu igitur EE. PP. transmitto ad... N.... exemplar dicti decreti, tuam evocans vigilantiam et zelum, ut tuae curiae non modo diligentem observantiam ipsius decreti inculces, verum etiam aliarum legalitatum generalium; ut sunt, ne testes turmatim examinentur, ut iisdem ipsorum examen legatur, utque, quando ipsi rudes sunt, eorum signo crucis duo alii testes intersint.

Persuasum cum sit S. Consessui, omnem te suscepturum esse curam, ut totum hoc diligenter adimpleatur, desiderat, ut ipsi annuntiare velis, an praesentem pagellam acceperis.

Romae 25. Decembris 1827. »

---

(1) Ex appendice Synodi Mandelensis R. P. D. Grispigni pag. 289. – Romae ex typographia Scientiarum anno 1853.

3. *Decretum emanatum in Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita feria V. die 21. Augusti 1670. in palatio Apostolico Montis Quirinalis coram SS. D. N. Clemente divina providentia Papa X. ac Eminentissimis et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota republica christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Cum alias per Sacram Congregationem S. Officii iteratis instructionibus ab eadem emanatis de anno 1658. et 1665. locorumque Ordinariis transmissis, provisum fuerit, ut praescriptis interrogatoriis faciendis testibus, qui ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium inducuntur, omnis prorsus secluderetur aditus iis, qui adhuc vivente altero coniuge, aut alias impediti ad secunda illicita vota transire satagebant: videns nihilominus SS. D. N., quamplures locorum Ordinarios, vel eorum Vicarios et deputatos ad excipiendas testium depositiones, nec non parochos et notarios in casibus expressis aut omittere, aut non observare earumdem instructionum tenorem; et licet aliquando plene observent, non tamen interrogare testes super aliis impedimentis dirimentibus.

Ideo volens Sanctitas Sua praedictis malis occurrere, re mature considerata cum Emis et Rmis D. Cardinalibus generalibus Inquisitoribus, praesenti decreto perpetuis futuris temporibus duraturo, iterum iniungit omnibus Vicariis, seu deputatis pro examinandis testibus ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium, necnon parochis, notariis et quibuscumque aliis respective, sub poenis etiam gravibus corporalibus arbitrio S. Congreg., ut instructionem infrascriptam ad unguem observent.

Ut autem praesens decretum et instructio ad omnium notitiam facilius deveniant, decrevit, illa ad valvas basilicae Principis Apostolorum et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae de Urbe, ac palatio S. Officii eiusdem Urbis per aliquem ex cursoribus Sanctitatis Suae publicari, ac eorum exempla ibidem affixa relinqui; illaque sic publicata omnes, et singulos, quos concernunt, post duos menses, a die publicationis in Urbe faciendae numerandos, perinde afficere ac arctare, ac si illorum unicuique personaliter notificata et intimata fuissent.

4. *Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in Curia Eminentissimi et Reverendissimi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis ceterorum Ordinariorum.*

In primis *testis moneatur de gravitate iuramenti in hoc praesertim negotio pertimescendi, in quo divina simul et humana maiestas laeditur ob rei, de qua tractatur, importantiam et gravitatem; et quod imminet poena triremium et fustigationis deponenti falsum.*

Secundo *interrogetur de nomine, cognomine, patria, aetate, exercitio et habitatione.*

Tertio *an sit civis, vel exterus, et quatenus sit exterus, a quanto tempore sit in loco, in quo testis ipse deponit.*

Quarto *an ad examen accesserit sponte, vel requisitus:* Si dixerit se accessisse sponte a nemine requisitum, dimittatur, quia praesumitur mendax. Si vero dixerit accessisse requisitum; *interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, coram quibus, et quoties fuerit requisitus, et an sciat adesse aliquod impedimentum inter contrahere volentes.*

Quinto *interrogetur, an sibi pro hoc testimonio ferendo fuerit aliquid datum, promissum, remissum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipsorum nomine.*

Sexto *interrogetur, an cognoscat ipsos contrahere volentes, et a quanto tempore, in quo loco, qua occasione, et cuius qualitatis, vel conditionis existant.*

Si responderit negative, testis dimittatur, si vero affirmative,

Septimo *interrogetur, an contrahere volentes sint cives, vel exteri:* Si responderit, esse exteros, supersedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipsorum contrahere volentium doceatur de eorum libero statu de eo tempore, quo permanserunt in sua civitate, vel dioecesi.

Ad probandum vero eorumdem contrahere volentium statum liberum pro reliquo temporis spatio, scilicet usque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur testes idonei, qui legitime, et concludenter deponant statum liberum contrahere volentium, et reddant sufficientem rationem causae eorum scientiae, absque eo, quod teneantur deferre attestationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero responderit, contrahere volentes esse cives,

Octavo *interrogetur, sub qua parochia hactenus contrahere volentes habitaverint, vel habitent de praesenti.*

Item, an ipse testis sciat aliquem ex praedictis contrahere volentibus aliquando habuisse uxorem, vel maritum, aut professum fuisse in aliqua Religione approbata, vel suscepisse aliquem ex Ordinibus sacris, subdiaconatum scilicet, diaconatum, vel presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non possit contrahi matrimonium.

Si vero testis responderit, non habuisse uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut supra,

Nono *interrogetur de causa scientiae, et an sit possibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum, eo quod ipse testis nesciat.*

Si responderit affirmative, supersedeatur, nisi ex aliis testibus probetur concludenter non habuisse uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum etc.

Si vero responderit negative,

Decimo *interrogetur de causa scientiae,* ex qua deinde iudex colligere poterit, an testi sit danda fides.

Si responderit, contrahere volentes habuisse uxorem, vel maritum, sed esse mortuos,

Undecimo *interrogetur de loco, et tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat, fuisse coniuges, et nunc esse mortuos.* Et si respondeat, mortuos fuisse in aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occasione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore hospitalis, in quo praedicti decesserunt, vel a rectore ecclesiae, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel si fieri potest a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles.

Si tamen huiusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes.

Duodecimo *interrogetur, an post mortem dicti coniugis defuncti aliquis ex praedictis contrahere volentibus transierit ad secunda vota.*

Si responderit negative,

Decimotertio *interrogetur, an esse possit, quod aliquis ex illis transierit ad secunda vota, absque eo, quod ipse testis sciat.*

Si responderit affirmative, supersedeatur in licentia, donec producantur testes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative,

Decimoquarto *interrogetur de causa scientiae*, qua perpensa iudex poterit iudicare, an sit concedenda licentia, vel non.

Si contrahentes sunt vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, nisi doceant per fides Ordinariorum suorum se esse liberos, et in aliis servata forma Concilii Trid. *in cap. Multi Sess. 24.*

Fides, aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo et legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum et attente consideretur, quod fides, seu testimonia bene, et concludenter identificent personas, de quibus agitur.

Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam extranei, quia praesumuntur melius informati, et cives magis, quam exteri; nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa, et maturo consilio; et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscit, utatur clausula: *Mihi bene cognitus.* Sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum.

Et huiusmodi examinibus debet interesse in Urbe ultra notarium officialis specialiter deputandus ab Eminentissimo Vicario, et extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda; alias puniatur notarius arbitrio Sacrae Congregationis, et Ordinarius non permittat fieri publicationes.

Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo, vel eius generali Vicario, prius teneantur authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerunt examinati testes in eorum tribunali, qui probant statum liberum contrahere volentium etc.

Contravenientes autem severe puniantur.

Anno a Nativitate D. N. I. C. 1670. indictione 8. die vero 30. mensis Augusti, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris et

D. N. D. Clementis divina providentia Papae X. anno primo, supradictum decretum affixum et publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae et in acie Campi Florae de Urbe ac palatio S. Officii eiusdem Urbis per me Petrum Paulum Desiderium, eiusdem SSmi D. N. Papae et S. Inquisitionis Cursorem.

5. *Dubia mota de sensu decreti supra (pag. 606.) relati.*

Dubium I.– In 14. §. supra memorati decreti dicitur *(pag.608.):* « Fides aliaque documenta, quae producuntur de partibus, non admittuntur, nisi sint munita sigillo ac legalitate Episcopi Ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum et sigillum. » Si fides et documenta non sunt munita sigillo Ordinarii, sed sigillo ac legalitate solius parochi, et talis legalitas taleque sigillum sive parochi dioecesani sive extranei bene nota sunt uni pluribusve curiae officialibus, uti cancellario vel substituto, numquid admitti possunt? Et in casu negativa, ut cognoscatur, num sigillum et legalitas parochi sint scribentis, sufficitne testimonium patris vel matris sponsi aut sponsae vel aliorum ex alterutrius familia?

Dubium II. – In 14. §. dicti decreti praescribitur *(ibidem):* « Pro testibus in hac materia recipiantur magis consanguinei, quam exteri, quia praesumuntur melius informati. » Nomine consanguineorum possuntne venire proprii parentes, licet quandoque cognoscantur studiose promovere matrimonium contrahendum, cuius ratione ipsi sese exhibent, aut a sponsis curant ut requirantur ad testimonium reddendum de libero ipsorum statu? Et si in parentum defectu fratres aut avunculi eorum vices supplerent, numquid isti, sive cognoscantur matrimonium contrahendum studiose promovere, sive ut tales supponantur, testium personam sustinere possunt?

Dubium III. – In dicta §. 14. versus medium adiicitur: « Et notarius exacte describat personam testis, quem si cognoscat, utatur clausula: « mihi bene cognitus » sin minus, examen non recipiat, nisi una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario, et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis. » Cum accidere possit, quod in una dioecesi diversa sunt et dissita loca, vigetque usus, ut sponsi mittant vel secum adducant duos testes, ut plurimum non modo cancellario, sed etiam

saepissime in civitate residentiae episcopalis incognitos, neque quisquam, qui illos cognosceret, inveniatur, possuntne accipi eorum testimonia, sub legali axiomate: « Nemo praesumitur malus, nisi probetur? » Et hoc potissimum non solum, ut evitentur gravia incommoda populationibus provenientia ex iactura temporis et pecuniae, quam inutiliter impenderent, si remitti deberent, sed etiam, ne acerbis querelis inde enaturis occasio fiat?

Dubium IV. – Cum saepe saepius etiam contingat, ut post cognitum statum liberum per aliquam adversam circumstantiam sponsis obiectam matrimonium pro tunc non contrahatur, labentibus uno, duobus, tribus mensibus sine effectu; debentne ipsi, ut liberum statum testificentur, pro hisce uno, duobus, tribus mensibus reverti, cum praecipue agatur de gente vili et de personis, quae, quoniam ex diversis veniunt locis, in curia cognitae minime sunt?

Dubium V. – Cum multis in dioecesibus usus invaluerit, ut in examinibus liberi status non nisi virorum testimonia accipiantur, in supra citato decreto autem sine mulierum exceptione « testes » dicatur; possuntne etiam mulieres audiri?

Dubium VI. – Haud raro etiam contingere solet, ut vir aut femina per decem pluresve annos suum habeat domicilium in loco diverso ab originis, licet iam adulti ex patria sua aut alia urbe et vico discesserint. Sufficietne, ut libertatem probent horum decem pluriumve annorum in loco ultimi domicilii peractorum, an opus erit, ut (non obstante tam longa a patria vel primo domicilio absentia) matrimonii ineundi causa fidem quoque de statu libero prioris domicilii habeant?

Dubium VII. – Tandem circa finem §. 14. memorati decreti praescribitur *(pag. 608.)*: « Et huiusmodi examinibus debet interesse..... extra Urbem vel Vicarius Episcopi, vel aliqua alia persona insignis et idonea ab Episcopo specialiter deputanda ». Sub verbis « persona insignis et idonea » possuntne intelligi vicarii foranei una cum eorum cancellariis, quamvis ipsi rogandi facultatem non habeant, quippe quae soli Vicario Episcopi competat? Et in casu negativo, numquid attendi potest consuetudo in contrarium?

Fer. IV. die 24. Februarii 1847. In Congregatione generali sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in conven-

tu S. M. supra Minervam coram Eminentissimis et Rmis S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus propositis supradictis septem dubiis, iidem Emi et Rmi D. ad singula responderunt, ut sequitur:

Ad primum: *Quoad primam partem: affirmative, quo tamen in casu apponatur legalitas a curia episcopali; quoad secundam partem: provisum in prima.*

Ad secundum: *Affirmative.*

Ad tertium: *Servetur instructio.*

Ad quartum: *Generatim affirmative; in casibus vero particularibus prudenti arbitrio Episcopi.*

Ad quintum: *Affirmative.*

Ad sextum: *Quoad primam partem: negative; quoad secundam partem: affirmative.*

Ad septimum: *Quoad primam partem: affirmative; vicarii tamen foranei transmittant acta ad curiam episcopalem, cuius est expedire fidem status liberi; quoad secundam partem: provisum in prima.*

Ita est: Angelus Argenti S. R. et Universalis Inquisitionis Notarius.

20. Huc referri possunt aliae eiusdem S. C. Rom. et Univ. Inquis. declarationes, quae licet antiquiores, in usum facillime cadere possunt. Easdem exscribimus ex Append. Syn. Veliternae Card. Mathaei, Romae 1819., pag. 145., ubi per extensum afferuntur absque data, ut sequitur:

6. *Dubia circa exterorum matrimonia cum responsionibus S. Congreg. S. Officii.*

Ordines ultimo loco emanati circa matrimonia cum exteris contrahenda inter alia disponunt, quod Ordinarii praecipiant omnibus et singulis parochis in eorum dioecesibus existentibus, ut pro matrimoniis cum exteris contrahendis non faciant publicationes in eorum ecclesiis, nisi certiorato Ordinario, a quo vel eius Vicario generali prius teneantur fidem authenticam reportare, quod pro tali matrimonio fuerint examinati testes in eorum tribunali, qui probent statum liberum contrahere volentium.

1. Quaeritur, an illi ex diocesibus circumvicinis et ipsi teneantur tales probationes facere, an vero sufficiat fides denuntia-

tionum in eorum dioecesibus factarum cum legalitate Ordinarii, et probatio eorum status post discessum ab ipsa dioecesi?

R. Huiusmodi habentur pro exteris, et consequenter tenentur probationes facere.

2. Item an contrahere volentes, in confinibus eorum dioecesis habitantes, et ob vicinitatem ab eorum rectoribus cogniti, teneantur easdem facere probationes, an vero sufficiant publicationes ab ipsis rectoribus faciendae?

R. Etiam ipsi tenentur facere probationes.

3. An easdem teneantur facere probationes ii, qui ante aetatem nubilem a propria dioecesi discedentes, ad aliam se contulerunt, et in ea postmodum semper habitaverunt?

R. Non tenentur, qui non fuerunt extra dioecesim tempore habili ad contrahendum.

4. An in civitate, in qua milites Hispani, Teutonici, Alemanni, et aliarum longinquarum nationum residere solent, idem cum ipsis sit servandum, vel sufficiat probationes in ipsa civitate recipere de eorum statu a testibus ipsarum regionum de negotio edoctis?

R. Tenentur facere probationes iuxta formam instructionis, quia isti facilius committunt polygamiam.

5. An facta per parochum monitione Ordinario contrahere volentis, fides status eiusmodi sit ab eodem parocho, vel a contrahere volente reportanda?

R. Tenetur fidem reportare et parocho consignare is, qui vult matrimonium contrahere, sed est in libertate parochi huiusmodi onus in se assumere.

6. An eaedem probationes sint servandae in casu necessitatis, et ab existentibus in periculo mortis, sic contrahere volentibus?

R. Non sunt servandae in articulo mortis, intra quem scilicet probabiliter non adsit tempus sufficiens faciendi diligentias, cum hoc etiam, quod, si infirmus forte convaluerit, debeant fieri diligentiae iuxta instructionem, antequam simul conveniant.

7. An requiratur attestatio proprii Ordinarii pro exteris, qui per decem annos et ultra domicilium acquisierunt in loco, ubi sunt matrimonium contracturi, si eorum status liber probetur per testes fide dignos tam originis, quam domicilii?

R. Requiritur.

8. An requiratur dicta attestatio pro illis exteris, qui unicam vel plures duxerunt, et e contra si mortuae fuerint in loco, ubi

iterum matrimonium contrahere desiderant, amplius post mortem a dicto loco non discesserunt?

R. Requiritur pariter.

21. Saepenumero in ancipiti versantur parochi, an ipsi dici vere possint parochi *proprii* alicuius, qui nuptias coram eisdem inire velit, cum ceteroquin planum non sit, an in parochia domicilium vel quasi-domicilium vere acquisiverint ad effectum, ut in eadem matrimonium valide contrahere possint. Fines, quibus circumscribimur, non sinunt in hanc provinciam nos immittere, et late vagari: itaque satis Nobis sit humanissimum lectorem nostrum ad auctores, qui hac de re agunt, remittere, inter quos nominamus Bened. XIV. *Inst. ecc. 33.*, ubi hoc ille explanat argumentum, et idoneas ad rem affert S. C. C. declarationes. Digna quae legatur, est etiam Constit. eiusdem Pontificis ad Archiepiscopum Goanum incip. *Paucis abhinc* diei 19. Martii 1758., ubi agit de iis, qui a loco, ubi receptum est Concilium Tridentinum, transeunt ad locum, ubi idem receptum haud est: qua occasione multa more suo doctissime disserit explanatque.

† 7. *Instructio S. Congr. de Propaganda Fide d. d. 9. Maii 1877. de dispensationibus matrimonialibus.*

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est, dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione, quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisionis arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa iuvant. *(Arg. l. 5. C. de probat.)* Huiusmodi autem causae sunt, quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

2. *Aetas foeminae superadulta,* si scilicet 24. aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis,* si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aeqalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae,* vel *earumdem grave* aut *imminens periculum.* Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineat, neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum, qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae, ut lites exstinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *dos litibus involuta,* cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5. *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consan-

guineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *praegnantia, ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis: quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris*, ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est: quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim foeminae, *c. 7. De consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess. 24. cap. 5. de Reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in Instructione die 17. Apr. 1820. ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram

iudice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii Fer. IV. 14. Augusti 1822. decrevit: « Respondendum Oratori, » quod in exposito casu utatur facultatibus sibi in Form. II. » commissis, prout in Domino expedire iudicaverit. » Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione anni 1822. elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes (1).

Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda de iure vel consuetudine, aut stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedi-

(1) Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus – *Praxis dispensationum Apostolicarum*, lib. VII. et VIII. ac Vincentius de Iustis – *De dispensationibus matrimonialibus*, lib. III.

mento *criminis*, utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta vel transversa; item an Oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

5. *Numerus impedimentorum*, e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis exsecutionem, sive ante, sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis, declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1. Augusti 1866. (1). In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20. Martii 1842., probante s. m. Greg. XVI. ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis diei 10. Decembris 1874. edixit.

---

(1) Alias declarationes vid. infra pag. 634. num. 15.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex Pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex aedibus S. C. de Prop. Fide die 9. Maii 1877.

† 8. *Secretariae Status instructio ad omnes Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de dispensationibus super impedimento mixtae religionis quoad promiscua coniugia.*

Etsi Sanctissimus Dominus Noster Pius IX. Pontifex Maximus gravissimis causis impulsus aliquid immutandum esse censuerit in formula dispensationum, quae ab hac Apostolica Sede conceduntur ad mixta ineunda matrimonia, veluti amplitudo Tua ex adiecta formula intelliget, tamen idem Summus Pontifex, de universi Dominici gregis salute sibi divinitus commissa vel maxime sollicitus, pro Apostolici ministerii Sui munere non potest non summopere inculcare omnibus Archiepiscopis, Episcopis aliisque locorum Ordinariis, ut sanctissima catholicae Ecclesiae de hisce coniugiis documenta integra et inviolata religiosissime serventur. Omnes enim norunt, quid ipsa catholica Ecclesia de huiusmodi, catholicos inter et acatholicos, nuptiis constanter senserit, cum illas semper improbaverit, ac tamquam illicitas, planeque perniciosas habuerit, tum ob flagitiosam in divinis communionem, tum ob impendens catholico coniugi perversionis periculum, tum ob pravam sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones ipsa mixta connubia severe interdicentes, ac recentiores Summorum Pontificum Sanctiones, de quibus immortalis memoriae Benedictus XIV. loquitur in suis encyclicis Literis ad Poloniae regni Episcopos, atque in celeberrimo opere, quod de Synodo dioecesana inscribitur. Hinc porro evenit, ut haec Apostolica Sedes, ad quam unice spectat potestas dispensandi super huiusmodi mixtae religionis impedimento, si de canonum severitate aliquid remittens, mixta haec coniugia quandoque permiserit, id gravibus dumtaxat de causis aegre admodum fecit, et nonnisi sub expressa semper conditione de praemittendis necessariis opportunisque cautionibus, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti non posset, quin imo catholicus ipse coniux teneri se sciret ad acatholicum pro viribus ab

errore retrahendum, verum etiam, ut universa utriusque sexus proles ex mixtis hisce matrimoniis procreanda in sanctitate catholicae religionis educari omnino deberet. Quae quidem cautiones remitti, seu dispensari nunquam possunt, cum in ipsa naturali ac divina lege fundentur, quam Ecclesia et haec Sancta Sedes sartam tectamque tueri omni studio contendit, et contra quam sine ullo dubio gravissime peccant, qui promiscuis hisce nuptiis temere contrahendis se ac prolem exinde suscipiendam perversionis periculo committunt. Insuper in tribuendis huiusmodi dispensationibus praeter enuntiatas cautiones, quae praemitti semper debent, et super quibus dispensari nullo modo unquam potest, adiectae quoque fuere conditiones, ut haec mixta coniugia extra ecclesiam et absque parochi benedictione, ulloque alio ecclesiastico ritu celebrari debeant. Quae quidem conditiones eo potissimum spectant, ut in catholicorum animis nunquam obliteretur memoria tum canonum, qui istiusmodi mixta Matrimonia detestantur, tum constantissimi illius studii, quo sancta Mater Ecclesia nunquam destitit filios suos avertere ac deterrere ab iisdem mixtis coniugiis in eorum et futurae prolis perniciem contrahendis.

Iam vero quod attinet ad praedictas conditiones de his nempe mixtis nuptiis extra ecclesiam et sine parochi benedictione, alioque sacro ritu celebrandis, cum conditiones ipsae in plurimis similium dispensationum Rescriptis clare aperteque fuerint enuntiatae, in aliis vero permultis Rescriptis haud explicite expressae, quamvis iisdem Rescriptis implicite continerentur, idcirco Sanctissimus Dominus Noster pro summa ac singulari sua prudentia hanc formularum varietatem de medio tollendam existimavit, ac iussit in posterum unam eamdemque formulam esse adhibendam ab omnibus Congregationibus, per quas haec Apostolica Sedes dispensationes super hoc mixtae religionis impedimento concedere solet. Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, temporumque ratione habita et iis consideratis, quae a pluribus Episcopis exposita fuere, atque in consilium adhibitis nonnullis S. R. E. Cardinalibus, idem Sanctissimus Dominus Noster constituit, in harum dispensationum concessione utendam esse formulam illius Rescripti, quo, etiamsi conditiones praedictae de mixtis hisce coniugiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis haud aperte

declarantur, tamen implicite continentur. Ac Sanctitas Sua omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios vehementer in Domino monet, hortatur et excitat, eisque mandat, ut cum ipsi in posterum huius Rescripti formula ab hac Sancta Sede obtinuerint facultatem dispensandi super impedimento mixtae religionis, in eadem facultate exsequenda nunquam desistant omni cura studioque advigilare, ut sedulo quoque impleantur conditiones de mixtis hisce Matrimoniis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione, alioque ecclesiastico ritu celebrandis. Quod si in aliquibus locis sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala, in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem Sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi salvis firmisque semper ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda, iudicent quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam, et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro Matrimoniis contrahendis in dioecesano Rituali legitime praescriptum, exclusa tamen semper Missae celebratione, ac diligentissime perpensis omnibus rerum, locorum ac personarum adiunctis, atque onerata ipsorum Antistitum conscientia super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Summopere autem exoptat Sanctitas Sua, ut iidem Sacrorum Antistites huiusmodi indulgentiam, seu potius tolerantiam eorum arbitrio et conscientiae omnino commissam, maiori quo fieri potest, silentio ac secreto servent. Cum vero contingere possit, ut iidem Antistites nondum fuerint exsequuti illa similium dispensationum Rescripta, quae ipsis ante hanc instructionem concessa fuere, idcirco ad omnes dubitationes amovendas Sanctitas Sua declarandum esse iussit, eosdem Antistites hanc instructionem sequi debere in commemoratis exsequendis Rescriptis.

Nihil vero dubitat Sanctissimus Dominus Noster, quin omnes Sacrorum Antistites ob spectatam eorum religionem, pietatem et pastoralis muneris officium pergant flagrantiori usque zelo ca-

tholicos sibi concreditos a mixtis hisce coniugiis avertere, eosque accurate edocere catholicae Ecclesiae doctrinam, legesque ad eadem coniugia pertinentes, atque eidem Sanctissimo Domino Nostro persuasissimum est, ipsos Sacrorum Antistites prae oculis semper habituros Literas et Instructiones, quae a suis felicis recordationis Praedecessoribus, ac praesertim a Pio VI. (1), Pio VII. (2), Pio VIII. (3), et Gregorio XVI. (4) de hoc gravissimo sane argumento, maximique momenti negotio ad plures catholici Orbis Episcopos scriptae fuerunt.

Haec amplitudini Tuae erant significanda iussu ipsius Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae IX., cui nihil potius, nihil antiquius est, quam ut catholicae Ecclesiae doctrina ac disciplina ubique illibata custodiatur ac servetur.

Datum Romae die 15. Novembris 1858.

I. Card. Antonelli.

÷ 9. *Decretum S. Congr. Inquisitionis de facultate dispensandi in matrimoniis mixtis.*

Feria IV. die 22. Novembr. 1865. Episcopus Southwarcensis de his quatuor, quae sequuntur, Sanctam Sedem consuluit.

1. In formula secunda (verba latine reddita recitamus) edicitur, ut Episcopus, qui his a Pontifice facultatibus donatus est, *nullo modo iisdem uti possit extra fines suae dioecesis.* Sed idem alias facultates solet a S. Sede obtinere, quibus haec non apponitur limitatio, v. gr. ut possit in matrimoniis mixtis contrahendis dispensare. Mihi videtur *(ait Episcopus),* quoties alicuius rei facultatem R. Pontifex rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi; ita ut duobus Southwarcensi dioecesi subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium

---

(1) Epist. ad Archiep. Mechliniensem, Episcoposque Belgii: *Exsequendo nunc* die 13. Iunii 1782.

(2) Ep. ad Archiep. Moguntinum *Etsi Fraternitatis Tuae,* die 8. Octob. 1803.

(3) Epist. ad Archiep. Coloniensem et Episcopos Treviren., Monasterien. et Paderbornen. *Literis altero abhinc anno,* die 25. Martii 1830. Instructio ad eosdem Archiep. et Episc. die 27. Martii 1830.

(4) Epist. ad Archiepiscopos et Episcopos Bavariae *Summo iugiter studio,* die 27. Maii 1832. Instructio ad eosdem, die 12. Septembris 1834. Epist. ad Archiep. et Episcop. Hungariae *Quas vestro,* die 30. Aprilis 1841. Instructio die 30. Aprilis 1841. Instructio ad Archiep. et Episc. Austriacae Ditionis in foederatis Germaniae partibus, die 22. Maii 1841.

inire queant, concedere per dispensationem non possim. Quaeso Te, S. Pater, ut edisseras, utrum haec sententia vera sit: id est quoties indultum ea verba *nullo modo uti etc.* minime prae se fert, haec semper in eodem subaudienda esse.

2. Frequenter contingit, ut sive vir, sive mulier aliquo vel dirimente vel impediente impedimento obstrictus vel obstricta, super quo dispensandi facultate praediti sumus, Liverpolium v. gr. matrimonium cum alia vel alio ibidem commorante ineundi causa adire velit. Sciscitor, utrum hunc vel hanc e mea dioecesi discedentem omni impedimento liberare possim directe dispensando, atque ita impedimento sublato Liverpolium mittere, ubi alter ex sponsis commoratur, ad matrimonium ibidem ineundum.

3. Si duo ex subiectis meae dioecesi, inter se consanguinei vel affines, velint omni impedimento absoluti Liverpolium, nuptias ibidem ineundi causa, proficisci; quaero, an Apostolico Indulto uti possim pro matrimonio, quod extra dioecesis meae fines ineundum erit, permittendo.

4. Cum in dispensando super matrimoniis mixtis Ecclesia catholico viro aut mulieri cum anglicana muliere aut viro (in quos directe cadere Ecclesiae beneficia non debent) inire nuptias permittere soleat; a quonam Episcopo concedi dispensatio potest, cum Catholicus vel Catholica venit ad matrimonium extra suam dioecesim ineundum?

Fer. IV. die 22. Novembris 1865. In Congregatione generali S. R. et U. I. habita in conventu S. Mariae supra Minervam Eminentissimi PP. Cardinales in universa christiana republica contra haereticam pravitatem Inquisitores generales ita responderunt:

» Ad primam clausulam: *nullo modo uti possit extra fines suae dioecesis,* ita intelligi debere, ut facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi existentibus actu, quo conceditur gratia. Eamdem tamen clausulam non subintelligi in facultatibus, quae Episcopis ab Apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa, vel aliter constet de mente Summi Pontificis, vel nisi subiecta materia eam requirat. Facultatem vero dispensandi super impedimento mixtae religionis concedi cum clausula: *dispensare valeat intra fines suae dioecesis;* eam proinde exerceri non posse nisi cum subditis actu existentibus intra fines propriae dioecesis, servatis ceteroquin iis, quae traduntur in responsione ad quartam.

» Ad secundam et tertiam: Affirmative, nisi obstet tenor Apostolicae concessionis, impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab Episcopo loci, ubi ipsum matrimonium contrahitur.

» Ad quartam: Catholicos viros vel mulieres dispensari posse, iustis accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis ab Episcopo hanc facultatem habente, cuius sunt subditi ob domicilium vel quasi-domicilium in eius dioecesi acquisitum, dummodo in eadem dioecesi actu existant, quando dispensationem recipiunt; dispensationem vero ita obtentam exsequutioni tradi posse ubicumque mixta connubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet iudicio Ordinarii loci, in quo contrahitur matrimonium: secus pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum esse. »

Loco ✠ Signi

Angelus Argenti S. Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.

† 10. *Decretum S. Congr. de Propaganda Fide d. d. 30. Augusti 1865. de dispensatione super mixtis matrimoniis cum Italis contrahendis.*

Illme et Revme Domine,

« Relatum est Apostolicae Sedi, abusum hunc non raro contigisse, ut videlicet Itali, qui in exteras dioeceses proficiscuntur, atque in iis peregre versantur, dispensationes obtineant super impedimento mixtae religionis. Ne unquam igitur eiusmodi factum instauretur in posterum, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. de consilio Eminentissimorum Patrum Generalium Inquisitorum censuit in Domino praecipiendum, ut omnes et singuli Episcopi, qui facultate instructi sunt dispensandi super dicto impedimento, certiores efficiantur, in eiusdem usu excipi Italos, de quibus non constet Italicum domicilium omnino deseruisse.

» Interea Deum precor, ut Te diu sospitem et incolumem servet.

» Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 30. Augusti 1865. »

Amplitudinis Tuae

Ad officia paratissimus

A. Card. Barnabò, Praef.

H. Capalti, *Secretarius.*

† *11. Dubia circa facultatem dispensandi super impedimentis matrimonii, quando agitur de matrimoniis mixtis a S. Congreg. S. Officii resoluta.*

Episcopus M. haec dubia proposuit:

1. « Utrum facultas expedita per S. Congregationem de Prop. Fide recte et valide adhiberi possit coniunctim cum altera facultate expedita a Sacr. Congregatione S. Officii necne, quando nimirum agitur de connubiis mixtis? »

2. « Et si, quod non parvo me afficeret dolore, quaestio haec negative decidenda esset, insuper supplico, ut Sanctitas Vestra mihi gratiosissime consulere eaque praesidia indulgere dignetur, quibus, quod minus recte actum est hucusque in hac dioecesi, quo melius remediari possit. »

3. « Et pro futuro, si ad hoc speciali facultate opus est, clementissime concedere, ut in mixtis matrimoniis delegata potestate etiam dispensare valeam, quando concurrunt impedimenta III. et IV. simplicis et mixti tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, dein publicae honestatis iustis ex sponsalibus provenientis et criminis neutro tamen coniuge machinante et tandem cognationis spiritualis praeterquam inter levantem et levatum. »

Feria IV. die 12. Septembris 1866. In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emis ac Revmis DD. Cardinalibus contra haereticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus praepositis suprascriptis postulatis ac praehabitis DD. Consultorum suffragiis, iidem Emi ac Revmi Domini ad singula respondendum censuerunt nempe:

Ad primum: *Negative.*

Ad secundum: *R. P. D. Episcopus sileat, et relinquat coniuges in bona fide.*

Ad tertium: *Supplicandum SSmo pro gratia.*

† 12. *Instructio S. Inquisitionis d. d. 12. Iunii 1822. super qualitate probationis requirendae, antequam secundae nuptiae ineantur.*

Feria IV. 12. Iunii 1822. Ingentes bellorum clades aliaeque rerum humanarum conversiones, quibus nostra haec aetas obiecta fuit, frequentes adhuc suppeditant Romae mulierum et quandoque virorum preces, qui legali documento mortis coniugis iamdiu

absentis destituti licentiam tamen sollicitant, qua sibi liceat ad alias nuptias transire. Iamvero Sedes Apostolica, seu suprema Sacra Eminentissimorum et Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium ad haec deputatorum Congregatio ecclesiasticis regulis omnino insistit, ex quarum praescripto mors ex aliquot annorum decursu non praesumitur, sed probari debet. Unde Lucii III. responso (cap. *Dominus* extr. de secundis nuptiis) a iure canonico cautum est, « ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec constet, quod ab hac (vita) migraverit coniux eius.» Qualis autem probationum ratio exigatur, ex decreto *Cum alias* Clem. X. perpetuis futuris temporibus valituro, lato fer. V. 21. Aug. 1670. in Bullarium Romanum inserto habetur, ubi Summus Pontifex instructionem ponit tam in curia Emi et Rmi D. Cardinalis Urbis Vicarii, quam in aliis curiis ceterorum Ordinariorum servandam pro examine testium ad contrahenda matrimonia inductorum.

Primo ergo authenticum ipsius obitus documentum exquiri debet, ubi haberi possit. Nam haec num. 10. et 11. praescribuntur: « Si (testis) responderit, contrahere volentes habuisse uxo» rem vel maritum, sed esse mortuos, interrogetur de loco et » tempore, quo sunt mortui, et quomodo ipse testis sciat, fuisse » coniuges et esse mortuos. Et si respondeat, mortuos fuisse in » aliquo hospitali, vel vidisse sepeliri in certa ecclesia, vel occa» sione militiae sepultos fuisse a militibus, non detur licentia » contrahendi, nisi prius recepto testimonio authentico a rectore » ecclesiae, in qua humata fuerunt cadavera, vel, si fieri potest, » a duce illius cohortis, in qua descriptus erat miles. Si tamen » huiusmodi testimonia haberi non possunt, S. Congregatio non » intendit excludere alias probationes, quae de iure communi » possunt admitti, dummodo sint legitimae et sufficientes. »

Ex postremis hisce verbis habetur regula huius S. Congreg. pro casibus, in quibus talia testimonia obitus authentica haberi non possunt, nempe, ut suppleri valeant aliis probationibus legitimis et sufficientibus.

Harum praecipua exsurgit e dictis testium fide dignorum, de quibus sic in eadem instructione praecipitur: « Pro testibus in » hac materia recipiantur magis consanguinei quam extranei, quia » praesumuntur melius informati, et cives magis quam exteri, » nec admittantur homines vagi et milites, nisi data causa et » maturo consilio. »

Ubi autem de persona testimonium ferente agitur, opportune praescribitur, ut « una cum persona testis aliqua alia compareat cognita notario et quae attestetur de nomine et cognomine ipsius testis, necnon et de idoneitate eiusdem ad testimonium ferendum. » Verum in tantis, quibus saepe huiusmodi mortis probationes premuntur, difficultatibus, S. Congregatio nullam respuit, quae aliquid ad fidem faciendam valeat, ut perspicere possit, an pluribus quandoque concurrentibus, quae seorsim certitudinem sufficientem parere nequeunt, omnia tamen simul iuncta hanc efficiant. Hinc datur locus praesumptionibus et coniecturis, quibus testium dicta confirmentur; publicae vocis et famae ratio habetur; certa facta authentica probata, quae mortem supponunt, expenduntur. Etiam contigit, ut testium fide dignorum probe informatorum dicta tempore non suspecto ab aliis percepta fuerint, testes autem immediati vel morte vel absentia, aut alia de causa audiri nequeant, habeantur vero dicta testium de alieno dicto deponentium, qui tamen omnibus pensatis prudenti mortis secutae iudicio satis esse censeantur.

Iam vero cum de re gravissima agatur, (matrimonium enim de iure divino indissolubile esse, dogma fidei est atque aliud matrimonium priore coniuge vivente esse non potest) S. C. singulos casus expendit, auditis plurium theologorum et iurisprudentium suffragiis, iudicium denique suum pronuntiat, an de tali obitu satis constet, et nihil obstet, quominus petenti transitus ad alia vota concedi possit.

† 13. *Recentissima instructio S. Congr. Inquisitionis ad probandum obitum alicuius coniugis.*

Matrimonii vinculo duos tantummodo, Christo ita docente, copulari et coniungi posse: alterutro vero coniuge vita functo, secundas, imo et ulteriores nuptias licitas esse, dogmatica Ecclesiae catholicae doctrina est.

Verum ad secundas et ulteriores nuptias quod attinet, cum de re agatur, quae difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia, hinc Sancta Sedes sedulo curavit modo Constitutionibus generalibus, saepius autem responsis in casibus particularibus datis, ut libertas novas nuptias ineundi ita cuique salva esset, ut praedicta matrimonii unitas in discrimen non adduceretur.

Inde constituta sacrorum canonum, quibus, ut quis possit licite ad alia vota transire, exigitur, quod de morte coniugis certo

constet, uti cap. *Dominus, de secundis nuptiis,* vel quod de ipsa morte recipiatur *certus nuntius,* uti in Cap. *In praesentia, de sponsalibus et matrimoniis* (1). Inde etiam ea quae explanatius traduntur in Instructione *Cum alias* 21. Aug. 1670. a Clemente X. sancita, et in Bullario Romano inserta, super examine testium pro matrimoniis contrahendis in Curia Emi Vicarii Urbis et ceterorum Ordinariorum. Maxime vero quae propius ad rem facientia ibi habentur nn. 12. et 13. (2).

Et haec quidem abunde sufficerent, si in eiusmodi causis peragendis omnimoda et absoluta certitudo de alterius coniugis obitu haberi semper posset; sed cum id non sinant casuum propemodum infinitae vices (quod sapienter animadversum est in laudata Instructione his verbis: « Si tamen huiusmodi testimonia » haberi non possunt, S. Congregatio non intendit excludere alias » probationes, quae de iure communi possunt admitti, dummodo » legitimae sint et sufficientes »), sequitur, quod stantibus licet principiis generalibus praestitutis, haud raro casus eveniunt, in quibus ecclesiasticorum Praesidum iudicia haerere solent in vera iustaque probatione dignoscenda ac statuenda; immo pro summa illa facilitate, quae aetate nostra facta est remotissimas quasque regiones adeundi, in omnes fere orbis partes homines divagentur, eiusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut frequentissimi hac de re ad Supremam hanc Congregationem habeantur recursus, non

(1) In capite *Dominus, de secundis nuptiis,* ita Lucius III. scripsisse legitur universis christianis in captivitate Saracenorum positis: « Super matrimoniis, quae quidam ex vobis (nondum habita obeuntis coniugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias migrare praesumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit coniux eius. Si vero aliquis vel aliqua id hactenus non servavit et de morte prioris coniugis adhuc sibi existimat dubitandum, ei, quae sibi nupsit debitum non deneget postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. Quod si post hoc de prioris coniugis vita constiterit, relictis adulterinis complexibus, ad priorem coniugem revertatur. »

In capite *In praesentia, de sponsalibus,* ita rescripsit Clemens III. Caesaraugustano Episcopo: « In praesentia nostra quaesivit, quid agendum sit de mulieribus, quae viros suos causa captivitatis vel peregrinationis absentes, ultra septennium praestolatae fuerint nec certificari possint de vita vel de morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem; et pro iuvenili aetate seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis matrimonio copulari. Consultationi tuae taliter respondemus, quod quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonice convolare: nec auctoritate Ecclesiae permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum. »

(2) Vide supra pag. 625.

sine porro partium incommodo, quibus inter informationes atque instructiones, quas pro re nata, ut aiunt, peti mittique necesse est, plurimum defluit temporis, quin possint ad optata vota convolare.

Quapropter Sacra eadem Congregatio huiusmodi necessitatibus occurrere percupiens, simulque perpendens, in dissitis praesertim missionum locis ecclesiasticos Praesides opportunis destituti subsidiis, quibus ex gravibus difficultatibus extricare se valeant, e re esse censuit, uberiorem edere Instructionem, in qua, iis, quae iam tradita sunt, nullo pacto abrogatis, regulae indigitentur, quas in eiusmodi casibus haec ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope, vel absque necessitate recursus ad Sanctam Sedem possint iudicia ferri, vel certe, si recurrendum sit, status quaestionis ita dilucide exponatur, ut impediri longiori mora sententia non debeat. Itaque:

1. Cum de coniugis morte quaestio instituitur, notandum primo loco, quod argumentum a sola ipsius absentia quantacumque (licet a legibus civilibus fere ubique admittatur) a sacris canonibus minime sufficiens ad iustam probationem habetur. Unde s. m. Pius VI. ad Archiepiscopum Pragensem die 11. Iulii 1789. rescripsit, solam coniugis absentiam, atque omnimodum eiusdem silentium *satis argumentum non esse ad mortem comprobandam*, ne tum quidem, cum edicto regio coniux absens evocatus (idemque porro dicendum est, si per publicas ephemerides id factum sit) nullum suimet indicium dederit. *Quod enim non comparuerit*, idem ait Pontifex, *non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia.*

2. Hinc ad praescriptum eorumdem sacrorum canonum documentum authenticum obitus diligenti studio exquiri omnino debet, exaratum scilicet ex regestis paroeciae vel xenodochii, vel militiae, vel etiam, si haberi nequeat ab auctoritate ecclesiastica, a gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit.

3. Porro quandoque hoc documentum haberi nequit; quo casu testium depositionibus supplendum erit. Testes vero duo saltem esse debent, iurati, fide digni, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus, aliasque substantiales circumstantias. Qui insuper, si defuncti propinqui sint aut socii itineris, industriae, vel etiam militiae, eo magis plurimi faciendum erit illorum testimonium.

4. Interdum unus tantum testis examinandus reperitur, et, licet ab omni iure testimonium unius ad plene probandum non admittatur, attamen ne coniux alias nuptias inire peroptans, vitam coelibem agere cogatur, etiam unius testimonium absolute non respuit Suprema Congregatio in dirimendis huiusmodi casibus, dummodo ille testis recensitis conditionibus sit praeditus, nulli exceptioni obnoxius, ac praeterea eius depositio aliis gravibusque adminiculis fulciatur; sique alia extrinseca adminicula colligi omnino nequeant, hoc tamen certum sit, nihil in eius testimonio reperiri, quod non sit congruum atque omnino verisimile.

5. Contingit etiam, ut testes omnimoda fide digni testificentur, se tempore non suspecto mortem coniugis ex aliorum attestatione audivisse, isti autem, vel quia absentes, vel quia obierint, vel aliam ob quamcumque rationabilem causam examinari nequeant; tunc dicta ex alieno ore, quatenus omnibus aliis in casu concurrentibus circumstantiis, aut saltem urgentioribus respondeant, satis esse censentur pro sequutae mortis prudenti iudicio.

6. Verum haud semel experientia compertum habetur, quod nec unus quidem reperiatur testis, qualis supra adstruitur. Hoc in casu probatio obitus ex coniecturis, praesumptionibus, indiciis et adiunctis quibuscumque, sedula certe et admodum cauta investigatione curanda erit; ita nimirum, ut pluribus hinc inde collectis, eorumque natura perpensa, prout scilicet urgentiora, vel leviora sunt, seu propiori vel remotiori nexu cum veritate mortis coniunguntur, inde prudentis viri iudicium ad eamdem mortem affirmandam probabilitate maxima seu morali certitudine permoveri possit. Quapropter quandonam in singulis casibus habeatur ex huiusmodi coniecturis simul coniunctis iusta probatio, id prudenti relinquendum est iudicis arbitrio; heic tamen non abs re erit, plures indicare fontes, ex quibus illae sive urgentiores, sive etiam leviores probationes colligi et haberi possint.

7. Itaque in primis illae praesumptiones investigandae erunt, quae personam ipsius asserti defuncti respiciunt, quaeque profecto facile haberi poterunt a coniunctis, amicis, vicinis et quoquo modo notis utriusque coniugis. In quorum examine requiratur *ex.gr.*

An ille, de cuius obitu est sermo, bonis moribus imbutus esset; pie religioseque viveret; uxoremque diligeret; nullam sese occultandi causam haberet; utrum bona stabilia possideret, vel alia a suis propinquis aut aliunde sperare posset.

An discesserit annuentibus uxore et coniunctis; quae tunc eius aetas et valetudo esset.

An aliquando et quo loco scripserit, et num suam voluntatem quamprimum redeundi aperuerit, aliaque huius generis indicia colligantur.

Alia ex rerum adiunctis pro varia absentiae causa colligi indicia sic poterunt:

Si ob militiam abierit, a duce militum requiratur, quid de eo sciat; utrum alicui pugnae interfuerit; utrum ab hostibus fuerit captus; num castra deseruerit aut destinationes periculosas habuerit *etc.*

Si negotiationis causa iter susceperit, inquiratur, utrum tempore itineris gravia pericula fuerint ipsi superanda: num solus profectus fuerit, vel a pluribus comitatus: utrum in regionem, ad quam se contulit, supervenerint seditiones, bella, fames et pestilentiae, *etc. etc.*

Si maritimum iter fuerit aggressus, sedula investigatio fiat, a quo portu discesserit; quinam fuerint itineris socii; quo se contulerit; quod nomen navis, quam conscendit; quis eiusdem navis gubernator; an naufragium fecerit; an societas, quae navis cautionem forsan dedit, pretium eius solverit; aliaeque circumstantiae, si quae sint, diligenter perpendantur.

8. Fama quoque aliis adiuta adminiculis argumentum de obitu constituit, hisce tamen conditionibus, nimirum: quod a duobus saltem testibus fide dignis et iuratis comprobetur; qui deponant de rationabili causa ipsius famae; an eam acceperint a maiori et saniori parte populi, et an ipsi de eadem fama recte sentiant; nec sit dubium illam fuisse concitatam ab illis, in quorum commodum inquiritur.

9. Tamdem, si opus fuerit, praetereunda non erit investigatio per publicas ephemerides, datis directori omnibus necessariis personae indiciis, nisi ob speciales circumstantias saniori ac prudentiori consilio aliter censeatur.

10. Haec omnia pro opportunitate casuum Sacra haec Congregatio diligenter expendere solet; cumque de re gravissima agatur, cunctis aequa lance libratis, atque insuper auditis plurium theologorum et iurisprudentum suffragiis, denique suum iudicium pronuntiat, an de tali obitu satis constet et nihil obstet, quominus petenti transitus ad alias nuptias concedi possit.

11. Ex his omnibus ecclesiastici Praesides certam desumere possunt normam, quam in huiusmodi iudiciis sequantur. Quod si non obstantibus regulis hucusque notatis res adhuc incerta et implexa illis videatur, ad S. Sedem recurrere debebunt, actis omnibus cum ipso recursu transmissis, aut saltem diligenter expositis.»

† 14. *Instructio S. Poenitentiariae d. d. 15. Ianuarii 1866. circa contractum, quem vocant matrimonium civile.*

1. « Quod iamdiu timebatur, quodque Episcopi cum singillatim, tum una omnes protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque ordinis eruditis suis scriptis, et ipsemet Summus Pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt, id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est, quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes deflere; sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum, pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus Episcopi et locorum Ordinarii animadverterunt, quorum quidem alii opportunis instructionibus monitum ac vigilem fecerunt gregem suum; alii vero ad hanc Apostolicam Sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti momenti tuto dirigerent sese. Quamvis autem hoc sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus, Summi Pontificis iussu, dederit, attamen ut postulationibus, quae in dies augentur, satisfiat, mandavit Sanctus Pater, ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, instructio mitteretur, quae normae cuiusdam loco cuique eorum inserviret, ut et fideles dirigant et ad morum puritatem, sanctitatemque matrimonii christiani sartam tectam servandam, uno animo procedant.»

2. « At vero in exsequendis S. Patris mandatis haec S. Poenitentiaria superfluum putat in memoriam cuiusque revocare, quod est ssmae religionis nostrae notissimum dogma, nimirum matrimonium unum esse ex septem Sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere: tum etiam superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a S. Tridentina Synodo praescriptam *Sess. 24. c. 1. de Reform. matrim.*, sine cuius ob-

servantia in locis, ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset. »

3. « Sed ex hisce aliisquis axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persuadeant, quod Sanctissimus Dominus Noster in Consistorio secreto die 27. Septembris anni 1852. proclamabat: id est, « inter fideles matrimonium dari non posse, » quin uno eodemque tempore sit Sacramentum; atque idcirco » quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris, praeter Sa- » cramentum, coniunctionem, etiam civilis legis vi factam, nihil » aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum. »

4. « Atque hinc facile deducere poterunt, civilem actum coram Deo eiusque Ecclesia nedum ut Sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse; et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse; ideoque, sicut haec S. Poenitentiaria iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum legitimo matrimonio coram Ecclesia coniunctorum, a laica potestate latam, nullius valoris esse; et coniugem, qui eiusmodi sententia abutens, alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum: quemadmodum esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret; atque utrumque absolutione indignum esse, donec haud resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur. »

5. « Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus, iuxta citatam S. Concilii Trid. formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur: attamen ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum exsequuturi, ea tamen intentione (uti Bened. XIV. docet in Brevi diei 17. Septembris anni 1746. *Redditae sunt Nobis*), ut sistendo se gubernii officiali nil aliud faciant, quam ut civilem coeremoniam exsequantur. »

6. « Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis exsecutioni cooperentur, parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam lege arcentur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum: sed in gravioribus casibus hoc sacrum Tribunal consulat. »

7. « Quod si opportunum est ac expedit, ut fideles sistentes se ad actum civilem peragendum se probent legitimos coniuges coram lege: hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio, aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis invertendi causa esset; tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti consistant. Hac super re unumquemque hortatur haec S. Poenitentiaria, ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV. expositam in Brevi, cuius supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI. in suo Brevi ad Galliae Episcopos *Laudabilem maiorum suorum* dato die 20. Septembris anni 1791., tum Pius VII. in suis Literis datis die 11. Iunii anni 1808. ad Episcopos Piceni, eosdem Episcopos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularant, quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre, praxim hactenus observatam circa matrimonium, et speciatim circa paroeciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab Ecclesia sive constituta sive admissa nullo modo variari. »

8. « Et hae sunt generales normae, quas huic S. Poenitentiariae, Sancti Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit, et iuxta quas eadem videns plures Episcopos et Ordinarios suas iam instructiones adamussim confecisse, maximopere laetatur: speratque fore, ut et ceteri omnes idem faciant: qui ita se pastores vigiles ostendentes, meritum ac praemium a Iesu Christo pastorum omnium Pastore consequentur. »

Datum Romae ex S. Poenitentiariae die 15. Ianuarii 1866.

A. M. Card. Cagiano P. M.

L. Peirano *Secret.*

† 15. *Decreta S. Congr. Inquisitionis et S. Poenitentiariae de incestu indicando in libellis supplicibus pro dispensationibus.*

Feria IV., die 1. Februarii 1882. In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus in rebus fidei Inquisitoribus generalibus proposito dubio: « Utrum ad valorem dispensationum, quae sive directe ab Apostolica Sede, sive ex Pontificia delegatione conceduntur super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon publicae honestatis, necessarium sit exprimere copulam incestuosam a sponsis habitam ante impetrationem vel exsecutionem praedictarum dispensationum: necnon exprimere consilium et intentionem, cum qua copulam inierunt obtinendae facilius dispensationis? »

Iidem Emi ac Rmi DD. praehabito voto DD. Consultorum respondendum decreverunt: « Standum decretis S. O. fer. IV. 8. Augusti 1866. et S. Poenitentiariae 20. Iulii 1869. nempe:

I. *Feria IV. 8. Augusti 1866.* Emi Patres decreverunt: « Subreptitias esse et nullibi, ac nullo modo valere dispensationes, quae sive directe ab Apostolica Sede, sive ex Pontificia delegatione super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae honestatis conceduntur, si sponsi ante earumdem dispensationum exsecutionem, sive ante, sive post earum impetrationem incestus reatum patraverint, et vel interrogati vel etiam non interrogati, malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copulam incestuosam inter eos initam, sive publice nota ea sit, sive occulta, et reticuerint consilium et intentionem, qua eam copulam inierunt, ut dispensationem facilius consequerentur. Sufficere autem, ut unus ex sponsis delictum hoc suum vel nefariam intentionem modo dictam explicaverit. Quod profecto nedum a probatis auctoribus communiter traditur, sed etiam a Summo Pontifice Bened. XIV. confirmatur in Constitutione, quae incipit: *Pastor bonus.*

II. Sacra Poenitentiaria sub die 20. Iulii 1869. respondit:

Post Constitutionem Benedicti XIV. *Pastor bonus* non posse amplius dubitari de nullitate dispensationis obtentae reticita copula incestuosa, vel prava intentione facilius obtinendi dispensationem habita in ea patranda. »

MONITUM AUCTORIS AD LECTOREM

In monito, quod primo huius operis volumini praepositum est, iam praenotavimus, humanissime lector, nonnulla nos speciatim alio loco de indice generali verba facturos. Locus hic est; promissa servamus. Benedictina Instructio cum in statum materialem et formalem discriminetur, persaepe duobus in locis de eodem argumento agit: sic de seminario in primo capite, ac iterum in sexto loquitur. Cum itaque eiusdem vestigiis insistere debuerimus, facere non potuimus, quin haud infrequenter eamdem rem non uno in loco pertractaremus. Hinc necessitas orta est, ut huic defectui occurrere cogitaremus, aliqua adhibita ratione, qua uno sub obtutu singula argumenta tota quanta sunt, tibi, amice lector, obiicerentur: id apprime supplet index hic generalis. Subinde elucubratio isthaec nostra non ex illorum operum genere est, quae a prima ad ultimam ceram haud interrupto cursu perlegantur, ut ex. gr. fit de historiis; sed contra pro data casuum, qui incidunt in dies, opportunitate, hac illac pervolutentur et consulantur. Itaque oportebat digito, ut ita dicam, indicare, qua punctim ratione id, quod opus fuerit, facillime tutissimeque reperire datum esset: cui rei satis omnino facit idem index generalis. In eo autem digerendo nullum de verbis aliisque leviusculis rebus negotium sumpsimus, sed sententias dumtaxat atque adeo conclusiones, quas vocant, respeximus et adnotavimus, exemplum secuti doctorum illorum, qui S. E. Romanae decisiones in compendium ad modum indicis redegerunt, quae vulgo audiunt Recentiores: *quanto enim in pretio a viris peritis illud opus habeatur, nemo est, qui nesciat. Sed et alium gravissimum habuimus ducem, nempe amplissimum S. C. C. Ordinem, qui ad calcem uniuscuiusque causarum voluminis, quae singulis annis in lucem eduntur, harumce conclusionum indicem non sine maximo lectorum fructu subnectit: quam utique methodum secutus est Zambonius in* Collect. declarat. S. Congr. Conc. *Insuper animadvertimus, saepissime accidere posse, ut una eademque sententia multiplici sub vocabulo spectari queat; neque propterea divinare detur, quo sub vocabulo id, quod tibi opus est, egregie lector, inquiras. In quo, ut ea, quae unice patet, ratione, tibi prospiceremus, multiplicia vocabula abunde posuimus cum adnotatione loci, ubi ea de re, quam quaeris, potissimum in indice sermo fiat: ita enim non multa adhibita patientia studioque nihil procul dubio oculos fugiet.*

MONITUM EDITORIS.

Potuissemus quidem monitum auctoris supra positum omittere, utpote propter omnimodam indicis mutationem non iam omnino conveniens; quia vero in praefatione ad volumen primum illius fit mentio, praesertim vero quia rationem reddit eius rei, quam nonnulli – immerito quidem, prout nobis videtur – doctissimo auctori vitio verterunt, quod scilicet materias non rite suis locis omnibus numeris absolverit, sed modo in hoc, modo in illo capite tractaverit, iterum illud ponendum curavimus.

Indicem vero mutandum duximus, quia non solum ex propria experientia, sed etiam ex aliorum querelis nobis constabat, modum, quem auctor in eodem conficiendo tenuerat, adeo parum aptum fuisse, ut indicis index multis visus fuerit necessarius, si res, quas quaerebant, facile voluerint invenire.

Quodsi Rm̃i et Revdi Lectores non moleste tulerint adire *Summaria,* quae singulis capitibus, paragraphis, articulis, documentis sunt praefixa, et ad quae verba praecipua novi indicis remittunt, non solum facile invenient omne id, quod quaerunt, sed etiam uno obtutu videbunt, quae auctor de eadem materia tradiderit.

INDEX RERUM ET VERBORUM.

[Numerus romanus ad volumen, arabicus ad paginam remittit].

A

Abbas non potest ad libitum amovere Religiosos vicarios vel cooperatores cum approbatione Episcopi iam electos. II. 5.

Abbas, qui per accidens insignitus est Episcopali dignitate, an subditis suis Ordines conferre et dimissorias tradere possit. I. 65.

Abbates et Praelati inferiores tertiae speciei absque speciali privilegio non possunt concedere dimissorias. I. 175.

Abbates nonnulli vi privilegii possunt conferre Sacramentum Confirmationis. I. 66.

Abbates quando concursum peragere et Synodum convocare possint. I. 61.

Abbates, quamvis habeant iurisdictionem quasi-episcopalem, non possunt congregare Synodum. I. 231.

Abbates Nullius, qui separatum territorium obtinent, debent visitare Limina Apostolorum et referre statum ecclesiarum suarum. I. 11. 25. 36. 61. III. 9. 11.

Abbates aliique Praelati inferiores iurisdictionem quasi-episcopalem ac territorium separatum habentes SS. LL. visitare et relationem suarum dioecesium exhibere debent. I. 26. III. 11.

Abbatum et Praelatorum inferiorum privilegia. I. 60.

Absentes quinam distributiones lucrentur. I. 295.

Abessendi indultum. III. 202.

Abluere corporalia, purificatoria etc. sacrae virgines non possunt absque venia Apostolica. II. 324.

Absentes a choro an, et quando lucrentur distributiones chorales. III. 221.

Absolutio Missarum quid sit. II. 448. 450. 452.

Abusus nomine in monasteriis monialium quid veniat. II. 175.

Abusus in oratoriis privatis tollendi. III. 46.–67.

Accommandita quid sit, et an clericis liceat acquirere actiones eiusdem. I. 526.

Acta et decreta visitationis dioecesis non sunt adiungenda relationi status dioecesis. I. 33.

Acta Sacrae Congregationis super Statu Regularium a Bizzarri edita. II. 83.

Actus capitularis quis dicendus. II. 665.

Administratores locorum piorum quolibet anno rationes reddere debent Episcopo. II. 515. 529.

Adscribendi sunt alicui ecclesiae, qui ordinari cupiunt. II. 611.

Aetas requisita in Superiorissis et Assistentibus. II. 309.

Aggregatio confraternitatum. III. 544. 550. 553. 554. 556.

Alienatio quid significet et comprehendat, et quid in ea servandum sit. II. 538.

Alienationem bonorum ecclesiasticorum quando possit Episcopus permittere. II. 539.

Alumni seminariorum singulis diebus festis inservire debent cathedrali vel alii ecclesiae loci. II. 388–391.

Alumni seminariorum diebus tantum festis cathedrali etc. inserviant. III. 283.

Alumni quo loco in choro sedere et in processionibus etc. incedere debeant. II. 391.

Alumnorum confessarius quomodo se gerere debeat. II. 359.

Anglicanarum Virginum conservatoria III. 485–506.

— fundatrix non est Maria Warth III. 494.

Animarum curam habentes quinam teneantur ad Missam pro populo offerendam, et quinam non. I. 444. 455.

Anticipatio in choro non licet. I. 333.

Antistita suprema in Institutis votorum simplicium a S. C. Episc. et Regul. admissa est. II. 292–297.

Antistita suprema utrum ad dies vitae an ad certum tempus sit constituenda. II. 300.

Apostasia quid et quotuplex sit, et quomodo puniatur. II. 29.

Appellatio in *suspensivo* et in *devolutivo*. I. 370. III. 14. 128. 248.

Appellatio ab irrationabili iudicio Episcopi vel examinatorum. III. 248. 255.

Appellatio quoad concursum. I. 364. III. 248.

Appellationes quando sint concedendae, quando denegandae. III. 120–135.

Appellationes in causis criminalibus. III. 294.

Applicatio Missae pro populo. II. 634. III. 190.–195., 352–359., 375.–380.

Approbatio Ordinum et Institutorum, quae emittunt vota simplicia. II. 264.

Approbatio alicuius Instituti religiosi. II. 136. 255

Archivia ecclesiastica ubinam sint habenda et quomodo ordinanda et servanda. III. 164.–185.

Archivia ab Episcopo debent visitari. III. 170.

Asservatio SS. Eucharistiae. I. 92.

Asservandi SS. Eucharistiam licentiam concedit S. Rit. Congr. vel Secretaria Brevium. I. 96.

Assicurationis privilegiata societas quid sit, et an pro alienatione illiusmodi pensionum ecclesiasticarum opus sit beneplacito Apostolico. I. 527.

Assistens Generalissae si moritur aliqua, quid faciendum. II. 310.

B

Baptismus utrum et quando conferri possit in oratoriis privatis. III. 58.

Benedictio sacramentalis utrum et quando sit danda. I. 113.

Beneficiorum simplicium unio I. 133.

Beneplacitum Apostolicum requiritur pro alienationibus et pro translatione domus primariae. II. 321. et 324.

Beneplacitum Apostolicum necessarium est pro alienatione bonorum ecclesiasticorum. II. 538.

Beneficia omnia taxam seminarii solvere debent. III. 77.–80. 87.–91.

Beneficia ab ecclesiis collapsis in alias ecclesias viciniores transferre potest Episcopus. I. 75.

Beneficiatus celebrationem Missae alteri committens potest stipendium dare iuxta morem loci, nisi aliter in fundatione sit cautum. II. 466.

— inventarium bonorum temporalium conficere et curiae episcopali exhibere tenetur. II. 652.

Beneficiorum unio conceditur in supplementum taxae seminarii. III. 70.

Beneficium tanquam causa subiectionis. I. 187. III. 139.

Bibliorum versiones vulgares ne legantur nisi etc. III. 272.

Binatio utrum et quando liceat. I. 463. III. 359.

— quaenam circa eam sint notanda et observanda. I. 466. et 469. II. 628.

C

Caecus et caecutiens quoad distributiones. I. 303.

Caeremoniale (Rituale) Instituti pii est approbandum ab Episcopo. II. 328.

Canonici quinam gaudeant voce activa, et quinam non. II. 619.

Canonici quoad participationem iurium et emolumentorum. III. 237–246.

Canonico Theologo non suffragatur doctoratus in iure canonico, sed omnino requiritur doctoratus in theologia. I. 371.

Canonicus iubilatus quoad servitium chorale et distributiones chorales. III. 209.

Canonicus in servitio Episcopi occupatus quoad fructus canonicatus percipiendos. II. 623.

Cantus addiscendus alumnis. II. 388; effata quaedam de cantu ecclesiastico. II. 392–400.

Capellam dotare an et quando aedificans teneatur. II. 604.; dotare quid comprehendat. II. 604.

Capellani Confraternitatum stolam deferre nequeunt extra ecclesiam Confraternitatum. II. 496.

Capellaniae dotatio quid sit, et cui incumbat. II. 604.

Capellaniae ecclesiasticae et laicae distinguuntur. III. 520.–533.

Capellaniae laicales non subiacent mediae annatae. I. 7.

Capellaniae laicales non accensentur inter beneficia ecclesiastica. I. 188.

Capellaniae laicales erigi nequeunt sine licentia Episc. II. 438.

Capellaniae, quae in titulum non conferuntur, ad taxam seminarii non sunt obligati. III. 80.

Capitula exempta quoad visitationem Episcopi. I. 159.

Capitula omnia debent habere suas constitutiones. I. 345.

Capitula taxam seminarii solvere debent. III. 78.

Capituli convocatio pertinet ad primam dignitatem. II. 624.

Capitulum integram iurisdictionem debet transferre in Vicarium Capitularem. I. 175. et 181.

Cardinales Abbates *Nullius* utensilia sua relinquere debent sacrario Pontificio. III. 32.

Cardinales Episcopi suburbicarii ecclesiarum suarum statum referre debent. I. 25.

Cardinales Episcopi utensilia sua relinquere debent cathedrali. III. 32.

Cardinales suburbicarii utensilia sua relinquere debent sacrario Pontificio. III. 32.

Catechesis a parochis habenda. II. 656.

Cathedralium reparatio cui incumbat. I. 69.

Causae canonicos a lege *residentiae* excusantes. I. 299–317.

Causae disciplinares, quomodo in iis procedendum sit in curiis ecclesiasticis. I. 530.

Causae matrimoniales quomodo in iudicio sint tractandae. III. 588.–596.

Celebratio Missarum, decreta Urbani VIII. et Innocentii XII. II. 457.

Clausula *ex hactenus deductis non constare.* I. 305. *ex quo satis.* I. 306. *non molestetur.* I. 306.

Clausura quid sit, et quid comprehendat. II. 149.

Clausura monialium. II. 139. 143. III. 444. 449. 451. 457. 460. 472. 477. 483.

Clausurae Pontificiae lex inseparabilis est a professione votorum solemnium. II. 148.

Clavem tabernaculi quisnam retinere debeat. I. 96–98.

Claves archiviorum a quibus retinendae. III. 169.

Clerici functionibus ecclesiasticis intersint. III. 286.

Clerici saeculares an libere ingredi possint in Ordines religiosos. I. 536. et 548.

Clerus regularis in multis subest Episcopali potestati sive ordinariae, sive delegatae. II. 10.

Coadiutor quatuor de causis parocho dari potest. I. 406.

Coadiutor parochi tenetur ad residentiam. I. 418.

Coadiutorum nominatio quando spectet ad parochum et quando non. I. 417.

Collegialitatis signa. III. 41.

Collegiatas ecclesias erigere spectat ad Summum Pontificem privative. III. 43. et 45.

Collegiatarum reparatio cui incumbat. I. 70.

Collusio et remissio quoad distributiones chorales. I. 293.

Concio habenda est post Missae Evangelium. I. 331.

Comitia capitularia vel conventus Capituli. I. 349.

Commendatitiae literae. III. 142.

Commissarius vel deputatus Episcopi, qui dicitur etiam Director, pro Institutis piis quoad externas. II. 318.

Non potest esse confessarius in respectivis Institutis piis. II. 318.

Communicatio indulgentiarum. III. 558.

S. Communio distribui potest in oratoriis privatis, si Episcopus licentiam dedit. III. 59.

Communismi nefaria systemata. III. 329. 570. 579.

Commutatio piarum voluntatum II. 443.

Commutatio voluntatis testatorum in favorem seminarii facile conceditur. I. 129.

Commutatio piarum voluntatum interdum facienda est, ne pia dispositio ex omni parte corruat. II. 444.

Concio a parochis habenda. II. 656.

Concionatores a quo eligantur et approbentur. I. 238.

Concionatores, etiam Regulares Episcopo praedicante silere debent. I. 237.

Condonatio Missarum quid sit. II. 448.

Concursus quoad parochias. III. 246. et 256. quoad praebendas poenitentiariam et theologalem. I. 364.

Conferentiae theologiae moralis seu casuum conscientiae et rituum haberi debent. I. 506. et quomodo III. 384.

Conferentiis sacerdotalibus quinam interesse debeant et quinam non. I. 513.

Confessarius alumnorum. II. 359. non potest esse rector seminarii. II. 360.

Confessarii ordinarii et extraordinarii electio spectat ad Episcopum II. 185–222. 319. 322. et III. 291. 299–313.

Confessarii monialium quomodo et quando possint ingredi septa monasteriorum. II. 157. III. 477.

Confinium dioecesis delineatio referenda est in relatione status. I. 53.

Confirmationis Sacramentum, quid circa illud Episcopus observare debeat. I. 210–218.

Confirmatio constitutionum alicuius domus vel communitatis fit vel in *forma communi* vel in *forma specifica*. II. 132.

Confraternitates (sodalitates) non possunt erigi a personis privatis. II. 479.

Confraternitates plures eiusdem instituti in uno eodemque loco non possunt erigi absque indulto. II. 479.

Confraternitates in ecclesiis parochialibus et in oratoriis publicis et privatis, quae adnexa sunt parochialibus, erectae quoad functiones pendent a parocho. II. 494.

Confraternitates erectae in ecclesiis, quae non pertinent ad ecclesiam parochialem, non pendent a parocho. II. 494

Confraternitates erectae in Regularium ecclesiis subsunt iurisdictioni et visitationi Episcopi. II. 521. et 526.

Confraternitates an et quando taxam seminarii pendere debeant. III. 82.

Confraternitates SS. Sacramentum asservare nequeunt sine speciali indulto S. Sedis. II. 496.

Confraternitatum origo et canonica erectio. II. 476.

Confraternitatum erectio et aggregatio III. 544.

S. Congreg. Concilii officia et munera. III. 14.

S. Congr. Negot. extraord. eccles. praeposita. I. 267.

S. Congregationis Studiorum origo et scopus II. 508–512.

S. Congregationem particularem Bened. XIV. erexit, quae relationes Episcoporum, Abbatum etc. excipere et examinare debet. III. 23.

Congregationes s. rituum et casuum conscientiae quomodo sint instituendae. III. 384.

Congrua assignanda est. III. 288.

Conservatoria Virginum Anglicanarum. III. 485–506.

Constitutiones piorum Institutorum debent praescribere, quod parochus vel alius sacerdos ad moribundas sit advocandus. II. 323.

Constitutionum observantia II. 137. immutatio II. 135–138.

Constitutiones Instituti pii ab Apostolica Sede approbatae a nemine immutari possunt, nisi ab eadem S. Sede. II. 319.

Constitutiones seminariorum quid continere debeant. II. 349.

Consuetudo quoad immunitatem ecclesiasticam. III. 186–188.

Contractus de rebus ecclesiasticis quomodo sint ineundi. II. 549.

Contra-punctator. I. 294.

Conventus parvi, quorum reditus non sufficiunt, ut in eis commode sustentari valeant et cum effectu sustententur sex saltem Religiosi probatae vitae, quorum ad minus quatuor sint sacerdotes maturae aetatis, plene in omnibus subiacent visitationi, correctioni et iurisdictioni Ordinarii loci tanquam Delegati Sedis Apostolicae. II. 50.

Conventus religiosi iurisdictioni Episcopi subiecti, quid in iis possit, et quid non possit Episcopus. II. 51.

Conversi ad fidem non sunt repellendi ab Ordinibus. II. 606.

Convisitatorum qualitates. I. 156.

Convocatio Capituli pertinet ad primam dignitatem. II. 624.

Copula incestuosa indicanda est in libellis supplicibus. III. 634.

Crimen occultum quoad suspensionem. I. 410.

D

Declarationes variae circa decreta illa *Ut in parvis, Romani Pontifices, Regularis disciplinae*. II. 51. 97. 98. 101.

Decreta sacrae visitationis dioecesis promulgari debent. I. 161.

Delinquentes extra claustra (Regulares) quomodo sint tractandi. II. 42.

Denuntiationes Ordinum, vigiliarum, festorum, matrimoniorum promulgari debent inter Missarum solemnia ante vel post parochi praedicationem. I. 432.

Depositarius poenarum I. 243.

Deputati seminarii sunt perpetui, et sine legitima causa nequeunt amoveri. II. 404. 405. 406.

Deputati seminarii habent votum consultivum, non decisivum. II. 404. 407.

Deputati seminarii ex praescripto Conc. Trident. eligendi. II. 401. quando ab Episcopo audiri debeant. II. 361. 381. 404. 405. 406.

Deserere ecclesiam, cui quis adscriptus est, sine licentia Episcopi nemini licet. II. 611.

Dimissio Sororum peragenda est cum Ordinarii permissu. II. 327.

Dimissio professi secum fert solutionem votorum. II. 107.

Dimissoriae literae. I. 172. III. 141. non exspirant morte concedentis. I. 181.

Dioecesis visitationem instituere debet Episcopus I. 150.

Discessum ex dioecesi Episcopus sine ratione denegare non potest. II. 611.

Director Instituti pii pro rebus externis. II. 318.

Director in spiritualibus praeter confessarium non admittitur in Institutis piis. II. 321.

Disciplina choralis. I. 317. 355.

Disciplina, quam servat Sac. Cong. Episc. et Regul. in approbatione Institutorum, quae emittunt vota simplicia. II. 256.

Dismembrationi parochiae quando sit locus et quando non. I. 415. et 428.

Dispensationes matrimoniales, quid in eis sit observandum. III. 613.

Disponere de legatis et aliis an et in quantum possint Religiosi simpliciter voventes. II. 333.

Dispositiones ad causas pias quoad solemnitates praescriptas. III. 513.

Dispositionum piarum validitas non pendet ab observatione civilium solemnitatum. II. 426.

Distributiones chorales. II. 637. III. 202. 219. 243.

Distributiones ordinariae. I. 286.

Distributiones extraordinariae, eventuales, incertae. I. 295, III. 204.

Doctrinam christianam pueris et populo tradere debent parochi. I. 435. III. 330. et 344.

Domicilium quoad ordinationem. I. 193. III. 140.

Dominium actuale et radicale in novis Institutis. II. 108. 116. 274. 333.

Dominium actuale et radicale quoad Regulares Belgii. II. 334.

Domus parochialis reparatio cui incumbat. I. 73.

Domus religiosa, in qua duodecim Fratres non habitant, subiecta est Episcopo. II. 464.

Domus religiosae aperiri nequeunt sine licentia Episcopi localis. II. 323.

Dos omnino requiritur in novis Institutis. II. 194 et 205. 323. 328.

Dos monialium quanta et quomodo solvenda. II. 205. quoad translationem. II. 213. quoad exemptas. II. 229.

Dotis dominium monasteria utrum et quando acquirant. II. 323.

Dotis restitutio. II. 337.

Dotatio capellae cui incumbat et quid significet. II. 604.

E

Ecclesiae cathedrales habent ius ad sacra utensilia ab Episcopis et beneficiatis relicta. I. 78. nisi ex bonis patrimonialibus comparata fuerint. I. 81.

Ecclesias collegiatas erigere solus Pontifex potest. I. 92.

Ecclesiasticus cantus addiscendus et colendus. II. 388. 392.

Educandae an et quomodo sint recipiendae in monialium monasteria. III. 481.

Educatio novitiorum, quid in ea observandum. III. 439.

Eiiciendi et eiecti Regulares. II. 36.

Eleemosynae monialibus clausuram servantibus praestandae. III. 452.

Emolumenta parochialia certa et eventualia. I. 421.

Emolumenta beneficiorum quomodo sint computanda. III. 101.

Emolumenta incerta quaenam sint dicenda. III. 93. 94.

Episcopi *debent* visitare Sacra Limina Apostolorum. I. 3. 18. III. 3. 22.

— debent in dubitationibus exortis Summum Pontificem consulere. I. 8.

— debent Summo Pontifici de villicatione sua rationem reddere. I. 4. 20. 24.

— debent Ordines per se conferre, nisi aegritudine impediantur, vel alio gravi ac rationabili impedimento excusentur. I. 170.

Episcopi debent singulis diebus festis Missam pro populo celebrare. I. 143.–150.

— debent curare, ut onera Missarum et alia pia onera fideliter adimpleantur. II. 422.

— debent abusus contra rubricas removere, ubicumque inveniantur. III. 292.

— debent vel per se vel per alios praedicationis munus obire. I. 236.

— debent observare legem *residentiae*. I. 137. 143.

— debent suas dioeceses visitare (quid ante, in, post visitationem sit observandum). I. 150. 162.

— debent visitare parochias ad Regulares pertinentes; (quid in visitatione observandum sit). III. 389.

— debent visitare seminaria. II. 411.

— debent deputatos seminarii audire, non vero sequi. II. 404. 406. 407.

— debent visitare pia loca. II. 515.

— debent visitare archivia. III. 170.

— debent quotannis exigere redditionem rationum ab administratoribus locorum piorum. II. 529.

— debent curam gerere scholarum. II. 505.

— debent procedere contra Regulares extra claustra delinquentes (quomodo.) II, 73.

Episcopi utensilia sua quibus relinquere debeant. III. 34.

Episcopi quid hisce temporibus facere debeant ad fidem catholicam et morum probitatem conservandam. III. 325. 343.

Episcopi *possunt* sibi erigere altare viaticum. III. 49. et 29.

— possunt approbare Caeremonialia (Ritualia) Monialium. II. 328.

Episcopi possunt approbare statuta Confraternitatum. II. 483.

— possunt permittere *translationem* Missarum. II. 456.

— possunt revocare sacerdotem, qui cum vel sine licentia in aliam dioecesim discessit. II. 614.

— (non vero Vicarii Generales) possunt relaxare vota simplicia. II. 285.

— possunt (soli) concedere facultatem clausuram Religiosarum sibi subiectarum ingrediendi. II. 151. et quibus. II., 154.

— possunt stabilire parochos amovibiles.

— possunt prohibere, ne Regulares admittant sacerdotes exteros ad divina officia celebranda, nisi ipsi (Episcopi) iisdem licentiam dederint. II. 613.

— possunt prohibere *libros pravos*. II. 591.

Episcopi super clausura monialium sibi subiectarum habent potestatem ordinariam, super exemptarum vero delegatam. II. 218.

Episcopi iurisdictio *ordinaria* vel *delegata* in parvos conventus Regulares. II. 58.

Episcopi iurisdictio et auctoritas in Instituta sacrarum virginum. II. 315.

Episcopi quid possint in moniales Regularibus subiectas quoad clausuram et administrationem bonorum, capellanos et confessarios. II. 228. 243.

Episcopi quandonam possint ingredi clausuram, et quando non. II. 153.

Episcopi habent ius confirmandi officiales Confraternitatum. II. 488.

Episcopi Angliae et Scotiae ius habent quoad omnia visitandi scholas pauperum in missionibus et paroeciis Regularibus aeque ac in saecularibus. II. 19.

Episcopi, qui Coadiutorem habent, possunt vel per se ipsos, vel per Coadiutorem exhibere relationem status dioecesis. I. 26.

Episcopi *non possunt* alienum subditum ordinare, nisi rite sit dimissus. I. 171. 180. III. 127. 145.

— non possunt commutare ultimas voluntates; hoc soli Sedi Apostolicae competit. II. 445.

— non possunt Missas *reducere*, ne in limine quidem fundationis, nisi specialem habeant a Sede Apostolica facultatem. II. 448. et 449.

— non possunt sine ratione denegare discessum ex dioecesi. II. 611.

— non possunt se immiscere in ea, quae generale regimen Instituti pii respiciunt. II. 319.

— non possunt pro visitatione exigere pecuniam et victualia. I. 163.

— non possunt uti paramentis alicuius ecclesiae extra illam. I. 82.

— non possunt assumere Religiosas ad servitia sibi praestanda. II. 321.

Episcopi quid possint, et quid non possint in conventibus religiosis suae iurisdictioni subiectis. II. 51.

Episcopi quid possint in exemptos tanquam Sedis Apostolicae Delegati. II. 60. 77.

Episcopi iurisdictio in parochias Regularium. III. 389.–401.

Episcopi Regulares an et quomodo regulam sui Ordinis observare debeant. II. 121.

Episcopi Auxiliares non tenentur inquirere super ordinandis, qui ab Ordinario vel Capitulo ipsis dimittuntur. I. 179.

Erectio novorum Conventuum. III. 430.

Erectio Confraternitatum. III. 544. 550. 553.

Errores nostri aevi proscribuntur III. 566.

Errores de Ecclesia. III. 579.
— de societate civili. III. 582.
— de ethica naturali et christiana. III. 584.
— de matrimonio christiano. III. 585.
— de principatu Romani Pontificis. III. 586.
— qui ad liberalismum modernum referuntur. III. 587.
Eucharistia in quibusnam ecclesiis asservari debeat et possit. I. 93.–101.
Ethnici auctores an explicari possint in seminariis. II. 378.
Examen personale eorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant. III. 436.
Exercitiorum spiritualium utilitas. I. 492. III. 381.
Exercitia spiritualia ante Ordinationes sunt peragenda. I. 472. 491. III. 382.
Exercitia spiritualia peragenda sunt ante vestitionem et professionem. II. 324.
Exploratio voluntatis novitiarum pertinet ad Episcopum. II. 323. 328.
Expositio SS. Eucharistiae privata et publica. I. 101. 114.
Exsecutor piae dispositionis inter vivos et causa mortis quis sit. II. 429.
Exterorum matrimonia. III. 611.

F

Fabricae ecclesiarum an et quando taxam seminarii pendere debeant. III. 82.
Fallentiae. I. 291.
Familiaris Episcopi quis sit. I. 197. III. 140.
Famulae an et quomodo in monasteria monialium sint admittendae. III. 460.
Febronius erronee docuit Episcopos non ex vi legis, sed ex libera voluntate SS. LL. AA. visitasse. I. 14.
Forma in concursibus observanda. III. 256.
Forma communicandi indulgentias. III. 558.
Functiones, quae sunt de iure parochiali, et quae non. II. 494.
Functiones, quae fieri possunt et non possunt in oratoriis privatis. III. 57.

G

Generales Ordinum Regularium non possunt reducere onera Missarum. II. 460.
Generales novellorum Institutorum singulis trienniis relationem exhibere debent S. Sedi. I. 20.
Granciae et conventus quoad visitationem Episcopi II. 45.

H

Haereditates et legata sibi obvenientia capere possunt Sorores professae votorum simplicium. II. 333.
Hospitalium origo et genera. II. 577.
Hospitalia in quibusnam rebus dependeant a parochis. II. 579.
Hospitalia visitari debent ab Episcopo. II. 523. 576.
Hospitalia an et quando taxam seminarii pendere debeant. III. 82.

I

Immunitas ecclesiastica. I. 269. III. 186.
Impedimenta visitationis SS. LL. AA. debent comprobari. III. 4.
Impedimenta, quae Episcopum a visitatione SS. LL. excusant. I. 30.
Impensae, quaenam in imponenda taxa seminarii subtrahendae sint ab emolumentis. III. 76. 94.

Incerta emolumenta quaenam dicantur. III. 93. 94.

Incorrigibilitas requiritur, ut quis expelli possit ex Institutis votorum simplicium. II. 39.

Index librorum prohibitorum. II. 590.

Indifferentismus III. 579.

Indulta publicarum Universitatum et seminariorum celebriorum. II. 381.

Indultarii quoad oratoria privata quinam censeantur. III. 56.

Indultariorum praesentia requiritur pro celebratione Missae in oratoriis privatis. III. 56.

Indultum peragendi ordinationes *extra tempora* et *non servatis interstitiis* I. 203.

Indultum abessendi. III. 202.

Inhibitiones quando sint concedendae et quando denegandae. III. 120–135.

Infirmitas non est sufficiens causa dimissionis ex Instituto pio. II. 284.

Innocentiana taxa. III. 155–165.

Instituta votorum simplicium II. 244.

Instituta, quae emittunt vota simplicia omnino subiecta sunt Ordinariis locorum. II. 247.

Instituta votorum simplicium utrum, quando et a quo approbentur. II. 256.

Instituta pia non sunt exempta a iurisdictione parochiali. II. 325.

Institutio dioecesis et historia narranda est in relatione status. I. 50.

Instructio Benedictina de visitatione SS. LL., licet primo pro Episcopis Italiae edita, nunc ad omnes Episcopos extensa est. I. 33. ipsius tenor. I. 42–49.

Instructio super modo conficiendi relationem status ecclesiarum. I. 42. 31.

Instructio S. C. de Prop. Fide de visitatione SS. LL. AA. III. 15.

Instructiones super receptione et educatione novitiorum. III. 437.

Instructio pro examine testium ad probandum statum liberum matrimonium contrahere volentium. III. 606. et 669.

Instructio Benedicti XIII. de imponenda solvendaque taxa pro institutione et conservatione seminarii. III. 74–85

Instructio pro ecclesiasticis curiis quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. I. 530.

Instructio de dispensationibus matrimonialibus. III. 613.

Instructio super qualitate probationis requirendae, antequam secundae nuptiae ineantur. III. 624.

Interstitia. I. 206.

Inventarium legale conficiendum. III. 182.

S. Irenaei testimonium de potiori principalitate Romanae Ecclesiae. I. 5.

Iudicia causarum matrimonialium quomodo instituenda. III. 588.

Iuramenti, quod Abbates aliique Praelati emittunt de visitatione SS. LL. AA., formula. III. 12.

Iura parochialia quoad hospitalia. II. 579.

Iura parochialia quoad seminaria II. 367.

Iurisdictio ordinaria Episcopi Sede vacante omnino transit ad Vicarium Capitularem. I. 182.

L

Lampas ante SSmam Eucharistiam alenda a quo et quonam oleo. I. 98–101.

Latitudinarismus. III. 579.

Lectio librorum prohibitorum. III. 560.

Legata quoad sodales piorum Institutorum. II. 333.

Legata pia quibus sub conditionibus accepiari possint. II. 437.

Legatum *taxative* vel *demonstrative* relictum. III. 540.

Libri rationum quomodo conficiendi sint ab administratoribus locorum piorum. II. 534.

Libri duo pro Missis *perpetuis* ac *temporalibus* necnon pro *manualibus* habendi sunt, in quibus earumdem persolutio fideliter notetur. II. 471.

Libri parochiales custodiri debent a parochis. II. 651.

Libri parochiales ad normam Ritualis Romani parochi retinere debent. I. 395–403.

Librorum pravorum evulgatio et lectio prohibentur. II. 589.

Librorum prohibitorum lectio. III. 560.

Licentia ingrediendi in clausuram a quo concedatur et quando. II. 151. 220. 230. III. 483.

Licentia exeundi ex clausura a quonam sit danda. II. 163. 221.

Literae commendatitiae quid. III. 142.

Literae dimissoriae quid. I. 172. III. 141.

Literae testimoniales quid. I. 172. III. 142.

Loca exempta quoad visitationem Episcopi I. 158.

Loca pia visitare debet Episcopus. II. 515.

M

Magistrarum piarum Institutum. II. 513.

Magistri seminariorum quales esse debeant. II. 379. in eorum electione et amotione quid sit observandum. II. 381.

Manifestatio conscientiae nonnisi voluntaria admittitur in Institutis piis. II. 322.

Matrimonia exterorum. III. 611.

Matrimonia mixta. II. 592. III. 618. 621. 623. 624.

Matrimonia *occulta* seu *conscientiae*. I. 401.

Media annata quid. I. 70.

Media annata pro fabrica ecclesiae cathedralis deponenda est. III. 27. quaenam ecclesiae hoc facere debeant, quae non. III. 27–30.

Medicus monialium quoad clausuram. II. 155.

Mensa episcopalis contributionem seu taxam pendere debet. III. 76.

Missa conventualis. I. 335–342. III. 188–200.

Missa conventualis pro benefactoribus applicanda est. II. 637. III. 189. 195. et quidem ad normam rubricarum. II. 657.

Missa a quibus et quando pro populo sit applicanda. III. 190–195. 352–359. et 375–380.

Missam eodem die iterare utrum et quando liceat. III. 359–374. et 401–411.

Missas duas celebrans eodem die non potest eleemosynam recipere pro secunda Missa. II. 636.

Missae tot sunt celebrandae, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerunt. II. 461.

Missam alii non potest quis celebrandam committere eleemosynae parte sibi retenta. II. 461.

Missiones sacrae commendantur. I. 242.

Missiones sacrae ad tuendum populi mores et fidem commendantur. II. 594.

Missiones visitationem Episcopi praecedant. I. 160.

Missionariorum dotes et facultates. I. 243.

Missionarii Religiosi apud Indos reputandi sunt tanquam Religiosi viventes intra claustra, ideoque in concernentibus curam animarum subsunt Ordinario loci, in reliquis vero suis Superioribus subiecti manent. II. 11.

Mixtae religionis impedimentum quoad dispensationem. III. 518. 621. 623. 624.

Monachi (Regulares), qui parochias regunt, tenentur visitationem episcopalem subire, procurationem solvere, festa dioecesis annuntiare et celebrare, chrisma et olea ab Episcopo accipere. II. 4–7.

Moniales an et quando taxam seminarii pendere debeant. II. 81.

Moniales Praelatis regularibus subiectae II. 218.

Monialium clausura II. 139.

Monialium singularum domorum numerus est praefigendus. II. 199.

Montes frumentarii. II. 562. 565. 569.

Montes pietatis visitari debent ab Episcopo. II. 556.

Montes pietatis an et quando taxam seminarii pendere debeant. III. 82.

Montium pietatis origo, historia et genera. II. 558.

Mulctae pecuniariae. I. 244.

Mulier est capax potestatis dominativae. II. 283.

Mulier est incapax iurisdictionis spiritualis, ideoque non potest dispensare in votis. II. 283.

N

Naturalismus. III. 569. 576.

Negotiatio clericis prohibita. I. 519.

Norma pro concinnandis constitutionibus seminariorum. II. 349.

Novitiae debent esse separatae a professis. II. 324.

Novitiatus biennalis non est reducendus. II. 324.

Novitiorum receptio et educatio. III. 437.

Novitiorum admissio ad professionem. II. 91. 106.

Novorum Conventuum erectio. III. 430.

Nullitas professionis tanquam causa discedendi a Religione. II. 32. III. 414.

Nullitas professionis regularis quomodo sit probanda. III. 413–427.

O

Obligatio ad visitanda SS. AA. LL. currere incipit et computanda est a die datae Constitutionis *Romanus Pontifex* i. e. a die 20. Decembris 1585.

Obligatio canonicorum recitandi quotidie totum officium divinum. I. 325–334.

Officium chorale solus Papa potest reducere. I. 330.

Onera Missarum et anniversariorum an sint rite persoluta, inquirere debet Episcopus. II. 414. et etiam Praelatus *Nullius* et Vicarius Capitularis. II. 436.

Onera Missarum quomodo probari et quomodo perimi possint. II. 418. 419.

Onera Missarum perpetua fideliter sunt persolvenda. II. 414.

Onera perpetua Missarum non licet suscipere sine licentia Ordinarii, vel Superioris regularis in scriptis. II. 462.

Onere pio gravatus an fundis imminutis vel plane disperditis teneatur de suis bonis supplere. III. 539.

Opera pia, de quibus Episcopi referre possunt. I. 270.

Oratio quadraginta horarum. I. 110.

Oratoria privata in aedibus Episcoporum. III. 49.

— in domibus laicorum. III. 53.

— ad eorum erectionem et usum requiritur licentia Romani Pontificis. III. 54.

— utrum et quando ibi tres Missae dici possint in festo Nativitatis Domini. III. 57.

Oratoria privata quaenam functiones ibi fieri nequeant. III. 58.

— pro Sacro faciendo a solo Summo Pontifice concedi possunt. I. 115.

— in piis Institutis et in locis publicis, uti sunt hospitalia, carceres et domus spiritualium exercitiorum. I. 117.

Ordinarii locorum libere designare possunt parochos in rectores vel moderatores Confraternitatum. III. 552.

Ordinarius loci (et non alius) debet approbare statuta Confraternitatum. II. 483.

Ordinatio Regularium. I. 201. III. 143–154. 290.

Ordinatio subditi alienae dioecesis quando liceat Episcopo. III. 137.

Ordinatio extra tempora. I. 204.

Ordinatio generalis fieri debet in cathedrali. I. 210.

Ordines quibusnam sint conferendi. III. 283.

Ordines quibus temporibus et diebus conferri debeant. I. 204. 209.

Ordinum religiosorum utilitates. III. 338.

Origo quoad ordinationem. 190. III. 139.

Ornamenta et utensilia ecclesiae, quae patronus praestare debet. II. 605.

P

Pantheismus. III. 576.

Parochiae per concursum conferendae sunt. III. 247.

Parochiae Regularium quoad iurisdictionem et visitationem Episcoporum. III. 389. 401.

Parochialium ecclesiarum reparatio cui incumbat. I. 72.

Parochi in suis parochiis residere debent. I. 382.

Parochi per se ipsos munera parochialia persolvere tenentur, nisi legitime impediantur. I. 428.

Parochi pueris tradere debent doctrinam christianam. I. 435. III. 330. 344.

Parochi verbum divinum explicare debent. III. 287.

Parochi tenentur explicare Evangelium. II. 654.

Parochi tenentur curiae exhibere relationem status materialis et formalis propriae ecclesiae. II. 653.

Parochi diebus saltem Dominicis et festis solemnibus salutaribus verbis populum sibi commissum pascere debent. I. 425. III. 331. et 344.

Parochi Missam pro populo singulis diebus Dominicis aliisque festis diebus, etiam e festorum albo dispunctis offerre debent. I. 442. III. 190. et 354. et quidem per se ipsos. I. 455. et 459.

Parochos amovibiles an Episcopus stabilire possit. III. 314. 325.

Parochus nequit compellere rectores et capellanos Confraternitatum ad assistendum functionibus parochialibus. II. 496.

Parochus iam dudum curam exercens utrum et quando iterum ad examen vocari possit. I. 412.

Parochus an habeat iurisdictionem in seminarium. II. 367. 373.

Participatio plena iurium canonicalium. III. 237. 246.

Parvorum Conventuum suppressio. III. 427.

Patrini in Confirmatione adhibendi. I. 215.

Patronus ecclesiae ad quid teneatur. II. 604.

Patronus capellae quaenam sacra utensilia suppeditare debeat. II. 603.

Pecunia pro Missis celebrandis legata in bonis stabilibus collocari debet. II. 439. 461. in census converti nequit. II. 440.

Percussio clerici perpetrata a Religioso. II. 79.

Peregrinus sacerdos sine sui Episcopi commendatitiis ad divina peragenda admitti non debet. II. 611.

Pia loca quid Episcopus circa ea observare debeat. II. 515.

Poenae contra negligentes et absentes canonicos constitutae. I. 319. 324.

Poenitentiarii cathedralis persona et munus. I. 364. 374.

Poenitentiarius cathedralis excogitare et proponere debet casus in conferentiis resolvendos. I. 511.

Poenitentiarius Cathedralis non potest esse Vicarius Generalis Episcopi. I. 376.

Pontificalium functionum nomine quid veniat. I. 212.

Pontifices Summi scientiarum studia semper promoverunt. II. 507.

Postulata Episcoporum in relationibus facienda remittuntur ad eas Congregationes, quibus competunt. II. 597.–599.

Praebenda theologalis et poenitentialis debet constitui in cathedralibus. I. 83. III. 33. 38.

Praebenda theologalis unde habeat originem. III. 262.

Praebenda poenitentiaria et theologalis quomodo conferenda. I. 364. III. 246. 260.

Praecedentiae inter Confraternitates ratio. II. 498.

Praelatorum inferiorum triplex species. I. 60.

Praelati inferiores non possunt remittere interstitia. I. 209.

Praelati inferiores tertiae speciei visitationem dioecesis peragere debent. I. 153.

Praelati inferiores iurisdictionem quasi-episcopalem habentes SS. LL. AA. visitare et relationem status ecclesiarum reddere debent. I. 25. III. 9.

Praelatus *Nullius* invigilare debet super adimplemento onerum piorum. II. 436.

Privilegia Regularium laedi nequeunt synodalibus decretis. II. 644.

Privilegia Abbatum et Praelatorum inferiorum. I. 60.

Privilegia et praerogativae episcopatus in relatione status indicari debent. I. 59.

Probatio eorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant, quid in ea sit observandum. II. 89.

Processus cameralis, quid. II. 37.

Processus de nullitate professionis. II. 33. III. 414.

Procuratio pro visitatione dioecesis. I. 162. 169.

Procuratio pro administratione Confirmationis exigi non potest. I. 167.

Professionis votorum simplicium effectus. II. 108.

Professio votorum simplicium, quid de ea constituerit S. C. Episc. et Regul. II. 105. 107. 109.

Professioni votorum solemnium sub poena nullitatis praemitti debent vota simplicia. II. 115.

Protector Cardinalis cur concedatur Institutis novis, et quaenam sit illius potestas. II. 312. 315.

Protector a Summo Pontifice eligitur. II. 314.

Protector extra Urbem non conceditur. II. 313.

Puellarum scholae. II. 513.

Puerorum institutioni invigilare debent Episcopi. II. 347.

Punctator. I. 293.

Punctatura. I. 287. 354.

R

Rationalismus. III. 576.

Rationalismus moderatus. III. 569. 578.

Receptio novitiorum ad habitum et ad professionem quid in ea sit observandum. II. 88. III. 537.

Reconciliatio ecclesiae, ubi copiae militares stationem fecerant. I. 77.

Rectores Regulares Missionum, Vicarii quoque et alii Religiosi, facultatibus Missionariis concedi solitis instructi, qui hospitia et parvas Missionum domos incolunt, adesse debent in cleri coetibus, qui *Collationes* dicuntur. II. 13.

Rector seminarii quomodo se gerere debeat. II. 360.

Rector seminarii non potest esse confessarius alumnorum. II. 360.

Rectores sodalitatum. III. 552.

Reductio Missarum quid sit, quando concedatur et quando non. II. 448. 455. et 470. III. 534. 540.

Reductio Missarum unice Summo Pontifici competit. II. 447.

Reductio onerum piorum. III. 534.

Regimen oeconomicum monasteriorum Monialium ab Episcopo pendet. II. 196.

Regulares debent obtemperare legibus synodalibus, sicubi alioquin scandala et difformitas evitari nequeat. II. 646.

Regulares cui confiteri debeant. II. 121.

Regulares exempti in quibus subiiciantur Episcopis. II. 64. 77.

Regulares exempti in quibus non subiiciantur Episcopis. II. 77.

Regulares non possunt ad parochiam deputari sine licentia Episcopi. II. 5.

Regulares delinquentes extra claustra, quomodo sint tractandi II. 42. 73.

Regulares extra claustra degentes quomodo sint tractandi. III. 434.

Regulares, qui translatos se dicunt, quomodo sint tractandi. III. 434.

Regulares curam animarum exercentes episcopali iurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quae pertinent ad curam et administrationem Sacramentorum. II. 3. III. 390.

Regulares an et quando taxam seminarii pendere debeant. III. 80.

Regulares utrum et quando possint esse capellani Monialium. II. 182.

Regulares in receptione ad habitum et ad professionem quaenam observare debeant. II. 86.–129.

Regulares a Religione eiiciendi et eiecti. II. 36.

Regularium ordinatio. I. 201. III. 143. 154. 290.

Regularium domus, quae sodales religiosos sex minimum non capiunt, debent esse in potestate Episcoporum? II. 11.

Regularium parochiae quoad iurisdictionem et visitationem Episcoporum. III. 389, 401.

Regularibus vetitum est die Paschatis Sac. Eucharistiam distribuere in suis ecclesiis non parochialibus; licet tamen aliis diebus intra tempus paschale. III. 59.

Regularibus interdicta est accessio ad Moniales et collocutio cum eisdem. II. 162.

Regularibus non licet exorcizare contradicente Episcopo, etiam in propriis ecclesiis et coenobiis. III. 64.

Relatio status dioecesis fieri potest per procuratorem. I. 29. III. 4. 10.

Relatio status dioecesis quid continere debeat. I. 32.

Relatio status dioecesis exaranda est idiomate latino. I. 34.

Relatio status dioecesis quando exhibenda sit. I. 35.

Relatio status ecclesiarum quomodo Romae expendatur. I. 37.

Relationis status ecclesiarum utilitas. I. 18.

Religiosi votorum simplicium per dimissionem vel dispensationem ab Instituto egressi obnoxii sunt

iurisdictioni Ordinarii, cui iam suberant ante ingressum. II. 643.

Religiosi utriusque sexus in Belgio possunt bona acquirere, retinere et administrare. II. 334.

Religiosis an et quando tradi possint seminaria dioecesana. II. 361.

Religiosis sodalibus in Anglia et Scotia non licet novas sibi sedes constituere erigendo novas ecclesias, aperiendove coenobia, collegia, scholas, nisi obtenta prius expressa licentia Ordinarii loci et Sedis Apostolicae. II. 20.

Religiosis sodalibus in Anglia et Scotia non licet ea, quae instituta sunt, in alios usus convertere absque expressa licentia Sedis Apostolicae et Ordinarii loci, nisi agatur de conversione, quae, salvis fundationis legibus, referatur dumtaxat ad internum regimen et disciplinam regularem. II. 21.

Religiosi sodales in Anglia et Scotia, redditis Episcopo rationibus, docere debent de pecunia intuitu Missionum sibi allata, et quantum de ea, et quos in usus impenderint. II. 23.

Religiosum fugitivum quomodo tractare debeat Episcopus. II. 31.

Remissio Missarum quid sit. II. 448.

Remissio et collusio quoad distributiones chorales. I. 293.

Reparatio ecclesiarum cathedralium, collegiatarum, parochialium, simplicium, cui incumbat. I. 69. 74.

Rescriptum saecularizationis. II. 37.

Residentia Episcopis imposita. III. 102. 118.

— canonicorum. I. 274.

— parochis severe iniuncta est. I. 382. 395.

— materialis et formalis. I. 275.

Responsa Sac. Congr. *in congressu, per summaria precum, in folio.* II. 600.

Responsi « *providebitur in casibus particularibus* » sensus. II. 60.

Restitutio dotis. II. 337.

Restitutio in integrum, quando agitur de professionis nullitate. II. 34. III. 421.

Rituale Instituti pii debet approbari ab Episcopo. II. 328.

S

Sacerdotes simplices quoad domicilium, processiones et functiones publicas. II. 609.

Saecularizationis Rescriptum. II. 37.

Sardicense Concilium sancivit, ut Episcopi Summo Pontifici referrent de singulis suis provinciis. I. 6.

Scripturarum asservatio in archivo. I. 253. III. 176.

Scholae Episcopis debent esse cordi. II. 505.

Scholae puellarum. II. 513.

Scholae mixtae. II. 593.

Scholas publicas utrum Sorores retinere possint. II. 341. 344.

Scopus cuiuslibet Instituti debet esse certus etc. II. 322.

Seminaria quoad iurisdictionem parochorum. II. 367. 373.

Seminaria dioecesana an et quando Religiosis regenda tradi possint. II. 361.

Seminarii alumni quo loco in choro sedere et in processionibus incedere debeant. II. 391.

Seminarii taxa. I. 130. 136. III. 67. 101.

Seminarium magnum et parvum, quid. II. 376.

Seminariorum erectio sedulo promovenda. III. 68. 74.

Seminariorum necessitas, utilitas, erectio. I. 119. 130.

Seminariorum constitutiones quomodo sint concinnandae. II. 349.

Seminariorum magistri quales esse debeant. II. 379.

Seminariorum celebriorum indulta. II. 382.

Servitium chorale. I. 276. III. 202.

Siciliae Episcopi ex indulto S. Gregorii M. singulis quinquenniis Romam conveniunt. I. 9.

Signa, ex quibus dignoscitur, an ecclesia aliqua sit *collegiata*. I. 92. III. 41.

Sixtus V. Bulla « Romanus Pontifex » antiquam institutionem visitandi SS. LL. AA. renovavit. III. 3.

Socialismi systemata nefaria. III. 429. 579.

Societates clandestinae. III. 579.

Societates biblicae a Gregorio XVI. damnatae. III. 270.

Sodalitates (Confraternitates) non possunt erigi a personis privatis. II. 479.

Sodalitates in Regularium ecclesiis erectae subsunt visitationi et iurisdictioni Episcopi. II. 521. et 526.

Solemnitates in electionibus observandae. II. 665. et 667.

Solemnitates a iure civili praescriptae non sunt necessariae in dispositionibus ad pias causas. III. 513.

Sollicitudo episcopalis a Pio IX. commendatur. III. 507.

Sorores votorum simplicium *clausuram* violantes non subsunt poenis a Conc. Trid. decretis. III. 325.

Spatia temporum, quibus *relatio status* dioecesis exhibenda est, non computantur a die adeptae possessionis sed pro Episcopis a die 20. Dec. 1585., pro Praelatis inferioribus a die 20. Nov. 1740. I. 36.

Spolii sub nomine quid veniat. I. 79.

Statum proventuum suorum accurate et sub iureiurando cancellariae exhibere debent omnes ii, qui taxam seminarii pendere debent. III. 83. 92. 101.

Statuta capitularia debent habere omnia Capitula. II. 617.

Stipendia manualia non licet accipere, si oneribus antea susceptis non fuerit satisfactum. II. 462. (Vide tamen. 466.).

Stipendium accipiens solito maius tenetur illud integrum dare sacerdoti, cui celebrationem forte committit. II. 466.

Studia, quibus operam dare debent alumni. II. 375. III. 173.

Subditus Episcopi quibus ex causis quis fiat. I. 171. 187.

Subsidium charitativum Episcopo solvendum. III. 163.

Superior regularis in quibusdam casibus Religioso facultatem dare potest commorandi extra claustra. II. 27.

Superiores regulares quomodo et quando possint ingredi septa monasteriorum. III. 477.

Superioribus nonnullis Missionum conceditur potestas conferendi Confirmationis Sacram. I. 211.

Superiores Institutorum vota simplicia emittentium non gaudent privilegio tradendi subditis suis literas dimissorias. II. 642.

Superiorissa generalis. III. 500. Vide *Antistita*.

Superiorissae generalis munus, officia, potestas. II. 303. III. 503.

Superiorissa generalis quomodo eligenda. II. 301. 308.

Superiorissa generalis non Episcopo loci, sed Cardinali Protectori obedit. II. 307.

Superiorissa generalis si moritur, quid faciendum. II. 310.

Superiorissas provinciales non admittit S. Congr. Episc. et Regul. II. 310.

Superiorissae locales eliguntur a Superiorissa generali. II. 306.

Superiorissae locales Superiorissam generalem consulant et edoceant de statu domus sibi subiectae. II. 307.

Suspensio considerata vel uti poena pro praeterito crimine, vel uti censura proprie dicta. I. 406.

Suspensio *ex informata conscientia*. I. 409.

Suppellectilem sacram comparare qui teneantur. I. 76.

Suppressio parvorum Conventuum. III. 427.

Syllabus errorum nostri aevi. III. 576.

Synodi quando celebrandae sint. I. 219.

Synodi provinciales a speciali Congregatione examinantur. I. 223.

Synodis quinam interesse debeant. I. 220. 233.

Synodorum celebratio inculcatur Episcopis. III. 330.

Synodorum provincialium recognitio non est vera et propria approbatio. I. 223.

Synodus dioecesana. I. 218.

T

Tabella onerum Missarum et anniversariorum exposita esse debet in sacristiis omnium ecclesiarum. II. 414.; 418. et 470. 472.

Taxa Innocentiana. I. 248. III. 155.

Taxa seminarii. I. 130–136. III. 74–101.

Taxae seminarii quantitas. III. 82.

Taxa seminarii a quibusnam sit solvenda III. 68. 69. et 78.; quomodo componenda et solvenda sit. III. 74–83.

Taxa quoad ordinationem. III. 156.

Taxa in causis matrimonialibus. III. 160.

Taxa in materiis beneficialibus. III. 158.

Taxa curiarum extra Romanam provinciam. I. 250. 237.

Taxa quando solvenda sit et quando non. III. 155–165.

Tempora, quibus Episcopi visitare debent SS. LL. AA. III. 4. 11. 17.

Territorium separatum acquiritur per clarum ac manifestum Apostolicum privilegium, vel per immemorabilem consuetudinem. I. 56.

Testes ad probandum statum liberum contrahentium matrimonium quomodo sint examinandi. III. 606. et 609.

Testimoniales literae pro Ordinatione. I. 172. III. 142.

Testimoniales literae Ordinariorum requiruntur in receptione illorum, qui ad habitum religiosum admitti postulant. II. 86.

Theologi cathedralis persona et munus. I. 371. et 511. III. 261. et 271.

Titulus beneficii pro ordinatione. III. 139.

Titulus ordinationis omnino est necessarius; de eodem constituendo et conservando plura sunt notanda. I. 475–491.

Tonsura quibus conferenda. III. 282.

Translatio Missarum permitti potest ab Episcopo. II. 456.

Translatio Monialis fieri nequit absque venia S. C. Episc. et Regul. II. 213.

Translatio seminarii. I. 129.

U

Unio beneficiorum in favorem seminarii I. 133–135.

Universitatum indulta. II. 381.

Utensilia ecclesiae, quae patronus praestare debet. II. 605.

Utensilia Cardinalium Episcoporum cathedrali debent relinqui. III. 32.

Utensilia Cardinalium suburbicariorum et Cardinalium Abbatum *Nullius* debent relinqui sacrario Pontificio. III. 32.

Utensilia Episcoporum quaenam et quibusnam relinquenda sint. III. 33. 34.

V

Vacationes canonicorum. I. 277.

Validitas piarum dispositionum quid requirat. II. 427.

Vestis clericalis a clericis deferenda est. I. 492. III. 286.

Vicarii Capitularis electio. I. 182.

Vicarii Capitularis electio ad quosnam pertineat. II. 615.

Vicarii Capitularis facultates. I. 175. 182. 208.

Vicario Capitulari Capitulum tradere debet integram iurisdictionem. I. 175. et 181.

Vicario Capitulari competit ius canonice instituendi. I. 369.

Vicarii Capitulares possunt remittere interstitia. I. 208.

Vicario Capitulari incumbit officium invigilandi super onerum piorum adimplemento. II. 436.

Vicarii Capitulares quoad dimissorias. I. 175.

Vicarii Capitulares an teneantur ad relationem status dioecesis. I. 28.

Vicarii Capitulares quando dioecesim visitare possint. I. 154.

Vicarii Capitulares pro visitatione dioecesis nonnisi dimidium procurationis exigere possunt. I. 168.

Vicarii Capitularis honoraria. I. 263.

Vicarii generales non possunt esse confessarii monialium. II. 190.

Vicarii generales Episcopo absente sine speciali mandato non possunt celebrare Synodos. I. 231.

Vicarius generalis sine speciali mandato non potest concedere literas dimissorias. I. 174.

Vicarius generalis non potest esse Poenitentiarius cathedralis. I. 376.

Visitationis Sacr. Lim. Apostolorum historia, utilitas et necessitas. I. 1–18.

Visitationis Sacrorum Liminum lex non a Sixto V. inducta, sed solemni forma iterum promulgata est. I. 3.

Visitatio SS. LL. AA. quosnam actus complectatur. I. 27.

Visitatio SS. LL. quo tempore fieri debeat. I. 35.

Visitationem SS. LL. AA. instituere quinam teneantur. I. 24. III. 1. 6.

Visitatio dioecesis quoties et quomodo sit instituenda. I. 151–168.

Visitationis expensas solvere tenentur ii, qui visitantur. I. 164.

Visitatio seminarii a Concilio Trid. iniungitur Episcopo. II. 411. quid in eadem observandum. II. 412.

Visitatio Confraternitatum et piorum locorum. II. 414–585.

Virgines Anglicanae originem suam non ducunt a Maria Warth. III. 494.

Voce activa in electionibus quaenam Sorores gaudeant. II. 309.

Voluntates defunctorum S. Sedes non mutat sine iusta et rationabili causa. II. 445.

Vota monialium. III. 463. 499.

Vota simplicia per dimissionem cessant. II. 284.

Vota simplicia ex parte voventis sunt perpetua; dispensatio reservata est Romano Pontifici. II. 107.

Vota biennialia ex parte voventis sunt perpetua. II. 107.

Vota Institutorum novorum quamdiu durent. II. 270. 342.
Vota in Institutis piis quando emitti debeant. II. 342.
Voti definitio, duratio et divisio II. 265. 342.
Votorum simplicium exstinctio, annullatio, dispensatio. II. 283.
Votum paupertatis in novis Institutis. II. 274.
Votum obedientiae in novis Institutis. II. 273.
Votum castitatis in novis Institutis. II. 271.

W

Warth Maria non est fundatrix Virginum Anglicanarum. III. 494.

O. A. M. D. G.

REIMPRIMATUR
Fr. Augustinus Bausa O. P. S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR
Iulius Lenti Archiep. Siden. Vicesg.

CORRIGENDA

Pag.	51	lin.	10		*loco* quos	*legendum* quo
„	52	„	1		„ haberetur	„ haberentur
„	54	„	10	(ab inf.)	„ 1515.	„ 1615.
„	61	„	19		„ catis	„ cetis
„	68	„	6		„ Episopis	„ Episcopis
„	155	„	4	(ab inf.)	„ multis	„ mulctis
„	176	„	16	„	„ reciptitiarum	„ receptitiarum
„	313	„	14	„	„ Archiepiscopo	„ Archipresbytero
„	313	„	22	„	„ inamoyibiles	„ amovibiles
„	485	„	9	„	„ conservatione	„ conservatoriis
„	560	„	10	„	„ d'Annibali	„ d'Annibale.

3860